This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06820409 2

THE

WORKS

OF

GEORGE BULL, D.D.

LORD BISHOP OF ST. DAVID'S,

COLLECTED AND REVISED

BY

THE REV. EDWARD BURTON, M.A.

LATE STUDENT OF CHRIST CHURCH.

TO WHICH IS PREFIXED

THE LIFE OF BISHOP BULL,

BY

ROBERT NELSON, ESQ.

ASTOR LIBRARY NEW-YORK

VOL. V. PART II.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

OXFORD,
AT THE CLARENDON PRESS.
MDCCCXXVII.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

SECTIO III.

DE FILII τῷ Συναϊδίῳ.

SIVE

COÆTERNA CUM DEO PATRE EXISTENTIA.

CAP. I.

Connexio sectionis tertiæ cum præcedenti. Proponitur de Filii æternitate thesis prima. Quæ primum disertissimis Ignatii, viri apostolici, testimoniis confirmatur. Nobilis ejusdem locus in Epistola ad Magnesios luculenta explicatione illustratur. Gnostici Arianorum parentes.

1. STABILITA Patrum Antenicænorum suffragiis doctrina de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, inde ejusdem συναΐδιον per consequentiam omnino necessariam deducitur. Etenim qui vere proprieque Deus est, et ex Dei substantia genitus, idem habeat omnia necesse est, quæ sunt propria Dei, infinitatem, immensitatem, æternitatem, omnipotentiam, τὸ ἄκτιστον, τὸ ἄτρεπτον, hoc est *increabilitatem*, ut sic loquar, et *incommutabilitatem*, cæterasque proprietates, sine quibus stare divinitas vera non potest. Nemo fere scriptorum est, synodo Nicæna posteriorum, qui hoc contra Arianos non observavit. Id ipsum vero pluribus exponit Cyrillus in nono Thesauri libro [a], ac de æternitate præsertim id esse consequens docet:

[a] [Cyril. Alex. vol. V. p. 67.]

Inter alia, quæ huc spectant, diserta imprimis atque expressa sunt hæc ejus verba; Καὶ ὥσπερ εἰ προσγεγονὼς ἐφαίνετο, οὐκ ἂν ἦν ὁμοούσιος, οὕτως ἐπεὶ μὴ τοῦτό ἐστιν, ἀλλ' ἦν ἀεὶ σὺν αὐτῷ, πάντως ἔσται καὶ ὁμοούσιος. i. e. "Ut "enim si ad Patrem accessisset in tempore, non "esset consubstantialis, ita quia illud verum non "est, sed semper erat cum ipso, omnino consubstan- "tialis erit." Tum paucis interjectis, Οὐ γὰρ ἔσται τι συναίδιον τῷ Πατρὶ, μὴ ὂν ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς· ἵνα μὴ καὶ τοῖς κτίσμασι τοῦτο προσεῖναι λέγωμεν, ὃ μόνῃ πρόσεστι τῇ θείᾳ φύσει. οὐκοῦν κἂν ἀρχὴν ὁ υἱὸς ἔχῃ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, ἀλλὰ καθὸ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐστι, σύνδρομον αὐτῇ τὸ εἶναι ἔχων, ἀνόμοιος οὐκ ἔσται κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτῇ. ἐπειδὴ γὰρ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐστι, διὰ τοῦτο καὶ ὁμοούσιος τῇ ἀρχῇ· τὸ δὲ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ ἐπιγένητον οὐκ ἔστι· ἵνα μὴ τοῦτο ὢν εὑρίσκηται καὶ αὐτός. i. e. "Non enim erit aliquid coæternum "Patri, quod non est naturaliter ex ipso; ne etiam "istud creaturis inesse dicamus, quod inest divinæ "soli naturæ. Quamobrem etsi Filius principium "habet Patrem suum, tamen quatenus ex principio "est, concurrentem cum ipso habens existentiam, "non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est
174 "ex principio, ideo consubstantialis principio; porro "quod est Patri consubstantiale, id adventitium non "est in tempore, ne et Pater ipse talis esse repe- "riatur."

2. Verum quia Patres Antenicæni quibusdam, qui nimium sibi placent, tam hebetis stupidique prorsus ingenii visi sunt, ut consequentiam adeo manifestam non perspexerint; proinde minime cohærentes in hoc articulo, ac plane repugnantes, opiniones adstruxerint; ideo operæ pretium me facturum existimavi, si eorundem sententiam, de Filii coæterna cum Patre existentia, distincte ac seorsim explica-

tam lectori exhiberem. Nonnulla quidem veterum testimonia, æternitatem Filii confirmantia, jam ad præcedentem sectionem, aliud agentes, attulimus; sed dignum est argumentum, quod ex professo retractetur. Cum autem antiqui ecclesiæ doctores hac de re, licet non diversa, diverso tamen modo, locuti sint, hinc sectio hæc nostra tertia non una thesi absolvi poterit, ut duæ præcedentes; sed pluribus conclusionibus, prout res postulat, explicanda venit. Harum conclusionum sive thesium hæc esto prima:

THESIS PRIMA.

Doctorum, qui concilium Nicænum antecesserunt, potior et major pars Filii τὸ συναΐδιον, id est, coæternam cum Deo Patre existentiam, sine ambagibus, aperte, clare ac perspicue docuerunt et professi sunt.

3. Horum Patrum merito agmen ducit Ignatius, catholicæ doctrinæ, quæ in ecclesiis ipsa apostolorum ætate obtinuit, testis locupletissimus. Is in Epistola ad Polycarpum [b] sanctissimum coepiscopum suum sic affatur, Τὸν ὑπέρκαιρον προσδόκα, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν, τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητὸν, τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα. i. e. "Eum qui est supra tempus "expecta, intemporalem, invisibilem, propter nos "visibilem, impalpabilem, impassibilem, propter nos "passibilem, secundum omnem modum propter nos "sustinentem." De Filio Dei manifeste loquitur, præter alia attributa divina etiam hoc ipsi tribuens, quod sit ὑπέρκαιρος, ἄχρονος, *supra tempus, sine tempore*, hoc est, æternus. Nam ea fuit hujus viri apo-

[b] Pag. 12. [§. 3. p. 40.]

stolici simplicitas, ut nequaquam putandus sit lusisse in voce *temporis*, ut postmodum luserunt subdoli Ariani. De auctoritate autem hujus Epistolæ ea paucis dixit clarissimus Isaacus Vossius in notis ad Epistolæ titulum, quæ æquis ingeniis satisfaciant. Sed doctissimus Pearsonus noster in Proœmio ad Vindicias Epistolarum S. Ignatii cap. 6.[c] ea de re fusius disserens, singularem Usserii opinionem ita refutavit, ut, quin Epistola illa inter eas numerari debeat, quæ Eusebii temporibus pro Ignatianis habitæ fuere, nullus jam restet dubitandi locus. Porro idem Ignatius in Epistola ad Magnesios disertissime Filii æternitatem prædicat his verbis[d]; Εἷς Θεός ἐστιν, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. i. e. (juxta versionem veteris interpretis Usseriani, quem ubique fere sequor,) "Unus Deus est, qui manifestavit se-"ipsum per Jesum Christum Filium ipsius, QUI EST "IPSIUS VERBUM ÆTERNUM, NON A SILENTIO "PROGREDIENS."

4. Haud me fugit esse, qui ex hoc loco contendunt, hasce Epistolas Ignatii non esse; siquidem verba illa, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, "non a silentio pro-"grediens," proprium Valentini, ut ipsis videtur, perstringunt errorem, vivente Ignatio nondum exortum. Ad hanc autem objectionem reverendus admodum Pearsonus noster (post Usserium, Vossium et Hammondum, quorum dicta Dallæo aliisque, suarum partium studio nimium addictis, haud satisfecerant) prolixius responsurus, has quatuor assertiones sibi demonstrandas proponit; 1. Verba illa, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, hæresim Ebionitarum ferire;

[c] Pag. 21. et seqq. [d] Pag. 34. [§. 8. p. 19.]

2. Verba illa ad Valentinum omnino non spectare; 3. Hæresim, quæ verbis istis feriri putatur, Valentino fuisse antiquiorem et a veteribus Gnosticis acceptam; 4. Probari certo non posse, ipsos Valentini errores Ignatio fuisse penitus incognitos. Et in his tractandis eruditionem suam omnigenam, imprimis vero antiquitatis ecclesiasticæ summam peritiam ita expandit, ut propterea doctis et piis omnibus merito in honore atque admiratione sit; eaque adeo dicit, præsertim in probatione tertiæ assertionis, quæ ad refellenda Blondelli et Dallæi cavilla omnia abunde sufficiant. Cogor tamen a doctissimo Patre, quem summopere colo et revereor, in aliquibus dissentire; ipsiusque humanitatem et candorem summisse exoro, 175
ut mihi liceat meam de celebri Ignatii loco sententiam libere proponere; præsertim cum, ut id faciam, ad maximi momenti veritatem, quam explicamus, confirmandam plurimum intersit. Persuasum habeo, Ignatium in verbis allatis, et in tota perioche ad quam verba illa pertinent, neque Valentinianos, neque Ebionæos respicere; sed Judaizantes illos Gnosticos, quorum princeps erat Cerinthus, (qui Valentino longe anterior, adeoque ipsis apostolis coævus fuit; cujusque hæresis ecclesias Asiaticas Ignatii temporibus maxime turbavit,) omnino perstringere. Cujus sententiæ meæ rationes priusquam proferam, visum est Ignatiani sermonis contextum integrum hic recitare, quo res clarius patefiat.

5. Ita igitur vir sanctus Magnesios suos alloquitur[e]: Πάντες οὖν ὡς εἰς (ἕνα) ναὸν συντρέχετε Θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ὡς ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀφ' ἑνὸς Πατρὸς προελθόντα, καὶ εἰς ἕνα ὄντα καὶ χωρήσαντα. μὴ πλα-

[e] Pag. 34, 35. [§. 7. p. 19.]

νᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, μηδὲ μυθεύμασιν τοῖς παλαιοῖς ἀνωφελέσιν οὖσιν. εἰ γὰρ μέχρι νῦν κατὰ νόμον Ἰουδαϊσμὸν ζῶμεν[f], ὁμολογοῦμεν χάριν μὴ εἰληφέναι. οἱ γὰρ θειότατοι προφῆται κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ἔζησαν· διὰ τοῦτο καὶ ἐδιώχθησαν, ἐμπνεόμενοι ὑπὸ τῆς χάριτος αὐτοῦ, εἰς τὸ πληροφορηθῆναι τοὺς ἀπειθοῦντας, ὅτι εἷς Θεός ἐστιν, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, ὃς κατὰ πάντα εὐηρέστησεν τῷ πέμψαντι αὐτόν. εἰ οὖν οἱ ἐν παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντες εἰς καινότητα ἐλπίδος ἦλυθον, μηκέτι σαββατίζοντες, ἀλλὰ κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες, ἐν ᾗ καὶ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν δι' αὐτοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ὅν τινες ἀρνοῦνται, (δι' οὗ μυστηρίου ἐλάβομεν τὸ πιστεύειν, καὶ διὰ τοῦτο ὑπομένομεν ἵνα εὑρεθῶμεν μαθηταὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μόνου διδασκάλου ἡμῶν·) πῶς ἡμεῖς δυνησόμεθα ζῆσαι χωρὶς αὐτοῦ; οὗ καὶ οἱ προφῆται μαθηταὶ ὄντες, τῷ πνεύματι ὡς διδάσκαλον αὐτὸν προσεδόκουν, καὶ διὰ τοῦτο ὃν δικαίως ἀνέμενον, παρὼν ἤγειρεν αὐτοὺς ἐκ νεκρῶν. μὴ οὖν ἀναισθητῶμεν τῆς χρηστότητος αὐτοῦ. ἂν γὰρ ἡμᾶς μιμήσεται[g] καθὰ πράσσομεν, οὐκ ἔτι ἐσμέν· διὰ τοῦτο μαθηταὶ αὐτοῦ γενόμενοι, μάθωμεν κατὰ Χριστιανισμὸν ζῆν. ὃς γὰρ ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλέον τούτου, οὐκ ἐστιν τοῦ Θεοῦ. ὑπέρθεσθε οὖν τὴν κακὴν ζύμην τὴν παλαιωθεῖσαν καὶ ἐνοξίσασαν, καὶ μεταβάλεσθε εἰς νέαν ζύμην, ὅ ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. ἁλίσθητε ἐν αὐτῷ, ἵνα μὴ διαφθαρῇ τις ἐν ὑμῖν, ἐπεὶ ἀπὸ τῆς ὀσμῆς ἐλεγχθήσεσθε. ἄτοπόν ἐστιν Χριστὸν Ἰησοῦν καλεῖν, καὶ Ἰουδαΐζειν. ὁ γὰρ Χρι-

[f] Leg. Ἰουδαισμοῦ, vel vox omnino omittenda. Vide Vossii notas in locum.

[g] Τιμήσεται, *æstimet*, legendum, in margine notavit auctor doctissimus, conjecturam Vedelii et Isaaci Vossii secutus. Sed quid si ex cod. Nydprucciano interpolatæ hujus Epistolæ reponas μωμήσεται, *reprehendat*, vel μισήσεται, ex Clementis Alex. Pædagog. I. 8. p. 113. [p. 135.] ubi hæc Ignatii verba, uti videtur, imitatus scribit, εἴ τι ἄρα μισεῖ ὁ λόγος, βούλεται αὐτὸ μὴ εἶναι. GRABE.

στιανισμὸς οὐκ εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἐπίστευσεν, ἀλλὰ Ἰουδαϊσμὸς εἰς Χριστιανισμὸν, ὡς πᾶσα γλῶσσα πιστεύσασα εἰς Θεὸν συνήχθη. ταῦτα δὲ, ἀγαπητοί μου, οὐκ ἐπεὶ ἔγνων τινὰς ἐξ ὑμῶν οὕτως ἔχοντας, ἀλλ', ὡς μικρότερος ὑμῶν, θέλω προφυλάσσεσθαι ὑμᾶς, μὴ ἐμπεσεῖν εἰς τὰ ἄγκιστρα τῆς κενοδοξίας, ἀλλὰ πεπληροφορῆσθαι ἐν τῇ γεννήσει, καὶ τῷ πάθει, καὶ τῇ ἀναστάσει τῇ γενομένῃ ἐν καιρῷ τῆς ἡγεμονίας Ποντίου Πιλάτου, πραχθέντα ἀληθῶς καὶ βεβαίως ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἧς ἐκτραπῆναι μηδενὶ ὑμῶν γένοιτο. i. e. (juxta versionem interpretis Usseriani veteris,) "Om-
" nes ut in unum templum concurrite Dei, ut in
" unum altare, in unum Jesum Christum, ab uno
" Patre exeuntem, et in unum existentem et rever-
" tentem. Non erretis extraneis opinionibus, neque
" fabulis veteribus, inutilibus existentibus. Si enim
" usque nunc secundum Judaismum vivimus, confi-
" temur gratiam non recepisse. Divinissimi enim
" prophetæ secundum Christum Jesum vixerunt.
" Propter hoc et persecutionem passi sunt, inspirati
" a gratia ipsius, ad certificare impersuasos, quoniam
" unus Deus est, qui manifestavit se ipsum per Je-
" sum Christum Filium ipsius, QUI EST IPSIUS VER-
" BUM ÆTERNUM, NON A SILENTIO PROGRE-
" DIENS, qui secundum omnia bene placuit mittenti
" ipsum. Si igitur in veteribus rebus conversati in
" novitatem spei venerunt, non amplius sabbatizan-
" tes, sed secundum Dominicam viventes, in qua et
" vita nostra orta est per ipsum et mortem ipsius,
" quod[h] quidam negant; per quod mysterium acce-
" pimus credere, et propter hoc sustinemus, ut in-
" veniamur discipuli Jesu Christi, solius doctoris
" nostri; quomodo nos poterimus vivere sine ipso?
" cujus et prophetæ discipuli existentes, spiritu ip-

[h] L. quam.

" sum ut doctorem expectabant; et propter hoc
" quod juste expectabant, præsens suscitavit ipsos
" ex mortuis. Non igitur non sentiamus benignita-
" tem ipsius; si enim nos persequatur secundum
" quod operamur, non amplius sumus. Propter hoc
" discipuli ejus effecti, discamus secundum Christia-
" nismum vivere; qui enim alio nomine vocatur
" amplius ab hoc, non est Dei. Deponite igitur ma-
" lum fermentum inveteratum et exacuens; et trans-
176 " ponite in novum fermentum, qui est Jesus Chri-
" stus. Salificemini in ipso, ut non corrumpatur
" aliquis in vobis, qui[i] ab odore redarguemini. In-
" conveniens est Jesum Christum perfari, et Judai-
" zare. Christianismus enim non in Judaismum
" credidit, sed Judaismus in Christianismum, ut
" omnis lingua credens in Deum congregaretur.
" Hæc autem, dilecti mei, non quia cognovi aliquos
" ex vobis sic habentes; sed ut minor vobis, volo
" præservari vos, ut non incidatis in hamos vanæ
" gloriæ; sed certificemini in nativitate et passione
" et resurrectione, facta in tempore ducatus Pontii
" Pilati; quæ facta sunt vere et firmiter a Jesu
" Christo, spe nostra; a qua averti nulli vestrum
" fiat."

6. Hic contextus orationis apertissime demonstrat, eosdem omnino hæreticos a capite sermonis ad calcem usque designari. Quinam vero hæretici illi? de Valentinianis non agi (quod somniarunt Blondellus et Dallæus) certissimum est; siquidem ex tota perioche liquet, hæreticos, quos ferit Ignatius, Judaismum professos fuisse; quod de Valentinianis nemo veterum prodidit, nemo recentiorum (quod sciam) vel fando inaudivit. De suis vero

[i] L. quia. GRABE.

heterodoxis ait Ignatius, ipsos "secundum Judais-
"mum vixisse, sabbatizasse, dum Jesum Christum
"profitebantur, tamen Judaizasse, &c." Ad hoc ar-
gumentum a R. Pearsono adductum nihil respondit
ejus observator; neque sane quicquam solidi respon-
dere unquam poterit. Jam ad Ebionæos quod attinet, quanquam Judaismi nota in ipsos quadret, cætera tamen omnia Gnosticis aptius conveniunt; quædam vero de aliis quam Gnosticis intelligi nequeunt. Nam primo verba illa, quibus Magnesios hortatur Ignatius, "ut concurrant ut in unum Jesum Chris-
"tum, ab uno Patre exeuntem, et in unum exis-
"tentem et revertentem," hæc, inquam, verba Gnosticos, imprimis Cerinthianos, aperte feriunt. Nam Cerinthiani non in unum Jesum Christum crediderunt; sed alium esse Jesum, alium Christum (a summa principalitate in Jesum post baptisma venientem, iterumque a Jesu ante passionem ipsius ad suum pleroma revertentem) docuerunt. Neque ipsi unum Patrem Jesu Christi agnoverunt; sed Jesu Patrem Demiurgum, sive mundi Fabricatorem, Christi superiorem potestatem professi sunt, quemadmodum infra ex Irenæo ostendemus. Deinde cum mox ab Ignatio Veteris Test. prophetæ dicuntur "inspirati
"a gratia Christi ad persuadendum incredulis, quod
"unus sit Deus, qui manifestavit seipsum per Jesum
"Christum Filium ipsius," hic iterum Gnostici non obscure perstringuntur. Nam illi omnes et soli docuerunt, alium esse Deum mundi Conditorem, alium Deum illum, qui se per Christum Filium hominibus patefecit. Præterea ad ipsam Ignatii, de qua quæritur, sententiam quod attinet, quanquam facile concesserim, verba, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν, per exegesin addita esse ad explicationem eorum, quæ de Verbi

æternitate præcesserant; tamen manifestum mihi videtur, ea explicatione Ignatium voluisse pravo alicui conceptui hæreticorum, quos perstringit, de Verbi prolatione, occurrere. At Ebionæi de ista prolatione nihil philosophati sunt; Gnostici vero communiter, et inter ipsos Cerinthiani, perabsurdam ea de re opinionem conceperunt; cui redarguendæ ista Ignatii verba sunt appositissima, uti mox videbimus. Imo omnino existimo, veteres Ebionæos neque ipsum τοῦ λόγου nomen aut vocabulum de Christo usurpasse unquam; utpote qui Evangelium Joannis, ubi Christus ὁ λόγος dicitur, plane rejecerunt, solo eo quod est secundum Matthæum Evangelio utentes, ut diserte testatur Irenæus I. 26. Porro cum Ignatius, postquam admonuerat "non sabbatizandum" (Christianis, sed) "secundum Dominicam vivendum, "in qua et vita nostra orta est per ipsum" (Christum) "et mortem ipsius," continuo subjungit, "quam "quidam negant," non obscure significat, Judaizantes illos hæreticos, quos notat, una cum errore suo, de necessaria legis Mosaicæ observatione, etiam alterum conjunxisse longe pejorem, hoc est, veram Christi passionem ac mortem negasse. Quod quidem de Ebionæis vere dici nequit; de Gnosticis vero Cerinthianis verissime affirmatur, quemadmodum mox ostendemus. Denique conclusio hujus Ignatiani sermonis sententiam nostram apertissime confirmat; "Hæc autem," inquit, "dilecti mei, non "quia cognovi aliquos ex vobis sic habentes, sed, "ut minor vobis, volo præservari vos, ut non in- "cidatis in hamos vanæ gloriæ; sed certificemini in "nativitate et passione et resurrectione, facta in "tempore ducatus Pontii Pilati; quæ facta sunt "vere et firmiter a Jesu Christo, spe nostra; a qua

" averti nulli vestrum fiat." Ex his, inquam, verbis liquido liquet, hæreticos, de quibus in antecedentibus Magnesios suos præmonet Ignatius, esse non Ebionæos, sed Gnosticos. Nam in hæreticorum istorum hamos ne incidant Magnesii, ipsos hortatur, illudque tanquam ἀλεξιφάρμακον contra istorum venena ipsis præscribit Ignatius, ut persuasum habeant, Jesum Christum vere natum et passum fuisse, et vere a mortuis resurrexisse temporibus Pontii Pilati, neque ab hac persuasione se abduci sinant. Hæc autem, inquam, certe nihil ad Ebionæos, ad Gnosticos 177
vero, et Cerinthianos speciatim, quam maxime pertinebant; quippe Gnostici omnes, cujuscunque denominationis fuerint, veram Jesu Christi nativitatem, passionem et resurrectionem revera negarunt, quanquam non eadem omnes ratione. Hoc Irenæus, curiosissimus Gnosticorum doctrinæ explorator, erudite observat III. 11[k]; ubi postquam ostenderat, quomodo Joannes apostolus in ipso evangelii initio Cerinthianos et Nicolaitas perstringat, (quem ipsius sermonem paulo inferius adducemus,) mox ad verba illa cap. i. 14. descendit, demonstrans, neque Cerinthianos illos, neque aliam ullam Gnosticorum sectam, Jesu Christi incarnationem, passionem aut resurrectionem sincere agnovisse: verba ejus hæc sunt; " Secundum autem illos, neque Verbum caro
" factum est, neque Christus, neque qui ex omnibus
" factus est, Salvator. Etenim Verbum et Christum
" nec advenisse in hunc mundum volunt; Salva-
" torem vero non incarnatum, neque passum; de-
" scendisse autem quasi columbam in eum Jesum,
" qui factus esset ex dispositione, et cum annunciasset

[k] Pag. 257, et 258. edit. Feuard. [p. 188.]

" incognitum Patrem, iterum ascendisse in pleroma. " Incarnatum autem et passum quidam quidem eum, " qui ex dispositione sit, dicunt Jesum, quem per " Mariam dicunt pertransisse, quasi aquam per tu- " bum; alii vero Demiurgi Filium, in quem descen- " disse eum Jesum qui ex dispositione sit; alii rur- " sum Jesum quidem ex Joseph et Maria natum " dicunt, et in hunc descendisse Christum, qui de " superioribus sit, sine carne et impassibilem exis- " tentem. SECUNDUM AUTEM NULLAM SENTEN- " TIAM HÆRETICORUM Verbum Dei caro factum " est. Si enim quis regulas ipsorum omnium per- " scrutetur, inveniet quoniam sine carne et impassi- " bilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, et " qui est in superioribus Christus. Alii enim putant " manifestatum eum, quemadmodum hominem trans- " figuratum; neque autem natum, neque incarnatum " dicunt illum; alii vero neque figuram eum as- " sumpsisse hominis, sed quemadmodum columbam " descendisse in eum Jesum, qui natus est ex Maria. " Omnes igitur illos falsos testes ostendens disci- " pulus Domini, ait, *Et Verbum caro factum est,* " *et inhabitavit in nobis.*" Hæc Irenæus. De Ce- rinthianis autem id peculiare tradunt Philastrius, Epiphanius et Augustinus, quod docuerint " etiam " Jesum nondum resurrexisse, sed resurrecturum " aliquando;" nempe, ut arbitror, cum terrestris regni millenium, quod somniarunt, incepturum esset. His addas, quod verba illa Ignatii, " ut non incidatis " in hamos vanæ gloriæ," Gnosticos omnino respicere videantur, qui κενοδοξίας mancipia fuerint. Quippe propter mira sua de Æonibus commenta videri vole- bant isti eruditiores cæteris, spernebantque alios Christianos ut rudiores; indeque Γνωστικῶν nomen

ipsi sibi fecere. Hactenus, ut arbitror, clara sunt omnia.

7. Sed quid, inquies, dicendum de Judaismo, quem suis hæreticis per totam periochen exprobrat Ignatius? annon hæc nota Ebionæorum et Nazaræorum propria fuit? nunquid hæc nota convenit Gnosticis? Respondeo, Omnino; Gnostici enim Cerinthiani, quanquam, ut videtur, revera legem et ritus Judaicos non magni facerent, adeoque de legis auctore intus indigna sentirent; quamdiu tamen potentia Judæorum aliquatenus stetit, indeque gravissimæ Christianis persecutiones passim oborirentur, (hoc est, ad usque ultimum Judæorum excidium sub Adriano, quo tempore Judæorum reliquiæ per Adriani operam, merito ipsis infensissimi, in extremum omnium odium et contemptum venere,) cum Judæis Judaizarunt, quo crucem effugerent. Certe Epiphanius Hæres. 28. Philastrius in Cerintho, et Augustinus de Hæresibus cap. 8. diserte tradunt, Cerinthianos docuisse, "circumcidi oportere, et legem "Mosaicam observare." Epiphanius autem d. l. expresse notat, Cerinthum, cum legem ipse coleret, Angelum tamen Judæorum sive legis datorem adeo non adorasse, ut potius eum malum esse diceret [m], et detestaretur; quanquam non ausus fuerit hoc palam docere et profiteri, quod postmodum Marcion fecit. Unde sequitur, Cerinthum non ex animo Judaizasse; sed ob commoda tantum sua, ut cum Judæis gratiam iniret, et persecutiones ab ipsis excitatas effugeret, legis Mosaicæ zelum præ se tulisse, ut modo observavimus. Hinc plerique e Cerinthia-

[m] *Φάσκει γὰρ τὸν νόμον δεδωκότα οὐκ ἀγαθὸν, οὗ τῷ νόμῳ πείθεσθαι δοκεῖ, δῆλον δὲ ὅτι ὡς ἀγαθῷ. πῶς οὖν ὁ πονηρὸς τὸν ἀγαθὸν νόμον δέδωκεν;* Epiphan. Hær. 28. [p. 111.]

nis, quanquam aliis circumcisionem injungerent, ipsi tamen incircumcisi manserunt. Unde Ignatius in Epistola ad Philadelphenses ipsos perstringit his verbis notatu dignissimis[n]; Ἐὰν δέ τις Ἰουδαϊσμὸν ἑρμηνεύῃ ὑμῖν, μὴ ἀκούετε αὐτοῦ· ἄμεινον γάρ ἐστιν παρὰ ἀνδρὸς περιτομὴν ἔχοντος Χριστιανισμὸν ἀκούειν, ἢ παρὰ ἀκροβύστου Ἰουδαϊσμόν. i. e. "Si quis autem Judaismum
178 "interpretetur vobis, non audiatis ipsum. Melius "est enim a viro circumcisionem habente Christi- "anismum audire, quam ab habente præputium Ju- "daismum." Scilicet ex his verbis liquet, fuisse eo tempore, quo scripta fuit hæc Epistola, (ut ejus antiquitatem Ignatii ætati convenientem agnoscas,) qui, cum ipsi præputiati essent, Judaismum tamen profiterentur, aliisque persuaderent. De his etiam loqui mihi videtur ipse Dominus in Epistola per Joannem, Ignatii magistrum, ad eosdem Philadelphicos missa, Apoc. iii. 9. ubi mentio fit τῶν λεγόντων ἑαυτοὺς Ἰουδαίους εἶναι, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ ψεύδονται· vide et Apoc. ii. 9. In utroque loco hi dicuntur non Judæi, sed synagoga Satanæ; nempe quod cum Israelis et legis Deum a se coli profiterentur, revera tamen ipsum illum Deum, Satanico spiritu instigati, detestarentur et blasphemarent. Quinam vero illi? Ebionæi? minime certe; nam Ebionæi omnes circumcisi erant, atque omnem legem Mosaicam religiosissime observabant. Itaque Gnosticos Cerinthianos omnino his verbis designat Ignatius; de quibus et in verbis ibidem antecedentibus manifeste agit. Quippe hos aperte feriunt verba illa, quæ in ipso perioches initio[o] occurrunt, Πολλοὶ γὰρ λύκοι ἀξιόπιστοι ἡδονῇ κακῇ

[n] [§. 6. p. 31.]

[o] Pag. 40. [i. e. in Epist. ad Philadelph. 2. p. 31.]

αἰχμαλωτίζουσι τοὺς θεοδρόμους· " Multi enim lupi fide " digni" (i. e. qui fide digni videntur) " delecta- " tione mala captivant in Deum cursores." Nam de Cerintho magnus Dionysius Alexandrinus apud Eusebium (Eccl. Hist. VII. 25.) refert, Τοῦτο εἶναι τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ τὸ δόγμα, ἐπίγειον ἔσεσθαι τὴν τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν, καὶ ἣν αὐτὸς ὠρέγετο φιλοσώματος ὢν καὶ πάνυ σαρκικὸς, ἐν τούτοις ὀνειροπολεῖν ἔσεσθαι· γαστρὸς καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα πλησμοναῖς, τουτέστι σιτίοις καὶ ποτοῖς καὶ γάμοις, καὶ δι' ὧν εὐφημότερον ταῦτα ᾠήθη πορισεῖσθαι, ἑορταῖς καὶ θυσίαις καὶ ἱερείων σφαγαῖς. i. e. " Hanc ejus opin- " ionem fuisse, regnum Christi terrenum futurum, " et in iis maxime rebus, quas ipse, utpote omnino " carnalis et voluptatibus corporeis deditus, præ- " cipue concupiscebat, hæsurum; in ventris scilicet, " et eorum quæ sub ventre sunt, satietate, id est, in " cibis ac poculis, in nuptiis, et in iis quibus ista " honestius parari posse existimabat, festis nimirum " et sacrificiis, et hostiarum mactationibus." Idem diu ante Dionysium testatus est vir celebris, Caius presbyter, apud Eusebium Eccles. Hist. III. 28. ubi de Cerintho sic loquitur, Τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος, ἐπεισάγει λέγων, μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ· καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν· καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ Θεοῦ, ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν, λέγει γίνεσθαι. i. e. " Portenta quædam quasi ab an- " gelis sibi ostensa commentus nobis introducit, af- " firmans post resurrectionem regnum Christi in ter- " ris futurum, ac rursus homines Hierosolymis de- " gentes cupiditatibus et voluptatibus corporis servi- " turos. Additque hostis ille divinarum Scriptura- " rum, mille annorum spatium in nuptialibus festis

" transactum iri, quo facilius imperitos homines de-
" cipiat." Scilicet hac Epicuræi (ut ita dicam) millennii sui esca (quam merito κακὴν ἡδονὴν dixit Ignatius) multos ad se discipulos Cerinthus ille attraxit, sive (ut Ignatius iterum loquitur) " in Deum cur-
" sores captivavit." Cum Ignatio ad Philadelphicos scribente pergo. Certe etiam verba ejus ibidem sequentia, Εἴ τις ἐν ἀλλοτρίᾳ γνώμῃ περιπατεῖ, οὗτος τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται, i. e. " Si quis in aliena sententia
" circumambulat, iste passioni non concordat;" hæc, inquam, verba non Ebionem, sed Cerinthum designant, qui, cum Gnosticis omnibus (ut supra ex Irenæo observatum est) Christi Domini passionem revera denegavit.

8. Tandem ad caput rei venio, clare ostensurus, quomodo etiam verba illa Ignatii in Epistola ad Magnesios, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, dogma Cerinthianorum perstringant. Dico igitur Cerinthum de productione τοῦ λόγου prorsus juxta cum Valentino sensisse, ipsique in hæresi ista præivisse; quod et probo disertissimo Irenæi testimonio III. 11.[p] ubi, quomodo verba Joannis in Evangelii sui initio figmenta Gnosticorum, Nicolaitarum imprimis et Cerinthianorum, confodiant, ostensurus Pater doctissimus, ita scribit; " Hanc fidem annun-
" tians Joannes Domini discipulus, volens per Evan-
" gelii annuntiationem auferre eum, qui a CERINTHO
" inseminatus erat hominibus, errorem, et multo
" prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vul-
" sio ejus quæ falso cognominatur scientia, ut con-
" funderet eos, et suaderet, quoniam unus Deus, qui
" omnia fecit per Verbum suum; et non, quemad-

[p] Pag. 257. edit. Feuard. [p. 188.]

" modum illi dicunt, alterum quidem Fabricatorem,
" alium autem Patrem Domini; et alium quidem
" Fabricatoris Filium, alterum vero de superioribus
" Christum, quem et impassibilem perseverasse, de-
" scendentem in Jesum Filium Fabricatoris, et ite-
" rum revolasse in suum pleroma; et INITIUM QUI-
" DEM ESSE MONOGENI [q]; LOGON AUTEM VERUM 179
" FILIUM UNIGENITI; et eam conditionem, quæ
" est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a
" virtute aliqua valde deorsum subjecta, et abscissa
" ab eorum communicatione, quæ sunt invisibilia et
" innominabilia. Omnia igitur talia circumscribere
" volens discipulus Domini, et regulam veritatis con-
" stituere in ecclesia, quia est unus Deus omnipo-
" tens, qui per Verbum suum omnia fecit, et visi-
" bilia et invisibilia; significans quoque, quoniam
" per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem,
" in hoc et salutem his qui in conditione sunt præ-
" stitit hominibus; sic inchoavit in ea quæ est se-
" cundum evangelium doctrina, *In principio erat*
" *Verbum*, &c." Observa hic, lector, Cerinthianorum cum Valentinianis consensum; primo Cerinthiani, non minus quam Valentiniani, plures virtutes, multa *invisibilia* et *innominabilia*, hoc est, multos Æonas, inter primum Deum et mundi Fabricatorem statuerunt. Deinde utrique pariter inter suos Æonas τὸν λόγον numerarunt. Porro utrique Logon non ex primo Deo immediate, sed a Monogene sive Nu derivarunt. Denique utrique perinde τοῦ λόγου æternitatem negarunt. De Valentinianis constat; de Cerinthianis vero diserte hic testatur Irenæus, quod initium tribuerint ipsi Monogeni, quem Logi Patrem dixerunt.

[q] Leg. *Monogenem*. GRABE. [Ita in textu editor Benedict.]

9. Ad σιγὴν vero quod attinet, quis non facile (ac sine teste) crediderit, Cerinthianos, ut cum Valentinianis Logon ex Monogene deduxerunt, ita Monogenem quoque e Sige derivasse? præsertim cum expresse dicat Irenæus, Cerinthum tribuisse etiam ipsi Monogeni initium. Nam hinc sequitur, juxta Cerinthum, alium Æonem, seu potius Æonas alios, Monogenem præcessisse. Quinam vero illi Æones, nisi Bythus et Sige? certe constat (quicquid contra obtendat Observator in Pearsonum) Monogenem a Gnosticis omnibus, qui illum inter suos Æonas numerarunt, ideo Monogenem appellatum fuisse, quod ipse solus ex prima omnium συζυγίᾳ proxime et immediate genitus fuerit. Deinde hic ipse locus auctoris Epistolæ ad Magnesios (quem ipsum fuisse Ignatium, aliunde validissimis argumentis demonstrarunt eruditi) ad hoc probandum apud æquos arbitros sufficiat. Nam hisce ipsius verbis, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν, Valentinianos neutiquam designari, Cerinthianos vero omnino perstringi, jam satis luculenter, ut opinor, demonstravimus. Docuit igitur alius præter Valentinum, docuit Cerinthus nominatim, Valentino antiquior, Logon a Sige prodiisse. Præterea Gnostici, qui Logon inter suos Æonas posteriores reposuere, ejusque æternitatem negarunt, (quod fecisse Cerinthianos expresse testatur Irenæus loco a nobis supra laudato,) ii omnes Verbum a Silentio progressum docuisse consequenter et necessario dicendi sunt. Quid enim aliud (te obsecro) Gnosticis omnibus ὁ λόγος quam Sermo Dei vocalis? [r] Sermo autem Dei vocalis, si non nisi post infinita retro sæcula extitit et productus

[r] Vide testimonium Irenæi ex lib. II. c. 48. citatum infra §. 13.

fuit, omnino sequitur, per infinita illa retro sæcula Deum siluisse, sive silentium apud Deum fuisse; ac tandem vocalem Dei Sermonem quasi erupisse. Hoc vero illud ipsum est, quod rejicit Ignatius, dum negat λόγον ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν. Irrefragabile esse hoc argumentum facile videbit, quisquis ipsum pressius atque attentius expenderit. Denique Cerinthianos et Bythum et Sigen inter suos Æonas numerasse, diserte testatur auctor fide dignissimus, Gregorius Nazianzenus Orat. XXIII.[s] Ἦν ὅτε, inquit, γαλήνην εἴχομεν ἀπὸ τῶν αἱρέσεων, ἡνίκα Σίμωνες μὲν καὶ Μαρκίωνες, Οὐαλεντῖνοί τέ τινες καὶ Βασιλεῖδαι καὶ Κέρδωνες, Κήρινθοί τε καὶ Καρποκράτεις, καὶ πᾶσα ἡ περὶ ἐκείνους φλυαρία τε καὶ τερατεία, ἐπὶ πλεῖστον τὸν τῶν ὅλων Θεὸν τεμόντες, καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ τῷ δημιουργῷ πολεμήσαντες, ἔπειτα κατεπόθησαν τῷ ἑαυτῶν βύθῳ, καὶ τῇ σιγῇ παραδοθέντες, ὥσπερ ἦν ἄξιον. i. e. "Fuit quondam "illud tempus, cum ab hæresium procellis tranquilla "omnia habebamus, cum videlicet Simones, et Mar- "ciones, et Valentini, et Basilidæ, et Cerdones, CE- "RINTHI etiam et Carpocrates, cum omnibus ipso- "rum nugis et præstigiis, posteaquam rerum om- "nium Deum perdiuturno tempore secuissent, bel- "lumque pro Bono adversus Creatorem gessissent, "SUOMET, ut æquum erat, PROFUNDO absorpti, ac "SILENTIO traditi fuerunt." Animadvertis, Cerinthianos nominatim inter eos Gnosticos recenseri, qui suum habuere Bythum, et Sigen suam.

10. Pudet cavillationem referre, qua luculentum hoc Nazianzeni testimonium, a Pearsono adductum, eludere conatur auctor, qui in ejus Vindicias Observationes scripsit. "Nemo," inquit[t], "non videt "Gregorium hoc solum velle, hæreses a se memora-

[s] Tom. I. p. 414. [Orat. XXV. 8. p. 459-60.]

[t] Pag. 194. [De hoc auctore vide supra ad pag. 57.]

180 " tas evanuisse tandem, nullamque prorsus ecclesiæ " molestiam creare; ideoque scribit *Profundo ab-* " *sorptas ac silentio traditas fuisse*, allusione vide- " licet facta ad Profundum et Silentium Valentini, " cui illiusque sectatoribus competunt hæc ultima " Nazianzeni verba, non autem cæteris quos nomi- " nat hæreticis." Atqui aperte falsum est, postrema Nazianzeni verba solis Valentinianis competere. Quippe Nazianzenus, postquam non modo Valentinum, sed et Simonem, Marcionem, Basilidem, Cerdonem, Cerinthum etiam et Carpocratem nominasset, de his omnibus ait, ipsos cum omnibus suis nugis et præstigiis SUO (N. B.) Profundo absorptos ac silentio traditos fuisse; quæ allusio plane absurda foret, atque elegantissimo scriptore prorsus indigna, nisi et cæteri hæretici, ab ipso nominati, juxta cum Valentino suum Bythum et Sigen habuissent. Præterea si illud tantum voluit Nazianzenus, hæreticos a se memoratos evanuisse tandem, sine respectu ad Bythum et Sigen, de quibus illi omnes philosophati essent, cur, quæso, non similiter loquitur de cæteris hæreticis, quos ibidem recenset? cur non ipsos quoque cum Simone, Valentino, Basilide, Cerintho, &c. in eodem (ut ita dicam) prædicamento collocat? Nimirum hæc apud Nazianzenum continuo sequuntur; *Μοντανοῦ δὲ τὸ πονηρὸν πνεῦμα, καὶ τὸ Μανοῦ σκότος, καὶ ἡ Ναυάτου θρασύτης ἢ καθαρότης, Σαβελλίου τε ἡ κακὴ συνηγορία τῆς μοναρχίας εἶξε καὶ ὑπεχώρησεν.* i. e. " Montani autem malus spiritus, et Manis tenebræ, " et Novati temeritas dicam an puritas? et Sabellii " mala monarchiæ assertio, cesserunt, seseque sub- " duxerunt." Cur non dicit, suo Bytho et Sige tradita fuerunt? ratio in promptu est. Hi postremo et seorsim nominati hæretici Bythum et Sigen, ut

priores, neutiquam venerati sunt. Certe Nazianzenus non temere aut inconsulto, sed attente, vigilanter et accuratius hæc scripsit, unicuique hæresi sua tribuens. Simoni, Marcioni, Valentino, Basilidæ, Cerdoni, Cerintho etiam et Carpocrati, quos simul in priori sententia complectitur, suum Bythum et Sigen ascribit; quia illi omnes revera Bythum et Sigen, tanquam primam omnium συζυγίαν, agnoverunt. De Montano et reliquis, quos postmodum seorsim recenset, quam apposite scripserit Nazianzenus, ostendet tibi Elias Cretensis in Commentario in locum[u]: "Montanus," inquit, "homo impius et sacrilegus, "furiosam quandam et prostitutæ pudicitiæ fæmi- "nam secum trahens, eo audaciæ prorupit, ut Spiri- "tum Sanctum eam appellaret; quam magnus hic "vir improbum potius spiritum optimo jure appella- "vit; propterea quod pravus et impurus spiritus "domicilium sibi in ea constituisset. Manes autem "materiam et tenebras increatas ac Deo coæternas "esse astruebat. Novatus porro, ecclesiæ Romanæ "presbyter, eos qui in fidei abjurationem incidissent, "ad pœnitentiam minime admittebat. Quin nec "eos, qui post baptismum prolapsi essent, ad pœni- "tentiam sese conferentes, recipiendos esse conten- "debat, nec item bigamos suscipiebat. Quem de "gradu deturbatum orthodoxi Patres, tanquam pœ- "nitentiam rejicientem, ac purum et criminis exper- "tem seipsum docentem, ab ecclesia submoverunt. "Jam de Sabellio quoque in Oratione de dogmate "dictum est, quod in unam Patris personam tres "personas contrahebat; non autem in tribus perso- "nis Deitatis unitatem statuebat." Hæc Elias.

[u] Tom. II. col. 821. [Ad calcem Op. Greg. Naz. ed. Paris. 1630.]

Quemadmodum igitur in posteriori sententia Nazianzenus Montano malum suum spiritum, Mani suas tenebras, Novato suam fictam puritatem, ac denique suam Sabellio malam monarchiam recte tribuit; ita Simoni, Marcioni, Valentino, Cerintho et reliquis in præcedenti sententia simul conjunctis hæreticis non minus apposite suum Bythum et Sigen assignat.

11. Præcipua autem (ni fallor) ratio, quæ Observatorem movit, ut ultima Nazianzeni verba, " suo " profundo et silentio traditi fuerunt," ad solos Valentinianos, non item ad reliquos hæreticos simul cum ipsis nominatos proprie pertinere, contra manifestam ipsius Nazianzeni mentem ac sententiam contenderet, hæc est; quod si postrema illa verba ad singulos hæreticos prius recensitos accommodentur, tum etiam Marcionem suum habuisse Bythum et Sigen, dicendum sit; at pro rato habet Observator, saltem Marcionem nihil quicquam de Bytho et Sige somniasse, imo nullos omnino Æonas agnovisse. Sed hæc mera est Observatoris præsumptio. Nam idem Nazianzenus in Oratione XLIV.[x] Marcionistis non modo Æonas, sed et triginta Æonas (numerum ei parem, quem Valentiniani coluerunt) diserte tribuit. Sic enim ibi scribit; Τὴν ἑβδομάδα τιμῶσιν Ἑβραίων παῖδες, ἐκ τῆς Μωϋσέως νομοθεσίας, ὥσπερ οἱ Πυθαγορικοὶ τὴν τετρακτὺν ὕστερον, ἣν δὴ καὶ ὅρκον πεποίηνται, καὶ τὴν ὀγδοάδα καὶ τριακάδα οἱ ἀπὸ Σίμωνος καὶ Μαρκίωνος, οἷς δὴ καὶ ἰσαρίθμους τινὰς αἰῶνας ἐπονομάζουσι καὶ τιμῶσιν. i. e. " Septenarium numerum ex legis Mosaicæ præ-
" scripto Hebræi in honore habent, quemadmodum
" postea Pythagorei quaternarium, per quem etiam
181 " jurare consueverant, atque octonarium et trice-
" narium Simoniani et Marcionistæ, quibus etiam

[x] [Orat. XLI. 2. p. 732.]

" parem Æonum numerum invocant et honorant." Quis dubitat, quin Nazianzenus ex quibusdam Marcionis seu Marcionitarum scriptis illud hauserit? præsertim cum eadem de Marcionistis tradiderint Elias Cretensis et Nicetas[y], qui in Nazianzenum Commentarios scripserunt. Sed Observator hic, pro solita sua modestia, et ipsum Nazianzenum imprudentiæ, utrumque vero ejus scholiasten crassissimæ ignorantiæ arguit; quod ea Marcionistis tribuerint, quæ revera Valentinianis conveniebant. Quasi scilicet eadem commenta non poterant esse et Marcionistis et Valentinianis communia; aut quasi Nazianzenus, Elias Cretensis et Nicetas non intellexerint, Valentinum quidem primum triginta Æonas coluisse; Marcionem vero postea ista ejus deliramenta amplexum fuisse. Imo hoc diserte monet Elias Cretensis, idemque a Nazianzeno agnitum fuisse observat. Quippe in Notis ad Nazianzeni Orationem XXIII. postquam de prima Ogdoade Æonum locutus fuerat, sic porro scribit[z]: " Marcionistæ vero, " adaucto morbo, tricenarium numerum venerabantur, ob triginta Æonas, quos ipsi colebant. Hoc " enim deliri homines aiebant, quod ex iis Æonibus, " qui apud Simonianos essent, Sermo quidem et " Vita Æones decem rursum produxissent; Homo " autem et Ecclesia duodecim alios Æonas; qui quidem ad octo eos, quos modo recensuimus, adjuncti, " tricenarium numerum efficiunt. Supervacaneum " autem fuerit eorum quoque nomina scribere; ita " anilia sunt et aspernanda. QUIBUS SIMILIA VALENTINUS QUOQUE TRADEBAT. Idque mag-

[y] [Constantinop. Diaconus, claruit anno 1077. Vide Comment. ejus ad calcem Op. Greg. Naz. ed. 1630.]

[z] Pag. 819.

" nus hic vir in Oratione adversus Arianos perspi-
" cuum fecit."

12. Nondum tamen tantæ auctoritati cedet Observator, aut credet, Marcionistas triginta Æonas coluisse. Cur, quæso? scilicet quia altum hac de re apud vetustiores hæreseologos silentium. Fateor quidem Irenæum (quem æmulatus est Tertullianus, ut de Epiphanio, Philastrio, Augustino aliisque hæreseologiæ scriptoribus, qui Nazianzeno juniores fuere, nihil dicam) in libro primo, ubi veterum hæreticorum placita ex professo recenset, de Marcione agentem c. 29.[z] nihil ejusmodi ipsi tribuisse; et hinc fidenter concludit Observator, magnum Nazianzenum cum suis scholiastis omnino errasse. Sed omnino frustra est ipse Observator; nam Irenæus eodem in libro de Cerintho cap. 25.[a] et de Nicolaitis cap. 27.[b] agens, nullos eorum Æonas commemorat; ut neque de ipsorum Æonibus quicquam dicit Tertullianus. An hinc colligendum, neque Cerinthianos, neque Nicolaitas, ullos Æonas agnovisse? Nugæ! nam ipse Irenæus obiter alio in loco, quem supra laudavimus, diserte contrarium testatur. Res est; Irenæus in libro illo primo solorum Valentinianorum dogmata omnia (utpote adversus quos præcipue scripsit, quique maxime antiquiorum Gnosticorum deliramenta interpolarunt et auxerunt) accurate describit; ubi autem de cæteris hæreticis agit, fere tantum τὰ ἴδια ipsorum placita commemorat. Hinc altum illud ibidem de Æonibus Nicolaitarum et Cerinthianorum, de quo dixi, silentium; qui tamen, ipso alibi Irenæo teste, docuerunt, Logon esse Filium Monogenis, ipsumque adeo Monogenem aliunde initium habuisse: scilicet hoc illorum dogma ipsis

[z] [Cap. 27. 2. p. 106.] [a] [cap. 26.] [b] [cap. 26. 3.]

cum aliis Gnosticis commune fuit. Imo de Cerintho illud apprime observandum, Irenæum neque ejus notissimum errorem de observatione legis Mosaicæ ibidem memorasse; ob eandem scilicet rationem, quod hunc errorem juxta cum ipso erraverit Ebion. Ita igitur prorsus cum ad Marcionem venit c. 29. de ejus Æonibus totus silens, tantum peculiaria ipsius dogmata recenset. Ex quibus hoc præcipuum fuit, Deum illum, qui a lege et prophetis annuntiatus est, non modo alium esse a summo Deo, ipsique longe inferiorem, (quod priores Gnostici omnes docuerunt,) sed et malum esse et mali auctorem, ut ibidem testatur Irenæus. Qui etiam in fine ejusdem capitis dicit, Marcionem " solum manifeste ausum " fuisse circumcidere Scripturas, et impudorate su- " per omnes obtrectare Deum."

13. Illud tamen addendum, quod ipse Irenæus alibi non obscure doceat, Marcionem fuisse hactenus Valentini ὁμοδοξον, ut de Logi productione de Bytho et Sige prorsus cum ipso senserit. Nam in libri II. 48.[c] vir sanctus et eruditus ita Gnosticos affatur; " Propheta quidem ait de eo," (nempe de Filio Dei,) " *Generationem ejus quis enarrabit?* Vos autem " generationem ejus ex Patre divinantes, et VERBI " HOMINUM PER LINGUAM FACTAM PROLATIO- " NEM TRANSFERENTES IN VERBUM DEI, juste " detegimini a vobis ipsis, quod neque humana nec " divina noveritis. Irrationabiliter autem inflati, au- " daciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis; " quandoquidem et Dominus ipse Filius Dei ipsum 182
" judicii diem et horam concessit scire solum Pa- " trem, manifeste dicens, *De die autem illa et hora* " *nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus.* Si igitur

[c] [Cap. 28. 5. p. 157.]

" scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad " Patrem; neque nos erubescimus [d], quæ sunt in " quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo; " nemo enim super magistrum est. Si quis itaque " nobis dixerit, Quomodo ergo Filius prolatus a Pa- " tre est? dicimus ei, quia prolationem istam, sive " generationem, sive nuncupationem, sive adaper- " tionem, aut quomodo libet [e] quis nomine vocaverit " generationem ejus inenarrabilem existentem, nemo " novit, non Valentinus, non MARCION, neque Sa- " turninus, neque Basilides, &c. Inenarrabilis itaque " generatio ejus cum sit, quicumque nituntur gene- " rationes et prolationes enarrare, non sunt compo- " tes sui, ea quæ inenarrabilia sunt enarrare pro- " mittentes. Quoniam enim ex COGITATIONE ET " SENSU verbum emittitur, hoc utique omnes sciunt " homines." Hic Irenæus manifeste impugnat hæreticos, quicunque inenarrabilem τοῦ λόγου generationem enarrare ausi sunt ex trivio petitis comparationibus; dicentes scilicet, Verbum Dei ex Patre generari ad instar verbi hominis per linguam prolati; et Verbum divinum, plane quemadmodum humanum, *ex cogitatione et sensu* (quibus verbis ἔννοιαν, sive σιγὴν, et νοῦν exprimere solitum esse Irenæi interpretem constat) emitti. Ex hæreticis autem Gnosticis ita ineptientibus nominatim perstringit non modo Valentinum, Saturninum et Basilidem, sed et Marcionem, quem etiam cum Valentino proxime conjungit; nimirum quod ille non tantum de prima tetrade cum Valentino senserit, (ut Cerinthus, Saturninus, Basilides et alii Gnostici, Valentino priores,) sed etiam ejus triginta Æonum pleroma integrum

[d] [Alii melius, *erubescamus.*] [e] Al. melius, *quolibet.* GRABE.

amplexus et veneratus fuerit, quemadmodum Gregorius Nazianzenus et eruditi ejus scholiastæ diserte testantur. Saltem illud ex hoc Irenæi loco clare colligitur, Marcionem juxta cum Valentino sensisse et docuisse, Verbum Dei ex Patre generari ad instar verbi humani per linguam prolati, et Verbum divinum, sicut hominis verbum, ex cogitatione et sensu (hoc est, ex *ennœa*, sive *sige*, et *nu*) emitti. Nisi enim ita res haberet, nulla ratio excogitari possit, cur Irenæus in hac reprehensione hæreticorum ita delirantium Marcionem nominatim notaret, ipsumque adeo cum Valentino proxime, ut dixi, conjungeret. Res manifesta est. Porro Bythum et ejus pleroma, Demiurgo superius, agnovisse Marcionem, alibi satis aperte nos docet idem Irenæus. Nam in cap. 1. lib. II. (cujus argumentum est, " quod neque extra " pleroma sit universorum Deus, neque extra pleni- " tudinem ejus esse aliquid, neque quidem duos esse " Deos, immenso intervallo ab invicem distantes, " &c." ea, quæ adversus Valentinianos præcipue scripsit, sic Marcionistis accommodat; " Similiter " autem," inquit, " hæc et adversus eos, qui sunt a " Marcione, aptata sunt. Continebuntur enim et cir- " cumfinientur et duo dei ejus ab immenso inter- " vallo, quod separat eos ab invicem. Si autem id, " excogitandi est necessitas [f] secundum omnem par- " tem multos Deos immensa separatione distantes, " ab invicem quidem inchoantes, ad invicem autem " finientes; et illa ratione, qua nituntur docere, su- " per Fabricatorem cœli et terræ esse aliquod ple- " roma aut Deum, eadem ratione utens quisque " adstruet super pleroma alterum esse pleroma, et

[f] Lege, *Sic autem ad excogitandum est necessitas*, &c. GRABE.

" super illud rursus aliud, et super Bythum aliud " pelagus Dei; et a lateribus autem similiter eadem " esse; et sic in immensum excidente[g] sententia, et " semper necessitas erit excogitare altera pleromata, " et alteros Bythos, et nunquam aliquando consis- " tere, semper quærentes alios præter dictos." Hæc Irenæus. Quomodo autem (te obsecro) hæ absurditates Marcionistas premerent, quomodo hæc Irenæi argumentatio; " Illa ratione, qua nituntur docere, " super Fabricatorem cœli et terræ esse aliquod ple- " roma aut Deum, eadem ratione utens quisque " adstruet super pleroma alterum esse pleroma, et " super illud rursus aliud, et super Bythum aliud " pelagus Dei;" quomodo, inquam, hæc argumentatio Marcionistas feriret, nisi illi de Bytho et pleromate ejus, Demiurgo superiori, cum Valentino sensissent? Certe ex hoc Irenæi loco clare patet, Marcionem non modo Bythum, sed et ejus pleroma agnovisse; quin et docuisse, Demiurgum, sive Deum illum qui mundum condidit, extra Bythi pleroma existere, ab ipso longissime dissitum et separatum; quæ sane
183 ipsissima fuere Valentini dogmata. Jam vero, cum tam manifeste significet Irenæus, Marcionem, juxta cum Valentino, Bythi pleroma veneratum fuisse, quis non facile credet Nazianzeno testanti, eundem Marcionem, cum Valentino itidem, triginta Æonas coluisse? scilicet in Bythi pleromate totidem Æonas, Bytho ipso incluso, numeravit Valentinus. Denique cum Valentinus infra Bythi pleroma statuerit locum quendam *medietatis*, quem et *vacuum* appellaverit, ex quo emerserit Demiurgus, infimo in loco positus; in

[g] *Excedente* rectius legendum in marg. notavit doctissimus Bullus. De qua conjectura vide nostram ad istum Irenæi locum Annotationem. GRABE.

hoc etiam cum ipso consensisse Marcionem, diserte testatur idem Irenæus II. 3. "Instabilis igitur," inquit, "qui est secundum eos Bythus, id quod est "hujus pleroma, et Marcionis deus. Siquidem "(quemadmodum dicunt) extra se habet subjacens "aliquid, quod vacuum et umbram vocant; et va-"cuum hoc majus pleromate ipsorum ostenditur. "Instabile est autem et hoc dicere, infra se omnia "continente eo, ab altero quodam fabricatam esse "conditionem. Oportet enim illos necessario va-"cuum aliquid et informe confiteri, in quo fabrica-"tum est hoc quod est universum, infra spiritale "pleroma, &c." Hic satis manifestum est, verba illa, *quemadmodum dicunt*, ad eos omnes referri, de quibus in præcedentibus sermo fuit; atqui ibi non modo Valentiniani notantur, sed et Marcion nominatim perstringitur. Dixit igitur cum Valentinianis Marcion, infra spiritale pleroma vacuum esse aliquid et informe, in quo fabricatum est hoc universum, idque per Fabricatorem a summo Deo alterum. Res est; Pleraque Marcionis dogmata (quicquid statuerint nonnulli ejus discipuli et sectatores, qui varie ejus placita interpolarunt, immutarunt, quædam etiam aperte negarunt) ex priorum Gnosticorum, inprimis Valentini (quo posterior fuit Marcion) deliramentis omnino desumpta fuerunt. Hoc Marcioni proprium erat, quod ipse primus Demiurgum, sive mundi Conditorem, aperta petere blasphemia ausus fuerit, dicendo ipsum esse malum malique auctorem. Verbo dicam, Palam docuit Marcion duos esse deos, nempe Bythum, caput pleromatis spiritalis, et Demiurgum extra pleroma illud existentem; illumque bonum deum, hunc malum appellavit. Cujus impii dogmatis ansam arripuit a

Cerdone magistro suo, de quo sic scribit Irenæus I. 28.[h] Ἐδίδαξε τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν κεκηρυγμένον Θεὸν μὴ εἶναι Πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· τὸν μὲν γὰρ γνωρίζεσθαι, τὸν δὲ ἀγνῶτα εἶναι· καὶ τὸν μὲν δίκαιον, τὸν δὲ ἀγαθὸν ὑπάρχειν. διαδεξάμενος δὲ αὐτὸν Μαρκίων ὁ Ποντικὸς, ηὔξησε τὸ διδασκαλεῖον, ἀπηρυθριασμένως βλασφημῶν. i. e. "Deum eum, qui a lege "et prophetis prædicatus est, Domini nostri Jesu "Christi Patrem haudquaquam esse docuit; hunc "enim notum, illum ignotum; hunc justum, illum "bonum esse. Ei autem succedens Marcion, na-"tione Ponticus, scholam auxit, perfricta scilicet "fronte blasphemans." Cerdon, cum Deum legis et prophetarum bonum esse negarit, justum tamen confessus est; at Marcion ulterius progressus est, "malorum factorem, et bellorum concupiscentem, "et inconstantem quoque sententia, et contrarium "sibi ipsum dicens," ut refert idem Irenæus initio capitis sequentis. Non obstante igitur hoc de Marcione Observatoris cavillo, manet inconcussa magni auctoritas Nazianzeni, docentis, et Cerinthum et alios Gnosticos, Valentino priores, suum coluisse Bythum et Sigen suam.

14. Cæterum aliis, iisque luculentissimis, veterum testimoniis probavit eruditissimus Pearsonus[i], Sigen a Gnosticis Valentino anterioribus inter suos Æonas agnitam fuisse. Responsiones vero Observatoris ad loca illa nemo sane, qui modo sinceritatem et candorem Christianum amat, legere poterit sine stomacho et indignatione. Nos unum ex istis testimonium hic referemus, atque a sophistæ illius exceptionibus vindicabimus, deinde huic disceptationi coronidem imposituri. De Sige, ab ipso Simone Gnosticorum

[h] [c. 27. p. 105.] [i] Vindic. Part. Post. p. 63, 64, 65.

principe agnita, clarum est Eusebii testimonium de Eccles. Theol. II. 9. Ἀ δὲ Μάρκελλος, inquit, ἐτόλμα ὑποτίθεσθαι, πάλαι μὲν λέγων εἶναι τὸν Θεὸν, καί τινα ἡσυχίαν ἅμα τῷ Θεῷ ὑπογράφων ἑαυτῷ, κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν τῶν ἀθέων αἱρεσιωτῶν ἀρχηγὸν, ὃς τὰ ἄθεα δογματίζων ἀπεφαίνετο λέγων, Ἦν Θεὸς καὶ σιγή· κ. λ. i. e. "Quæ autem "supponere ausus est Marcellus, dicens olim quidem "fuisse Deum, et quietem quandam simul cum Deo "describens, secundum ipsum illum impiorum hæ- "reticorum ducem, qui impia dogmatizans definivit "inquens, *Erat Deus et Silentium*, &c." Respondet primo Observator[k]; "Hæc tanti non sunt, ut putat "Pearsonus; nam de Deo loquitur Eusebius, non "de Bytho, ut Blondellus. Non me latet, Valen- 184
"tinianos, et forte alios quosdam hæreticos, fabulo- "sum suum Bythum pro Deo habuisse, id est, pro "persona divina et nobilioris sexus; sed *Dei* no- "mine insignitum eum non video." Quis non miretur hanc responsionem? Esto enim, de Deo, non de Bytho, loqui hic Eusebium; at de Sige expresse loquitur, imo de Sige, tanquam omnium Deo conjunctissima et coæterna. Aliunde autem certissime cognoscimus, et supra liquido demonstravimus, Gnosticos Valentino antiquiores et Ignatio coævos inter posteriores suos Æonas Logon numerasse; quod nobis sufficit. Neque enim ipse auctor Epistolæ ad Magnesios de Bytho quicquam expresse dicit; sed id tantum in hæreticis suis tacite reprehendit, quod dixerint Logon e Sige prodiisse. Certe autem si modo constet a Gnosticis Valentino anterioribus agnitam fuisse Sigen, idque ut in summo gradu collocatam, et simul constet, Gnosticos Valentini antecessores etiam Logon inter suos Æonas ordine infe-

[k] Pag. 192.

riori positos agnovisse; quis non videt nullius momenti esse Blondelli et aliorum argumentum, qui ex hac Logi e Sige prodeuntis mentione, facta ab auctore Epistolæ ad Magnesios, inferunt, Epistolam illam non esse Ignatii? quia scilicet Logi e Sige derivationem nemo docuit ante Valentinum, qui Ignatii temporibus posterior fuit. Deinde, cum ait Observator, Valentinianos, quanquam fabulosum suum Bythum pro Deo habuerint, id est, pro persona divina et nobilioris sexus, *Dei* tamen nomine ipsum insignivisse se non videre, suo se gladio jugulat. Hinc enim sequitur, de Valentino non loqui hic Eusebium, quod tamen ipse mox affirmat. Si Eliæ Cretensi, doctissimo sane scriptori, multisque præterea veterum monumentis, quæ hodie periere, adjuto[k], potius quam inanibus suis conjecturis et hariolationibus, nullo fundamento nixis, fidem habere velit Observator iste, facile ex ipso dicere poterit, Gnosticos quidem communiter Bythum pro summo rerum omnium Principio agnovisse; haud tamen omnes pariter ipsum *Dei* nomine insignire solitos fuisse; atque hunc loquendi modum fere Simoni et Marcioni solis in frequenti usu fuisse. Nimirum Elias ille in Commentario in Orat. XXIII. Gregorii Nazianzeni, postquam varia Gnosticorum nomina, de Bytho et Sige philosophantium, commemoraverat, deinde hoc de Simone et Marcione peculiariter notat[l]; "Quidam "enim ex ipsis Bythum Deum, atque item Silen- "tium Deum esse dicebant, ut Simon et Marcion." Atque hinc factum esse arbitror, quod Irenæus in loco supra a nobis allato ex lib. II. c. 3. de Valentinianis et Marcione simul locutus, hoc discrimen

[k] [Elias, metropolita Cretensis, claruit anno 787. *Cave.*]

[l] Col. 821.

caste observaverit; "Instabilis igitur," inquit, "qui "est secundum eos" (nempe Valentinianos) "Bythus, id quod est hujus pleroma, et Marcionis "Deus." Cæterum aliud κρησφύγετον habet Observator; "Præterea," inquit, "ponamus, Deum apud "Eusebium eundem esse cum Bytho Irenæi et alio"rum qui de Gnosticis scripserunt; non inde se"quetur, conjugationem Bythi et Siges a Gnosticis "Valentino antiquioribus inter sua figmenta nume"ratam esse; ille siquidem impiorum hæreticorum "princeps ipse Valentinus erit, qui primus juxta "Blondellum hanc Bythi et Siges syzygiam somnia"vit." Verum (præterquam quod de Valentino hic non agi jam satis ostensum est) si quis dubitet, quem per impiorum hæreticorum ducem designet Eusebius, audiat ipsum Eusebium, sese explicantem Eccles. Hist. II. 13. Πάσης μὲν οὖν, inquit, ἀρχηγὸν αἱρέσεως πρῶτον γενέσθαι τὸν Σίμωνα παρειλήφαμεν. i. e. "Sane omnis hæresis ducem primum fuisse hunc "Simonem accepimus." Neque hic loquendi modus Eusebio peculiaris fuit. Nam apud veteres scriptores ecclesiasticos *hæreticorum dux*, sive princeps, tam constanter significat Simonem Magum[m], quam apud profanos auctores Latinos *poetarum princeps* Virgilium designat. Ad locum autem Eusebii quod attinet, quo de quæstio est, nescio sane an quicquam ἐμφατικώτερον dici potuerit verbis illis, "secundum "ipsum illum impiorum hæreticorum ducem," ad designandum singularem aliquem hæreticum, qui impiorum hæreticorum omnium notissimus omnibus dux et princeps fuerit: certe autem is Simon fuit, non Valentinus.

[m] Vide Irenæi I. 20. et 30. [c. 23, 2. et 28.] et Constitut. Apostol. VI. 7.

15. In his ideo diutius immoratus fui, tum quod nobilem Ignatii locum obiter illustrasse operæ pretium duxerim, tum inprimis quod magno ea usui sint ad refellendam Arii hæresim, atque ad Nicænam fidem confirmandam. Nimirum hinc discant Arionanitæ prosapiam suam, hinc suos progenitores ac parentes agnoscant. Impii Gnostici a summo Deo τὸν λόγον primi separabant: et idem faciunt Ariani. Gnostici inter Christianos primi æternitatem τοῦ λόγου negarunt; dicebant enim Silentium præcessisse Logon, ac proinde fuisse, quando Logos non erat; atque idem de Verbo et Filio Dei dicunt
185 Ariani in isto ipsorum celebri effato, Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν· "Erat quando non erat." His deliramentis omnino contraria fuit apostolicorum doctorum sententia, Ignatio teste, teste locupletissimo; quippe docuit contra Cerinthianos Ignatius apostolorum discipulus, atque ab ipsis apostolis, ubi primo ortum est Christianorum nomen, Antiochiæ constitutus episcopus, Christum Filium Dei esse ipsius summi Dei λόγον, non ab inferiori aliquo Æone progenitum, quin et ipsius summi Dei λόγον ἀΐδιον, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθόντα, Verbum æternum, quod nullum silentium præcessit, quod nunquam non erat, quod ipsi Deo Patri coævum fuit. Sic itidem Irenæus, Polycarpi, symmystæ Ignatii, auditor ac discipulus, in Cerintho et Nicolaitis id reprehendit, quod initium tribuerint ipsi Monogeni [n], quem Logi Patrem dixerunt; quin et hanc ipsorum hæresim Joannem apostolum initio sui Evangelii ex professo impugnare asserit, ut supra

[n] Juxta lectionem in edit. Feuardentii; quanquam genuina in nostra edit. p. 218. col. 1. lin. 21. sonet *Monogenem*. GRABE. [Et ita legit edit. Benedict. vide supra p. 489.]

ostendimus. Idem Irenæus passim alios Gnosticos, Cerinthi successores, ob eandem hæresim vehementer exagitat. Ego tantum unum et alterum hujus generis locum illustriorem hic proferam; in libri II. cap. 18.[o] episcopus et martyr Lugdunensis adversus Valentinianos eorumque ὁμοδόξους de generatione τοῦ λόγου ita disserit; "Ab hoc enim" (nempe a Nu, sive Monogene) "Logon et Zoen fabricatores hujus "pleromatis dicunt emissos; et Logi, id est, Verbi, "quidem emissionem ab hominum affectione acci- "pientes, et addivinantes adversus Deum, quasi ali- "quid magnum adinvenientes in eo quod dicunt, a "Nu esse emissum Logon; quod quidem omnes "videlicet sciunt, quoniam in hominibus quidem "consequenter dicatur; in eo autem qui sit super "omnes Deus, totus Nus et totus Logos cum sit, "quemadmodum prædiximus, et nec aliud antiquius "nec posterius, aut aliud anterius[p] habente in se, "sed toto æquali et simili et uno perseverante, jam "non talis hujus ordinationis sequetur[q] emissio." Pauculis interjectis eos reprehendit, "qui lationem[r] "prolativi hominum verbi transferunt in Dei æter- "num Verbum, et prolationis initium donantes et "genesin, quemadmodum et suo verbo. Et in quo "(inquit) distabit Dei Verbum, imo magis ipse Deus, "cum sit Verbum, a verbo hominum, si eandem ha- "buerit ordinationem et emissionem generationis?" Animadvertis, lector, expresse hic docere Irenæum, nihil esse in Deo anterius aut posterius, quin et Gnosticos acriter redarguere, quod lationem prolativi hominum verbi (sic Græca Irenæi vertit fidelis sed barbarus ejus interpres) transtulerint in Dei

[o] [c. 13, 8. p. 131.]
[p] [Ed. Benedict. *alterius.*]
[q] [Al. *sequitur.*]
[r] [*Generationem*, ed. Benedict.]

æternum Verbum, prolationis ipsi initium donantes, quemadmodum et suo verbo. Huic autem loco geminum habemus ejusdem libri cap. 47. in fine [s], ubi sic Gnosticos affatur Irenæus; " Hæc autem cæcitas " et stultiloquium inde provenit vobis, quod nihil " Deo reservetis; sed et ipsius Dei, et Ennœæ ejus, " et Verbi, et Vitæ, et Christi nativitates et prola- " tiones annuntiare vultis; et has non aliunde acci- " pientes, sed ex affectione hominum; et non intel- " ligitis, quia in homine quidem, qui est compositum " animal, capit hujusmodi dicere, sicut prædiximus, " sensum hominis et ennœam hominis; et quia ex " sensu ennœa, de ennœa autem enthymesis, de en- " thymesi autem Logos; (quem autem Logon? aliud " enim est secundum Græcos Logos, quod est prin- " cipale quod excogitat; aliud organum, per quod " emittitur Logos;) et aliquando quidem quiescere et " tacere hominem, aliquando autem loqui et operari. " Deus autem cum sit totus mens, totus ratio, et to- " tus Spiritus operans, et totus lux, et semper idem " et similiter existens, sicut et utile est nobis sapere " de Deo, et sicut ex Scripturis discimus, non jam " hujusmodi affectus et divisiones decenter erga eum " subsequentur. Velocitati enim sensus hominum " propter spiritale ejus non sufficit lingua deservire, " quippe carnalis existens; unde et intus suffocatur [t] " verbum nostrum, et profertur non de semel, sicut " conceptum est a sensu; sed per partes secundum " quod lingua subministrare prævalet." In his verbis Irenæus Gnosticorum somnia, de Filii generatione, redarguens, duplicem inprimis notat differentiam inter Verbi divini et humani prolationem. Pri-

[s] [c. 28, 4. p. 157.]

[t] Al. *suffugatur.* GRABE.

mo, verbum humanum præcedit silentium, hoc est, prius silet homo, deinde loquitur; neque hominis interno conceptui ejus verbum coexistit: atqui de Deo longe aliter philosophandum; quippe qui sit pura mens, semper idem et similiter existens, neque ejusmodi affectiones et divisiones patiatur; proinde non prius ille silet, deinde loquitur; sed ejus Verbum 186
ipsi coæternum est. Hoc omnino voluit Ignatius, cum de Christo, Gnosticos Cerinthianos perstringens, ait, Ὃς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Deinde Verbum humanum non καθάπαξ simul et semel, sed imperfecte et per partes profertur; verum a perfecto Deo non nisi perfectum Verbum, idque uno, ut ita dicam, æternitatis momento progreditur.

16. Cæterum hanc infamem Arianæ hæresis originem intellexit magnus Athanasius, ipsamque adeo Arianis sæpius exprobravit. Sic in Oratione quarta contra Arianos [u], ipsos reprehendit, ut τὰ Οὐαλεντίνου ζηλώσαντας, "Valentini dogmata æmulantes." Et post aliqua [x], Arianos, ideo quod Filium disjungerent a Patre, neque dicerent Patris sui Verbum esse, sed potius creaturam, ita execratur; Ἡ ἀσέβεια Οὐαλεντίνου σὺν ὑμῖν εἴη εἰς ἀπώλειαν. i. e. "Impietas Valentini sit "vobiscum in perditionem [y]." Quam vero Valentini

[u] Pag. 515. [Orat. III. 60. vol. I. p. 608. et 64. p. 613.]

[x] Pag. 516. [65. p. 614.]

[y] Et Orat. II. contra Arianos tom. I. p. 179. edit. Commelin. [Orat. I. 56. vol. I. p. 461.] Αἰσχυνθήσονται μὲν ὡς τὰ Οὐαλεντίνου καὶ Καρποκράτους καὶ τῶν ἄλλων αἱρετικῶν ζηλοῦντες καὶ φθεγγόμενοι· ὧν ὁ μὲν τοὺς ἀγγέλους ὁμογενεῖς εἴρηκε τῷ Χριστῷ· ὁ δὲ Καρποκράτης ἀγγέλους τοῦ κόσμου δημιουργοὺς εἶναι φησί· "Pudeat eos, quod Valentini et "Carpocratis aliorumque hæreticorum imitatores se præbeant "atque eadem sonent; quorum Valentinus angelos *Christo con-* "*generes* pronuntiavit; Carpocrates autem eos *mundi conditores* "appellavit." GRABE.

impietatem vocat, eam Valentino cum aliis Gnosticis ipso anterioribus, adeoque ipsis apostolis coævis communem fuisse, in superioribus liquido demonstravimus. Itaque quæstio, Utrum Nicænorum Patrum an Arii fides tenenda sit, in hanc tandem desinet; An apostolorum doctrina impiorum Gnosticorum, qui apostolicas ecclesias turbarunt, figmentis anteferenda sit, nec ne? puto autem, neminem Christianum diu deliberaturum, utram hic partem sequi debeat. Ut verbo dicam, Ex iis quæ hactenus disseruimus, manifestum est, quæstionem de vera τοῦ λόγου divinitate atque æternitate, inter Nicænos Patres et Arium disputatam, etiam in primæva ecclesia, adeoque in ipsa apostolica ætate, controversam fuisse; nempe inter sceleratissimos mortalium Gnosticos, et catholicos, qui apostolicæ doctrinæ constanter adhæserunt; illis Arii partes (quod in immortalem hæretici illius honorem dictum sit) tutantibus; his vero Nicænam fidem strenue defendentibus. Sequantur igitur Ariani duces illos suos suo periculo; nos apostolica fide contenti erimus.

CAP. II.

187

Justini Martyris, Irenæi, et Clementis Alexandrini doctrina de Filii æternitate explicatur.

1. IGNATIO succedat Justinus. Ex ipso nullum locum proferre potuit, aut certe nullum protulit Jesuita Petavius, qui Filii τῷ συναϊδίῳ repugnat. Nos vero testimonia quædam ex eodem adducemus, quæ coæternam τοῦ λόγου, sive Filii Dei cum Patre suo existentiam apertissime confirment. Hujus generis insignis occurrit locus in Apologia, quæ in vulgatis

editionibus Prima inscribitur, in qua de Deo Patre et Filio ita disserit Justinus [z]; Ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θετὸν, ἀγεννήτῳ ὄντι, οὐκ ἔστιν. ᾧ γὰρ ἂν καὶ ὀνόματι προσαγορεύηται, πρεσβύτερον ἔχει τὸν θέμενον τὸ ὄνομα. τὸ δὲ πατὴρ, καὶ Θεὸς, καὶ κτίστης, καὶ κύριος, καὶ δεσπότης οὐκ ὀνόματά ἐστιν, ἀλλ' ἐκ τῶν εὐποιϊῶν καὶ τῶν ἔργων προσρήσεις. ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτι τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε, Χριστὸς μὲν, κατὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν, λέγεται· ὄνομα καὶ αὐτὸ περιέχον ἄγνωστον σημασίαν· ὃν τρόπον καὶ τὸ Θεὸς προσαγόρευμα οὐκ ὄνομά ἐστιν, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα. Ἰησοῦς δὲ καὶ ἀνθρώπου καὶ σωτῆρος ὄνομα καὶ σημασίαν ἔχει. i. e. "Uni-
" versarum autem rerum Patri, quia ingenitus est,
" nomen impositum non est. Quocunque namque
" demum ille vocetur nomine, vetustiorem se habeat
" eum qui nomen imposuerit. Pater vero, et Deus,
" et Creator, et Dominus, et Herus, non nomina
" sunt, sed a beneficiis et operibus ejus petitæ appel-
" lationes. Porro Filius ejus, qui solus proprie dici-
" tur Filius, Verbum simul cum illo ante creaturas
" et existens et nascens, quoniam[a] primitus per eum
" cuncta condidit et ornavit, Christus quidem ex eo,
" quod unctus sit, et per illum Deus omnia orna-
" verit, appellatur; quod et ipsum nomen est, sig-
" nificationem minime notam complectens; quem-
" admodum et Dei appellatio nomen non est, sed rei
" ineloquibilis naturæ hominum insita opinio. Jesus
" vero et hominis et Servatoris nomen ac designatio-
" nem habet." In his verbis docet Justinus, Deo Patri et Filio nullum proprie nomen competere,

[z] Pag. 44. [Apol. II. 6. p. 92.]

[a] [Vid. Grabii Annotat. ad h. c.]

sed tantum appellationes quasdam, ab ipsorum beneficiis et operibus petitas, ipsis a nobis tribui. Hujus autem assertionis rationem hanc affert; quod Deus Pater ingenitus atque æternus sit, Filius vero ut Verbum ejus ipsi coexistat, ac proinde uterque neminem habeat se antiquiorem, qui ipsi nomen imponeret. Quin et Christi nomen ejus divinitati tribuit Justinus, quasi scil. ὁ λόγος et Filius Dei Deo Patri coexistens, et ex ipso ab æterno nascens, (tanquam scil. æternæ lucis æternus splendor,) tum Christi nomen sortitus fuerit, cum Pater per ipsum cuncta conformaverit ornaveritque. Quam nominis Christi etymologiam ego quidem haud ausim præstare; sed hæc adduco, ad Justini sententiam, de τοῦ λόγου divina, æterna et innominabili (si ita loqui fas sit) natura declarandum. Quanquam et veterum alii sacrosanctum Christi nomen ad divinam ejus naturam retulerint, ut Caius presbyter apud Photium cod. 48. et Gregorius Nazianzenus in Oratione XXXVI.[a]

2. Verba autem hæc Justini, quæ citavimus ex Apologia ad imperatores, clariorem lucem accipient ex collatione eorundem ad illustrem locum in Oratione parænetica ad Græcos[b]; ubi ostendere volens Justinus, Platonem suum τὸ ὂν a Mose didicisse, ita disserit; Ἀκηκοὼς γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ τὸν Θεὸν τῷ Μωϋσῇ εἰρηκέναι, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ὁπηνίκα πρὸς τοὺς Ἑβραίους αὐτὸν ἀποστέλλειν ἔμελλεν, ἔγνω ὅτι οὐ κύριον ὄνομα ἑαυτοῦ ὁ Θεὸς πρὸς αὐτὸν ἔφη. οὐδὲν γὰρ ὄνομα ἐπὶ Θεοῦ κυριολογεῖσθαι δυνατόν. τὰ γὰρ ὀνόματα εἰς δήλωσιν καὶ διάγνωσιν τῶν ὑποκειμένων κεῖται πραγμάτων, πολλῶν καὶ διαφόρων ὄντων. Θεῷ δὲ οὔτε ὁ τιθεὶς ὄνομα προϋπῆρχεν, οὔτε αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζειν ᾠήθη δεῖν, εἷς καὶ μόνος ὑπάρχων· ὡς καὶ αὐτὸς διὰ τῶν ἑαυτοῦ

[a] [Orat. XXX. 21. p. 555.]

[b] Pag. 19. [§. 20. p. 21.]

προφητῶν μαρτυρεῖ, λέγων, Ἐγὼ Θεὸς πρῶτος, καὶ Ἐγὼ μετὰ ταῦτα, καὶ πλὴν ἐμοῦ Θεὸς ἕτερος οὐκ ἔστι. διὰ τοῦτο τοίνυν, 188
ὡς καὶ πρότερον ἔφην, οὐδὲ ὀνόματος τινὸς ὁ Θεὸς ἀποστέλλων πρὸς τοὺς Ἑβραίους τὸν Μωϋσέα μέμνηται, ἀλλὰ διὰ τινὸς μετοχῆς ἕνα καὶ μόνον Θεὸν ἑαυτὸν εἶναι μυστικῶς διδάσκει. Ἐγὼ, γάρ φησιν, εἰμὶ ὁ ὤν. i. e. " Cum enim in Ægypto " audivisset" (Plato,) " Deum Mosi dixisse, *Ego sum* " *existens ille*, quo tempore Mosen ad Hebræos mis- " surus esset, cognovit, Deum proprium nomen suum " Mosi non promulgasse. Fieri namque omnino non " potest, ut proprium aliquod Deo nomen attribua- " tur; propterea quod nomina ad designationem et " discretionem subjectarum rerum imponantur, quæ " variæ sunt et multæ; Deo autem qui nomen in- " deret, nemo ante eum extitit. Neque ipse seipsum " nomine aliquo designare opus esse duxit, unus et " solus existens; quemadmodum de se ipso per pro- " phetas suos ipse testificatur, dicens, *Ego Deus* " *primus, et ego postea, et præter me alius Deus* " *non est.* Quocirca, pro eo atque supra dixi, ad He- " bræos ablegans Mosen Deus nullius meminit no- " minis; sed per participium quoddam, unum se et " solum Deum esse arcane docet, *Ego*, enim inquit, " *sum existens ille.*" Quænam autem vis sit partici- pii, quo se Mosi designavit proprio nomine carens Deus, post aliqua apertissime declarat Justinus. Postquam enim dixerat Mosis τὸν ὄντα idem plane esse quod Platonis τὸ ὄν, subjungit [c], Ἑκάτερον δὲ τῶν εἰρημένων τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ προσήκειν φαίνεται. αὐτὸς γάρ ἐστι μόνος ὁ ἀεὶ ὤν. i. e. " Utrumque vero dictum semper " existenti Deo congruere apparet. Ipse enim solus " est, qui semper existit." Jam vero Filium Dei

[c] Pag. 20. [§. 22. p. 23.]

Iosuæ, qui Mosi e rubo apparuit, dicens, Ego sum existens ille, ipse Justinus in Dialogo cum Tryphone *scriter contendit* [d]. Res est; Descriptio illa Dei apud *Mosen, Ego sum ὁ ὤν,* Deo Patri et Filio, ut uni *Deo,* perinde competit, salvo semper personarum discrimine. Quod egregie ab Justino in loco ex Apologia primum citato explicatur ad hunc modum; *Deus Pater est ὁ ὢν, existens ille,* ut *a se ipso* semper *existens*; Filius vero est *ὁ ὢν, existens ille, ὡς συνὼν καὶ γεννώμενος,* ut Patri *coexistens,* et *ex ipso* ab *æterno nascens.* Cæterum Filius Dei ab Justino alibi *ὁ ἀεὶ, ille semper existens* aperte dicitur, nempe in Epistola ad Diognetum, prope finem [e]; ubi de Filio Deo a Deo Patre in hunc mundum misso sic loquitur philosophus Christianus; *Οἱ πιστοὶ λογισθέντες ὑπ' αὐτοῦ ἔγνωσαν πατρὸς μυστήρια. οὗ χάριν ἀπέστειλε λόγον, ἵνα κόσμῳ φανῇ· ὃς ὑπὸ λαοῦ ἀτιμασθεὶς, διὰ ἀποστόλων κηρυχθεὶς, ὑπὸ ἐθνῶν ἐπιστεύθη. οὗτος ὁ ἀπ' ἀρχῆς, ὁ καινὸς φανεὶς, καὶ——εὑρεθεὶς, καὶ πάντοτε νέος ἐν ἁγίων καρδίαις γεννώμενος. οὗτος ὁ ἀεὶ, σήμερον υἱὸς λογισθείς.* i. e. "Qui "fideles ab eo existimati sunt, cognoverunt Patris "mysteria. Cujus rei gratia Sermonem misit, ut a "mundo conspiceretur; qui a populo contemptus, "apostolorum præconio promulgatus, a gentibus est "creditus. Hic is est qui ab initio fuit, qui novus "apparuit, et —— inventus, et semper novus in "sanctorum cordibus nascens. Hic est ille SEMPER "existens, hodie Filius habitus." Cujus loci (ni fallor) hic est sensus genuinus; habet Filius Dei novas aliquas et recentes quasi nativitates, (quippe mundo primum natus fuit, cum e Patre exiret ad rerum

[d] Pag. 282. [§. 59. p. 156.] Vide et Apol. II. p. 95. 96. [Apol. I. 63. p. 81.]

[e] [§. 11. p. 230.]

omnium creationem; mirum in modum iterum natus est, cum in uterum sacratissimæ Virginis illapsus, suoque plasmati (ut loquitur Irenæus) arctissime unitus, ex ipsa Virgine in hanc lucem partu editus fuerit; denique quotidie nascitur in piorum cordibus, qui ipsum per fidem et charitatem amplectuntur;) nunquam tamen revera novus et recens ipse fuit, sed Filius Dei Patris semper et ab æterno extitit. Huic scilicet loco conferendus omnino est alter Justini locus in Dialogo cum Tryphone, ubi ad verba illa Dei Patris per Davidem, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* hæc annotat[f]; Τότε γένεσιν αὐτοῦ λέγων γίνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ἐξότου ἡ γνῶσις αὐτοῦ ἔμελλε γίνεσθαι. i. e. "Tum nativitatem ejus contin-"gere hominibus affirmans, cum notio ejus contin-"gat." Obiter autem mecum observabis, lector, in loci ex Epistola ad Diognetum citati primis verbis manifeste alludere Justinum ad celebrem Pauli locum 1 Tim. iii. v. ult. ipsumque de Filio Dei incarnato, juxta cum hodiernis catholicis, interpretari. Confer Hermæ locum supra citatum sect. II. 2. 3. [p. 108.]

3. Sed nunc tempus est, ut calumnias, quæ doctissimo scriptori et sanctissimo martyri aspersit Sandius[g], abstergamus. Ait ille, Justinum docuisse, "fuisse aliquando, cum non fuerit id quod genitum "est; (quo quid propius," inquit, "accedit ad tri-"tum illud Arianorum, *Erat quando non erat Fi-"lius?*) *genitum* et *conditum* non re ipsa, sed sola "voce differre; omne enim genitum esse conditum, "et vice versa." Verum ex hoc et ex aliis multis indiciis apparet, Sandium vel nullo judicio, vel spreta conscientia, veterum testimonia citasse. Nam primo

[f] Pag. 316. [§. 88. p. 186.] [g] Enucl. Hist. Eccles. p. 77.

dictum illud posterius, "*genitum* et *conditum* re "ipsa non differre," descripsit ex Quæstionibus et Responsionibus ad Græcos[g]; quod opus omnium eruditorum consensu, ipso Sandio[h] monente, Justino abjudicatur. Verba priora, "fuisse aliquando, cum "non fuerit id quod genitum est," reperiuntur tantum in Eversione dogmatum Aristotelis cap. 20. qui
189 liber etiam a doctis plerisque ut spurius rejicitur. Consule Rivet. Crit. Sac. II. 5. Deinde (quod caput rei est) neutrum illud dictum ad Sandii institutum quicquam facit. Nam in utroque loco auctor, quisquis fuerit, de Filio Dei non agit; sed contra philosophos æternitatem mundi asserentes disputat. Adversus hos hoc pugnat argumento; Mundus est γενητὸς καὶ δημιουργητὸς, "genitus et factus;" (nam vocibus istis, ex Græcorum consuetudine, promiscue utitur;) ergo fuit aliquando, quando non fuerit mundus; certe hæc οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Ac de Justino satis.

4. Sequitur Irenæus. Et hunc quidem paulo superius[i] audivimus, juxta cum Ignatio, Gnosticos æternitatem τοῦ λόγου negantes palam impugnantem. Iis quæ ibi adduximus et hæc luculenta Irenæi testimonia adjicias. In libri III. c. 20.[k] de æterna Filii existentia sic ille scribit; "Exclusa est omnis contra-"dictio dicentium, *Si ergo tunc natus est, non erat* "*ergo ante Christus;* ostendimus enim, quia non "tunc cœpit Filius Dei, EXISTENS SEMPER apud "Patrem; sed quando incarnatus est et homo factus, "longam hominum expositionem in seipso recapitu-"lavit, in compendio nobis salutem præstans." Quibus gemina sunt quæ dixerat lib. II. c. 55. in ipso

[g] Pag. 189. [h] De Vet. Script. Eccles. p. 20.
[i] Vide hujus sect. c. 1. §. 15. [p. 507.] [k] [c. 18, 1. p. 209.]

fine[l]; " SEMPER autem COEXISTENS Filius Patri " olim et ab initio semper revelat Patrem." Sed apertissime Filii æternitatem declarat Irenæus ejusdem libri II. cap. 43.[m] ubi superbam et arrogantem Gnosticorum scientiæ professionem retundit, comparatione facta hominis ad Verbum, sive Filium Dei. Locum supra[n], aliud agentes, integrum adduximus, cujus partem tantum aliquam, prout instituti nostri ratio postulat, hic recitabimus; " Non enim," inquit, " infectus es, O homo, neque SEMPER COEXISTE- " BAS DEO, SICUT PROPRIUM EJUS VERBUM; sed " propter eminentem bonitatem ejus nunc initium " facturæ accipiens, sensim discis a Verbo disposi- " tiones Dei qui te fecit[o]." Hæc constans fuit Irenæi doctrina. Ausim enim spondere, si omnes ejus libros sedulo evolvas, ne unum quidem iota te reperturum, quod Filii τῷ συναϊδίῳ repugnet; ut nunquam satis mirari possim Sandii et aliorum frontem, qui ipsum etiam Irenæum inter Arianizantes Patres recensere non erubuerint.

5. Irenæo succenturiandus est Clemens Alexandrinus, qui etiam sæpius atque apertissime prædicat Filii æternitatem. Sic in Protreptico ad Gentes[p]: Ἀΐδιος οὗτος Ἰησοῦς, εἷς ὁ μέγας ἀρχιερεὺς Θεοῦ τε ἑνὸς τοῦ αὐτοῦ καὶ Πατρός. i. e. " Æternus hic est Jesus, unus " magnus Pontifex unius etiam Dei, qui idem et " ejus Pater est." In fine Pædagogi, (quem locum supra[q] integre adduximus,) Patrem et Filium unum esse Deum dicit δι' ὃν τὸ ἀεί· " per quem est æterni-

[l] [c. 30, 9. p. 163.]
[m] [c. 25, 3. p. 153.]
[n] II. 5. 5. [p. 219.]
[o] [Hunc l. fusius explicat et defendit in Respons. ad G. Clerke §. 10.]
[p] Pag. 74, 75. [p. 92, 93.]
[q] II. 6. 4. [p. 245.]

" tas:" quod non recte dicitur, si Filius ipse, juxta cum Patre, æternus non sit. Ad calcem autem Pædagogi subjectus est Hymnus S. Clementis ad Christum, qui licet in quibusdam MSS. omittatur, in pluribus tamen reperitur; et ab ipso Clemente omnino additus fuit, ut ex postremis Pædagogi verbis manifestissime apparet[r]. In eo Hymno, præter alia Christo divina attributa, ejus etiam æternitas magnifice celebratur his verbis[s]:

Λόγος ἀέναος,	*Verbum perenne,*
Αἰὼν ἄπλετος,	*Ævum infinitum,*
Φῶς ἀΐδιον.	*Lux æterna.*

Videtur autem mihi hic Hymnus a Clemente desumptus ex Canticis sacris, in primæva ecclesia usurpatis, vel certe ad eorundem imitationem compositus. De Psalmis illis celebris est Caii locus apud Eusebium, H. E. V. 28. ubi Artemoni satis impudenter objicienti, dogma de Filii æternitate ante Victoris tempora non fuisse in ecclesia receptum, inter alia Caius ille hæc respondet: Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. i. e. " Psalmi quoque et " Cantica fratrum ab initio a fidelibus conscripta " Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem " ei tribuendo[t]." De iisdem Hymnis Plinius Epistolarum lib. X. Epist. 97. ad Trajanum, ex Christianorum apostatarum confessione hæc refert: " Af- " firmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ " suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante

[r] [Hunc Hymnum in systema anapæsticum redigendum esse, nemo est qui non videt.]

[s] Pag. 267. [p. 312.]

[t] [Vide etiam Eus. H. E. VII. 24. p. 350; et 30. p. 362. Citata verba Caii esse negat Routh, Rel. Sacr. vol. II. p. 3.]

" lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, " dicere secum invicem." Scilicet ipsis apostolorum temporibus æterna ac divina Filii majestas a fidelibus etiam in publica Liturgia celebrabatur; quod etiam (Deo sit laus) hodieque fit, fietque (certo auguror) ad usque consummationem sæculi, frustra renitentibus Socinistis, Arianis, cæterisque τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, *defectionis Deum abnegantis* (ut cum Caio illo loquar) assertoribus. Sed ad Clementem redeo.

6. Illustris est ejusdem locus, de Filii infinitate et æternitate, Strom. lib. IV.[u] ἀπαρέμφατος δέ ἐστι, inquit, τῆς περὶ ἑκάστης αὐτοῦ τῶν δυνάμεων ἐννοίας. καὶ δὴ οὐ γίνεται ἀτεχνῶς ἓν ὡς ἓν, οὐδὲ πολλὰ ὡς μέρη ὁ υἱὸς, ἀλλ' ὡς πάντα ἕν· ἔνθεν καὶ πάντα. κύκλος γὰρ ὁ αὐτὸς πασῶν τῶν δυνάμεων εἰς ἓν εἱλουμένων καὶ ἑνουμένων. διὰ τοῦτο Α καὶ 190 Ω ὁ λόγος εἴρηται· οὗ μόνου τὸ τέλος ἀρχὴ γίνεται, καὶ τελευτᾷ πάλιν ἐπὶ τὴν ἄνωθεν ἀρχὴν, οὐδαμοῦ διάστασιν λαβών. i. e. " Est autem infinitus unaquaque suarum potes- " tatum notione. Quanquam non sit vere unum, ut " unum, neque multa, ut partes, Filius; sed ut om- " nia unum, unde etiam omnia. Est enim ipse cir- " culus omnium potestatum, quæ in unum circum- " volvuntur et uniuntur. Et ideo Verbum dictum " est Alpha et Omega, cujus solius finis fit princi- " pium, et qui rursus desinit in id quod est desuper " principium, nusquam distantiam accipiens." Quibus in verbis cum nonnulla obscura sint, hic tamen sensus manifestus videtur; In Filii existentia nulla est distantia; non erat quando non erat, non erit quando non erit; sed est ipse tanquam circulus infinitus, principio et fine carens. Apertissime autem æternam Filii existentiam confitetur idem Clemens Strom. VII.[x] Nam haud longe ab initio ejus libri

[u] Pag. 537. [p. 635.] [x] [Pag. 829.]

Filium Dei diserte dicit τὴν ἄχρονον καὶ ἄναρχον ἀρχήν τε καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὄντων. i. e. "Tempore et principio "carens principium et primitias eorum quæ ex- "istunt." Sed et ibidem, duabus paginis interjectis, Christum Dominum communem esse Servatorem omnium qui servari volunt, inde probat, quod ipsum neque impotentia neque invidia impediat, quo minus hominum salutem procuret; non impotentia, quia nemo impedire ipsum possit præter Patrem, cujus et ipsius una est potentia et una voluntas; non invidia, quod in eum, qui impassibilis et æternus sit, istiusmodi non cadat affectio. Verba sunt[u]: Οὔθ' ὑφ' ἑτέρου κωλυθείη ποτ' ἂν ὁ πάντων Κύριος, καὶ μάλιστα ἐξυπηρετῶν τῷ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ παντοκράτορος θελήματι Πατρός. ἀλλ' οὐδὲ ἅπτεται τοῦ Κυρίου ἀπαθοῦς ἀνάρχως γενομένου φθόνος. i. e. "Neque ab alio prohibitus unquam fue- "rit, qui est omnium Dominus, et maxime boni et "omnipotentis Patris voluntati serviens. Sed neque "Dominum passione carentem et sine principio ex- "istentem tangit invidia." Atque hæc quidem Clemens, et hæc constanter docuit; neque quicquam in genuinis ejus scriptis occurrit, quod cum hisce pugnet.

7. Dum autem quatuor jam (in hoc et præcedenti capite) citatos testes, Ignatium nempe, Justinum, Irenæum et Clementem Alexandrinum respicio, mecumque considero, quales quantique viri illi fuerint, videor mihi æternitatem Filii veterum auctoritate satis confirmasse, etiamsi nihil quicquam e cæteris Patribus ad probandam thesim nostram proferre potuissem. Quippe Ignatius ipsorum apostolorum auditor fuit, præcipue sancti Joannis, qui divino consilio post cæteros omnes apostolos in vivis conserva-

[u] Pag. 703. [p. 832.]

tus videtur, ut Christi divinitatem contra enascentes hæreses defenderet. Justinus aliquot annis ante Polycarpi τελείωσιν martyrio coronatus fuit; unde et in Epistola ad Diognetum se *apostolorum* (nempe inferioris ordinis, hoc est doctorum, qui ab ipsis apostolis primariis in ecclesia constituti fuerunt) *discipulum* appellat, ut supra[x] a nobis observatum est. Irenæus auditorem se profitetur Polycarpi, qui et ipse ab Joanne theologiam suam hauserat. Denique Clemens Alexandrinus Pantæno illo πολυθρυλλήτῳ gloriabatur magistro, Indorum post Bartholomæum apostolo; quem ipsorum itidem apostolorum discipulum fuisse veteres quidam tradunt, certe cum apostolicis viris conversatum fuisse constat. Sed Deo laus sit, quod in istas angustias non redigimur. Restat adhuc nubes testium, eorumque catholicorum doctorum synodo Nicæna anteriorum, qui eandem de Filii æternitate doctrinam scriptis suis tradiderunt. Et ipsorum testimonia ordine proferemus.

ANNOTATA J. E. GRABE 191

AD CAP. II. §. 1. SEQQ.

DE S. JUSTINO MARTYRE.

PRO συναϊδίῳ Filii Dei adduxit auctor doctissimus primo loco verba S. Justini ex Apolog. I. (uti vulgo inscribitur,) ubi inter alia ait, Ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε, Χριστὸς, &c. Quæ ita Latine vertenda puto; "Verbum "ante omnes creaturas et coexistens" (Patri) "et nascens, "quando" (non *quoniam*, ut in omnibus editionibus, ipsaque recentissima Oxoniensi expressum est) "primitus "cuncta per eum condidit et ornavit, &c." Etenim notandum, quod ὅτε non ὅτι legatur; quodque comma istud,

[x] I. 2. 8. [p. 58.]

ὅτε τὴν ἀρχὴν, &c. cum præcedenti γεννώμενος, non cum sequentibus, Χριστὸς μὲν λέγεται, construendum videatur. Quippe alioqui B. Martyr vix tautologiæ crimen effugerit, dum ad explicandam nominis Christi etymologiam immediate addidit, eum ita dici, κατὰ τὸ κεχρίσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεόν. Duas itaque notiones duplici verbo ac bis repetita particula, καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, Justinum expressisse, jam pridem ad istum locum annotavi; priori æternam in et cum Patre existentiam, posteriori generationem ex Patre sive progressionem ante condita, atque ad condenda secula, de qua vide quæ cl. auctor sub finem §. 2. hujus cap. dixit. Gemina prorsus hisce Justini verbis, iisque declarandis apprime apta sunt ista Theophili Antioch. lib. II. ad (vel adversus) Autolycum pag. 100.[y] ubi Filium Dei vocat λόγον, τὸν ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ, moxque addit, Ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, &c. "Cum vero jam condere vellet quæ-"cunque deliberaverat, hunc λόγον" (quem *intra cor Dei semper*, sive ab æterno, *existentem* dixerat) "genuit prola-"tum, primogenitum omnis creaturæ." Atque ex hactenus dictis explicanda sunt quæ in Justini M. Dialogo cum Tryphone de Christo legimus, ubi pag. 267. B.[z] Trypho ex Justini mente eum dicit προϋπάρχειν Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων, "Deum præexistentem ante omnia secula;" et ipse Justinus pag. 276. D.[a] τὸν καὶ πρὸ ποιήσεως κόσμου ὄντα Θεὸν, "eum "qui et ante mundi creationem extitit Deus." Similiter p. 285.[b] D. ait, Τοῦτο τὸ τῷ ὄντι ἀπὸ τοῦ Πατρὸς προβληθὲν γέννημα πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνῆν τῷ Πατρὶ, καὶ τούτῳ ὁ Πατὴρ προσομιλεῖ, (forte προσωμίλει,) ὡς ὁ λόγος διὰ τοῦ Σολομῶνος ἐδήλωσεν, ὅτι καὶ ἀρχὴ πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων τοῦτ' αὐτὸ καὶ γέννημα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐγεγέννητο. "Hæc ipsa a Patre revera "edita progenies ante creaturas omnes una cum Patre "fuit, et cum ea Pater conversatus est, prout Verbum per "Salomonem declaravit, quod et in principio ante omnes

[y] [§. 22. p. 365]
[z] [§. 48. p. 143-4.]
[a] [§. 56. p. 152.]
[b] [§. 62. p. 159.]

" creaturas hæc ipsa proles a Deo genita fuerit." Ἀρχὴν enim pro ἀρχὴ ibi legere suadent non modo verba ex Apol. I. supra allegata, sed et quæ in hoc ipso Dialogo paulo ante pag. 284. A.[c] præcedunt; Ὅτι ἀρχὴν πρὸ πάντων τῶν κτισμάτων ὁ Θεὸς γεγέννηκε δύναμιν τινὰ ἐξ ἑαυτοῦ λογικήν. i. e. " Deum primitus ante omnes creaturas genuisse ex se vir- " tutem quandam rationalem." Scilicet δύναμις ista λογικὴ ab æterno extitit in Patre; in principio autem creationis rerum omnium ex Deo Patre processit, ac exterius manifestata est[d]. Quomodo et discipulus Justini Tatianus pag. 20.[e] nuperæ egregiæ editionis Oxoniensis ait, Σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε· θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ λόγος[f]. " Cum eo" (Patre) " per virtutem rationalem et ipsum Verbum, quod " erat in illo, substitit; cum autem placuit ejus simplici- " tati, Verbum prosiliit." Ita enim verto potius quam, " Cum autem voluit ipse, Verbum ex ejus simplicitate pro- " siliit."

AD §. 4. 192

DE S. IRENÆO.

Testimoniis a reverendo auctore pro Filii Dei τῷ συναϊδίῳ ex Irenæo allatis addo quæ idem habet lib. IV. cap. 37. ubi simul et Spiritus S. æternitatem asserit. Hæc quippe ibi leguntur pag. 330. col. 2. lin. 18. et seqq. juxta nostram editionem[g], " Adest ei" (Deo Patri) " semper Verbum et " Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia " libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens, *Facia-* " *mus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*" Et paulo post pag. 331. col. 1. lin. 36. seqq.[h] " Quoniam"

[c] [§. 61. p. 157.]

[d] [ἀρχὴ non ἀρχὴν legendum esse contra Grabium contendit ed. Benedict.: Verbum enim non *initio*, sed potius *initium et principium* genitum esse dicitur.]

[e] [§. 5. p. 247.]

[f] [Hæc verba et quæ præcedunt aliter distinguit ed. Benedict. unde sensus haud parum diversus evadit. Vid. infra III. 6, 1, &c.]

[g] [c. 20, 1. p. 253.] [h] [ib. §. 3.]

(i. e. *quod*, ex Græco ὅτι) "Verbum, id est Filius, semper "cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam "autem et Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud eum "ante omnem constitutionem, per Salomonem ait, *Deus "Sapientia fundavit terram*, &c." Dices, Irenæum ipsummet τὸ *semper* explicare per hæc, "ante omnem constitu- "tionem," sive ante creationem rerum, non autem ab æterno; idem quoque patere ex ista, quam citat, demonstratione, inquiens, "per multa demonstravimus." Respicere enim lib. III. cap. 11. et 18. uti colligitur ex loco parallelo, nempe lib. III. cap. 20.[1] quod ita incipit; "Ostenso "manifeste, quod in principio Verbum existens apud "Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat "generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum "præfinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passi- "bilem hominem factum, exclusa est omnis contradictio di- "centium, *Si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Chris- "tus.* Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei, "existens semper apud Patrem." Atqui ex proxime præcedentis cap. 18. nec non 11. doctrina nihil amplius elici posse, quam quod Christus, Dei Logos ac Filius unigenitus, ante incarnationem suam ipsamque mundi creationem extiterit; quod licet Ebionæi tempore Irenæi, et nunc Sociniani inficias eant, Ariani tamen non negarunt, sed solum æternam cum æterno Deo Patre coexistentiam. Respondeo, Irenæum, dum dictis locis præexistentiam Christi ante B. Mariam matrem suam, atque ante ipsam rerum creationem edisserit, æternitatem ejus supponere, hancque mentem suam satis declarasse, dum in citatione eorundem ait, "eum SEMPER Deo Patri suo adfuisse" et coextitisse; quod falsum foret, si vera esset Arianorum assertio, Deum Patrem aliquando extitisse, quando nondum fuit Logos seu Filius Dei. Atque sicut ex Irenæi verbis modo allegatis, quibus asserit, Christum "semper adfuisse generi hu- "mano," recte colligas, nunquam genus humanum in rerum natura fuisse, cum non simul fuerit Christus; ita et ex aliis, quibus iterum iterumque docet, Logon semper

[1] [c. 18, 1. p. 209.]

Deo Patri adfuisse et coextitisse, merito concludas, nunquam Deum extitisse, quando non et Logos ejus extiterit, huncque proinde æternum esse ac initio carentem. Atque id ipsum clarissimis verbis alibi docet Irenæus, nempe lib. II. cap. 18. p. 138. col. 2. lin. 18. seqq.[k] dum redarguit Valentinianos, "qui generationem prolativi hominum verbi "transferunt in Dei æternum Verbum," (Græce ex conjectura Billii lib. I. Observat. Sacr. cap. 33. οἱ τὴν φορὰν τοῦ τῶν ἀνθρώπων προφορικοῦ λόγου ἀναφέρουσιν εἰς τὸν ἀΐδιον τοῦ Θεοῦ λόγον,) "et prolationis initium donantes et genesin, quem-"admodum et suo verbo." Quod absurdum esse contendit, siquidem λόγος sit ipse Deus. Si igitur initium existentiæ λόγου statuisset, aut æternitatem ejus negasset Irenæus, ipsum culpa redarguisset; quam turpitudinem absit ut S. doctori attribuamus.

CAP. III. 193

Origenis de Filii τῷ συναϊδίῳ luculentissima suffragia adducuntur.

1. SEQUITUR magistrum discipulus, Clementem Alexandrinum Origenes. Qui cum solus fere inter Patres Antenicænos contrarii erroris ab Hieronymo aliisque accusatus fuerit, tamen Filii æternitatem verbis sole clarioribus passim adstruit. Sic in lib. V. cont. Cels.[l] Dei σοφίαν (qua ibi Filium Dei manifeste designat) dicit ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, "splendorem æterni luminis;" necesse autem est ut splendor æterni luminis et ipse æternus sit; atque id ipsum hoc simili voluisse Origenem, ex aliis ejus scriptis manifestum est. Illustris est ejusdem locus quem citat Athanasius in libro de Decretis Synodi Nicænæ[m]: Εἴ ἐστιν, inquit, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ

[k] [c. 13. 8. p. 132.] [l] Pag. 238. [§. 10. p. 584.]
[m] Tom. I. p. 277. [§. 27. vol. I. p. 233.]

ἀοράτου, ἀόρατος εἰκών. ἐγὼ δὲ τολμήσας προσθείην ἄν, ὅτι καὶ ὁμοιότης τυγχάνων τοῦ Πατρὸς, οὐκ ἔστιν ὅτε οὐκ ἦν. πότε γὰρ ὁ Θεὸς, ὁ κατὰ τὸν Ἰωάννην φῶς λεγόμενος, (ὁ Θεὸς γὰρ φῶς ἐστιν,) ἀπαύγασμα οὐκ εἶχε τῆς ἰδίας δόξης; ἵνα τολμήσας τις ἀρχὴν δῷ εἶναι υἱοῦ, πρότερον οὐκ ὄντος. πότε δὲ ἡ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀκατονομάστου καὶ ἀφθέγκτου ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς εἰκὼν, ὁ χαρακτὴρ λόγος, ὁ γινώσκων τὸν πατέρα, οὐκ ἦν; κατανοείτω γὰρ ὁ τολμῶν καὶ λέγων, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱὸς, ὅτι ἐρεῖ καὶ τὸ, σοφία ποτε οὐκ ἦν, καὶ λόγος οὐκ ἦν, καὶ ζωὴ οὐκ ἦν. i. e. "Si est (Filius) imago invisibilis "Dei, ipsa quoque imago invisibilis fuerit. Imo hoc "quoque ausim addere, cum sit similitudo Patris, "non fuisse aliquando cum non esset. Quando enim "Deus, qui secundum Joannem lux dicitur, (*Deus "enim*, inquit, *lux est*,) splendorem non habuit pro- "priæ gloriæ? ut quis auderet Filio initium ascri- "bere, quasi antea nondum existenti. Quando au- "tem non erat illa ineffabilis, innominabilis, inenar- "rabilisque paternæ hypostasis imago, character Ra- "tio, quæ Patrem cognoscit? cogitet secum qui- "cunque audebit dicere, Erat aliquando, quando non "erat Filius, se hoc ipsum dicere, Sapientia aliquan- "do non erat, ratio non erat, vita non erat." Huic geminum ibidem locum Origenis subdit Athanasius, qui ita se habet: Ἀλλ' οὐ θέμις ἐστὶν, οὐδὲ ἀκίνδυνον, διὰ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν τὸ, ὅσον ἐφ' ἡμῖν, ἀποστερεῖσθαι τὸν Θεὸν τοῦ ἀεὶ συνόντος αὐτῷ λόγου μονογενοῦς, σοφίας ὄντος, ᾗ προσέχαιρεν· οὕτω γὰρ οὐδὲ ἀεὶ χαίρων νοηθήσεται. i. e. "Sed fas non est, neque periculo caret, propter im- "becillitatem nostram spoliare, quantum in nobis "est, Deum unigenito suo semper secum existente "Verbo, spoliare item sua Sapientia, in qua lætaba- "tur; inde enim colligeretur, eum non semper læ- "tatum fuisse."

2. Quid autem ad hæc loca disertissima respondet iniquissimus Origenis accusator pariter et judex Petavius[n]? "Hæc," inquit, "plane mirifica sunt; ac, "si quis alius, quam Athanasius, fidem faceret, talia "ab Origene esse scripta, profecto a catholicis qui- "busdam intexta fuisse libris Origenis haud ab- "surda foret suspicio." Hujus autem dicti vere mirifici rationem mox subdit; "His enim," inquit, "prorsus argumentis utitur, quibus Arii dogma, et "illam ejus impiam vocem, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, refel- "lere solent antiqui Patres." Sed hæc ratio levis momenti est, ac viro in veterum monumentis versato, qualis Petavius fuit, vix digna. Jam enim supra probavi, Arii blasphemiam, qua dixit, fuisse quando λόγος, seu Filius Dei, non esset, primum a Gnosticis proditam fuisse, qui ipsam apostolicam ecclesiam infestarunt, quorumque soboles ad Origenis ætatem et diu post permansit. Deinde cum Origenis sæculo Noeti hæresis (quæ postea Sabellii fuit) vim suam maxime cœperit exerere, omnino verisimile est, multos tum temporis, extrema vitare nescientes, dum Charybdim effugere conarentur, in Scyllam incidisse; ac ne Filium eandem esse cum Patre personam, juxta eum hæreticis istis, fateri cogerentur, hæresim e diametro oppositam amplexos lubenter fuisse, Filium ita a Patre distinguentes, ut dicerent, ipsum esse a paterna substantia alienum et 194
meram creaturam, quæ initium existentiæ suæ ἐξ οὐκ ὄντων a Deo Patre aliquando acceperit. Hinc et alii Patres catholici, qui Origenis coætanei fuerunt, in scriptis suis indubitatis, idem Arianorum effatum in terminis, ut dici solet, referentes, argumentis iis-

[n] De Trin. l. 4. 6.

dem, quibus usus esset Origenes, refellerunt. Dionysios nomino Romanum et Alexandrinum, quorum testimonia suis locis proferemus. Denique Tertullianus, Origene antiquior, idem quod Arius, si verba spectes, tradidit lib. adv. Hermogenem [o], ubi ait, "fuisse tempus, cum Filius non fuit;" quem locum infra [p] expendemus. Interea ad Origenem revertor, qui permultis aliis in locis fidem suam, de coæterna Filii cum Patre existentia, diserte profitetur. Sufficiat autem superioribus addidisse ejusdem ea de re illustre testimonium, quod extat tom. I. in Joannem [q]; ubi locum Davidis explicans Psal. ii. ***Filius meus es tu, ego hodie genui te,*** ita disserit; Λέγεται πρὸς αὐτὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ᾧ ἀεί ἐστι τὸ σήμερον· οὐκ ἔνι γὰρ ἑσπέρα Θεοῦ, ἐγὼ δὲ ἡγοῦμαι ὅτι οὐδὲ πρωΐα· ἀλλ' ὁ συμπαρεκτείνων τῇ ἀγενήτῳ καὶ ἀϊδίῳ αὐτοῦ ζωῇ, ἵν' οὕτως εἴπω, χρόνος, ἡμέρα ἐστὶν αὐτῷ σήμερον, ἐν ᾗ γεγέννηται ὁ υἱός· ἀρχῆς γενέσεως αὐτοῦ οὕτως οὐχ εὑρισκομένης, ὡς οὐδὲ τῆς ἡμέρας. i. e. "Dicitur ad illum a Deo, cui semper est "hodie; neque enim est vespera Dei, neque mane, "meo quidem judicio; sed tempus (ut ita dicam) "simul se extendens cum illa ipsius ingenita et sem-"piterna vita, ipsi dies est hodie, in qua genitus est "Filius; sic non invento originis ipsius principio, "sicut neque diei." Plura ex Origene de æternitate Filii qui volet, adeat Pamphili pro ipso Apologiam. Id unum, tanquam observatu dignum, pro coronide adjiciam, Socratem, virum integerrimum et in Origenis scriptis versatum satis, diserte testari, auctorem illum πολύγραφον in suis elucubrationibus Filii τὸ συναΐδιον constanter asseruisse. Nam lib. VII.

[o] [c. 3. p. 234.] [p] Hujus sect. cap. 10. §. 2. et 4.
[q] Edition. Huet. p. 31. [§. 32. vol. IV. p. 33.]

cap. 6. Hist. Eccl. postquam mirari se dixerat, quomodo Timotheus studiosissimus Origenis lector in Ariana hæresi persistere potuerit, hanc admirationis suæ rationem subjicit; Ὠριγένης συναΐδιον παντοχοῦ ὁμολογεῖ τὸν υἱὸν τῷ Πατρί. i. e. "Origenes coæternum "ubique fatetur Filium Patri."

3. Cæterum Petavius[r] luculenta hæc pro æternitate Filii Origenis testimonia ita tandem enervare conatur; "Hæc," inquit, "adversus Arianos ac sa-"crilegam Arii formulam valent illa quidem, quæ "fuisse dicebat aliquando, cum non esset Filius; "sed ad ὁμοούσιον affirmandum non sufficiunt. Nam "et creaturas ex æterno fuisse cum Deo censebat "Origenes; quod alioqui neque creator, neque om-"nipotens, id est omnitenens, fuisset ex æterno Pa-"ter; sed in tempore id illi accidisset; quod in pri-"mo *Peri Archon* hodieque significatum ab eo legi-"tur." Hæc Petavius. Poteram autem causari, textum Origenis in libro I. *Peri Archon* depravatum esse; vel Origenem, quod ibi de æternitate creaturarum conscripsit, aut ex aliorum sententia retulisse, aut velut meram sui ipsius conjecturam (pro more scil. suo) proposuisse, non tanquam dogma asseverasse; quod sane posterius, quisquis integrum expenderit sermonis illius contextum, facile crediderit. Poteram etiam multa loca adducere, in quibus verus Origenes aperte docet, ipsam primam rerum materiam ab aliquo initio, idque ex nihilo factam a Deo fuisse. Certe dissertatio illa, quæ Philocaliæ capite 23.[s] continetur, ex professo instituitur adversus eorum errorem, qui materiam Deo coæternam statuerunt. Caput autem illud ex genuino aliquo

[r] De Trin. I. 4. 7.

[s] [Ed. Paris. 1618. cap. 24. ed. Cantab. 1658.]

Origenis Dialogo contra Marcionitas revera descriptum esse, testantur duo fide dignissimi auctores, Basilius M. et Gregorius Nazianzenus; quibus potius, quam Huetio, viro licet eruditissimo, par est assentiamur; præsertim cum is, maximos viros erroris arguens, in manifestum ipse errorem inciderit, ut alibi clare ostendimus. Quid? quod notissima fuerit Origenis doctrina, Filium Dei ante omnes res creatas ex Deo Patre genitum, adeoque ipsis antiquiorem esse; sic (ut alia loca sexcenta mittam) in lib. V: cont. Celsum[s]: Ὁ γὰρ, inquit, τοῦ Θεοῦ υἱὸς, ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, εἰ καὶ νεωστὶ ἐνηνθρωπηκέναι ἔδοξεν, ἀλλ' οὔτι γε διὰ τοῦτο νέος ἐστί. πρεσβύτατον γὰρ αὐτὸν πάντων τῶν δημιουργημάτων ἴσασιν οἱ θεῖοι λόγοι. i. e. "Nam "Dei Filius, primogenitus omnis creaturæ, etsi nu- " per homo factus esse videatur, non tamen ideo no- " vus est; novit enim hunc sacra Scriptura creaturis " omnibus vetustiorem." Jam quomodo hæc consistere possunt cum sententia, quæ statuit, creaturam cum Deo ab æterno extitisse?

4. Verum ut Petavio demus, in loco allegato ex libro primo *Peri Archon* genuinam Origenis doctrinam tradi; certum tamen adhuc est, latissimum ibidem discrimen inter Dei Filium et creaturas ab ipso statui. Docet enim res creatas ab æterno cum Deo fuisse, tanquam ab ipso factas; Filium vero cum Deo ex æterno extitisse, ut ex ipso genitum, adeoque ipsius unigenitum. Docet ab æterno res creatas
195 Deo ut Domino subjectas fuisse; Filium autem ab æterno, ut unum cum Patre Deum, Dominum, Regem ac Principem, una eademque omnipotentia potentatum (ut loquitur interpres) in easdem exercu-

[s] Pag. 257. [§. 37. p. 606.]

isse. Denique Filium Dei ibidem ab omni creata natura ita distinguit, ut hanc convertibilem et commutabilem, illum vero omnino inconvertibilem et incommutabilem; et illius quidem gloriam purissimam et limpidissimam esse, hujus nec puram nec sinceram; ac demum in rebus creatis justitiam, sapientiam cæterasque virtutes mera esse accidentia, quæ in Filio Dei, (ut etiam in Deo Patre,) ipsa ejus essentia sint, diserte doceat. En tibi, lector, ipsa loci verba, ex quo hanc Origeni calumniam struxit Petavius. In libro I. *Peri Archon* cap. 2. verba explicans auctoris libri, qui *Sapientia Salomonis* inscribitur, de Dei Sapientia dicentis, quod sit *Vapor quidem virtutis Dei, et aporrhœa omnipotentis gloriæ purissima*, &c. [vii. 25.] ita disserit[t]; "Quemad-
" modum Pater non potest esse quis, si filius non sit,
" neque dominus quis esse potest sine possessione,
" sine servo; ita ne *omnipotens* quidem Deus dici
" potest, si non sint in quos exerceat potentatum;
" et ideo ut omnipotens ostendatur Deus, omnia
" subsistere necesse est. Nam si quis est qui velit,
" vel sæcula aliqua, vel spatia transisse, vel quod-
" cumque aliud nominare vult, cum nondum facta
" essent, quæ facta sunt; sine dubio hoc ostendet,
" quod in illis sæculis vel spatiis omnipotens non
" erat Deus, et postmodum omnipotens factus est,
" ex quo habere cœpit in quos ageret potentatum;
" et per hoc videbitur perfectionem quandam[u] ac-
" cepisse, et ex inferioribus ad meliora venisse. Si-
" quidem melius esse non dubitatur, esse eum om-
" nipotentem quam non esse. Et quomodo non vi-

[t] Oper. Origenis Latin. part. I. p. 673. edit. Basiliens. 1571. [vol. I. p. 57.]

[u] [*profectum quemdam.* Ed. Bened.]

" debitur absurdum, ut, cum non haberet aliquid ex
" his Deus, quæ eum habere dignum erat, post-
" modum per profectum quemdam in hoc venerit ut
" haberet? Quod si nunquam est quando non omni-
" potens fuerit, necessario subsistere oportet etiam
" ea per quæ omnipotens dicitur, et semper habuerit
" in quibus exercuerit potentatum, et quæ fuerint
" ab ipso vel Rege vel Principe moderata.———
" Sed quoniam *gloriam* dixit esse omnipotentis, cu-
" jus gloriæ aporrhœa est Sapientia, hoc intelligi da-
" tur, quod etiam in omnipotentia gloriæ [x] societa-
" tem habeat Sapientia, per quam Deus omnipotens
" dicitur. Per Sapientiam enim, quæ est Christus,
" tenet Deus omnium potentatum, non solum domi-
" nantis auctoritate, verum etiam subjectorum spon-
" taneo famulatu. UT AUTEM UNAM ET EAMDEM
" OMNIPOTENTIAM PATRIS AC FILII ESSE COG-
" NOSCAS, SICUT UNUS ATQUE IDEM EST CUM
" PATRE DEUS ET DOMINUS, audi hoc modo Jo-
" annem in Apocalypsi dicentem, *Hæc dicit Do-*
" *minus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus*
" *est, omnipotens.* Qui enim venturus est, quis est
" alius nisi Christus? et sicut nemo debet offendi
" cum Deus sit Pater, quod etiam Salvator est
" Deus; ita et cum *omnipotens* dicitur Pater, etiam
" nullus debet offendi, quod etiam Filius Dei omni-
" potens dicitur. Hoc modo namque verum erit
" illud, quod ipse dicit ad Patrem, quia *omnia mea*
" *tua sunt, et tua mea, et glorificatus sum in eis.*
" ———*Purissima* vero ac *limpidissima* gloria Sa-
" pientiæ, satis convenienter dictum est ad distinc-
" tionem ejus gloriæ, quæ non pure, nec sincere

[x] [*omnipotentiæ gloria.* Ed. Bened.]

" gloria dicitur. Omnis vero natura quæ converti-
" bilis est et commutabilis, etiamsi glorificatur in
" operibus justitiæ vel sapientiæ, per hoc ipsum ta-
" men quod accidentem habet justitiam, vel sapien-
" tiam, et quod hoc, quod accidit, etiam decidere
" potest, gloria ejus sincera ac limpidissima esse
" non potest. Sapientia vero Dei, quæ est unigeni-
" tus Filius ejus, QUONIAM IN OMNIBUS INCON-
" VERTIBILIS EST ET INCOMMUTABILIS, ET SUB-
" STANTIALE IN EO OMNE BONUM EST[y], quod
" utique mutari atque converti nunquam potest, id-
" circo pura ejus ac sincera gloria prædicatur."
Hæc ideo, utut prolixa, recitasse operæ pretium duxi, ut lector Petavii ingenium perspectius haberet; cum alioquin Origenem Filii τὸ ὁμοούσιον agnovisse, supra abunde evicerimus.

5. Imo ipsa Origenis loca, ab Athanasio producta, 196
(quicquid dicat Petavius,) non modo ad Filii τὸ συναΐδιον, sed etiam ad ipsius τὸ ὁμοούσιον, si rem ipsam, non nudum vocabulum spectemus, affirmandum sufficiunt. Nam in iis satis aperte docet Origenes, Filium esse id omne quod est Pater; unde ex eo quod Pater invisibilis sit, infert, Filium quoque invisibilem esse. Deinde Filium dicit absolute Patrem cognoscere, quod certe nulli creatæ naturæ

[y] Habere in se substantiale bonum, ab Origene alibi, in hoc ipso primo libro *Peri Archon*, ponitur pro certa nota characteristica veræ divinitatis, quæ soli SS. Trinitati, Patri, Filio et Spiritui Sancto conveniat, nec ulli creaturæ competere possit. Sic enim ille cap. 5. (p. 679.) [§. 3. p. 66.] " De bonis sanctisque
" virtutibus cogimur confiteri, quia non substantiale sit in ipsis
" bonum, quod utique in solo Christo et in Spiritu Sancto evi-
" denter esse ostendimus; sine dubio utique et in Patre. Non
" enim Trinitatis natura habere aliquid compositionis ostensa est,
" ut hæc ei consequenter videantur accidere."

competit. Præterea ubi Filium appellat Paternæ lucis splendorem, ea similitudine communio naturæ, quæ inter Patrem et Filium intercedit, manifeste significatur. Denique Filium Dei ipsam Patris Sapientiam et Rationem, in ipso subsistentem, esse affirmans, satis aperte significat, illum Dei Filium neutiquam esse Deo Patri quiddam extraneum, ut sunt res creatæ; sed aliquid ipsi intimum et coessentiale, quo non magis carere possit, quam ipsa sua sapientia, ratione, vita destitui. Certe quisquis oculos suos aperiet, statim is videbit, Origenem ibidem Filii τὸ συναΐδιον ex ipsius τῷ ὁμοουσίῳ (quod pro concesso habet) omnino colligere.

6. Quod autem affirmat Huetius[z], censuisse Origenem, "materiam e qua conflatus est mundus," non modo ab æterno cum Deo extitisse, "sed etiam "a Dei substantia emanasse;" (ita scil. ut nulla in re Filii Dei natura inferiorem statuerit mundi materiam;) illud sane a vero longissime abest; neque ullum locum ex Origenis scriptis, utcunque depravatis, proferre poterit vir clarissimus, qui tam detestandæ blasphemiæ vel in speciem patrocinetur. Imo contrarium diserte docet Origenes tum in libro I. *Peri Archon*, ubi mundi æternitatem asserere videtur, tum alibi passim. Sic in libro VI. cont. Cels. (quem locum supra[a] adduximus,) Filium Dei ab omni creata natura ita distinguit, ut illum ἀγένητον, *non factum*, hanc γενητὴν *factam* pronuntiet. Quomodo autem constabit hæc distinctio, si ut Filius Dei, ita prima rerum creatarum materia et ab æterno cum Deo extitit, et ex ipsa Dei substantia emanavit? Sic in libri primi *Peri Archon*, unde hæc criminatio desumpta est, ipso procemio, ea quæ omni-

[z] Origenian. II. p. 44. [a] Vide II. 9. 9. [p. 302.]

bus creditu necessaria sunt, enumerans, hæc duo primo in loco ponit [b], " Primo, quod unus Deus est, " qui omnia creavit atque composuit, quique, cum " nihil esset, esse fecit universa, &c. tum deinde quia " Jesus Christus ante omnem creaturam natus ex " Patre est." Animadvertis manifestam distinctionem, qua Filius Dei ex ipso Deo Patre, idque ante omnem creaturam, natus, creatura vero omnis ex nihilo facta statuitur. Et centena loca his consimilia in proclivi est adducere. Sed Origenis sententiam de Filii æternitate jam satis, ut opinor, explicavimus. Nunc ad alios scriptores Antenicænos pergo, qui eandem doctrinam suo testimonio confirmarunt.

CAP. IV. 197

Decretum Nicænorum Patrum de Filii coæterna cum Patre suo existentia disertissimis Cypriani, Dionysiorum Romani et Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, sex episcoporum qui ex Antiochena synodo ad Paulum Samosatenum scripsere, Theognosti, Methodii, Pamphili Martyris, atque Arnobii testimoniis confirmatur.

1. CYPRIANUS in libro secundo Testimoniorum adversus Judæos cap. vi.[c] inter alia Scripturæ testimonia, quæ Christi summam divinitatem confirment, citat et illud Apocalypsis xxi. 6, 7. ***Ego sum Alpha et Omega, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis; qui vicerit, possidebit ea*** [d] ***et eorum hæreditatem, et ero ejus Deus, et ille erit mihi Filius.*** Quibus in verbis verum Deum, qui ex

[b] Pag. 665. [c] [Pag. 287.]

[d] In Græco vox πάντα sola reperitur, pro qua Cyprianus habet; " Ea et eorum hæreditatem." [Nonnulli codices legunt ταῦτα pro πάντα.]

æterno in æternum idem existit, apertissime describi omnes vident. Neque plura a Cypriano expectes; qui cum passim (ut supra ostendimus) veram Filii divinitatem, unde et ipsius æternitas per manifestissimam consequentiam deducitur, prædicet, nullibi tamen (quantum meminerim) de Filii τῷ συναϊδίῳ directe agit. Verum ex eo quod ad Servatoris divinitatem probandum locum alleget Apocalypseos, in quo absoluta summi Dei æternitas tam luculenter depingitur, ipsumque de Christo interpretetur, certo colligimus, sanctum martyrem a blasphemo Arianorum de Filio Dei pronuntiato, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, omnino abhorruisse.

2. Cypriano succenturiandus est Dionysius papa Romanus, utpote qui vixit temporibus Cypriani. Ejus egregia est sententia de Filii τῷ συναϊδίῳ, ab Athanasio descripta in libro de Synodi Nicænæ Decretis, ex Epistola quadam contra Sabellianos[e]; Βλάσφημον, inquit, οὐ τὸ τυχὸν, μέγιστον μὲν οὖν, χειροποίητον τρόπον τινὰ λέγειν τὸν Κύριον. εἰ γὰρ γέγονεν υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν· ἀεὶ δὲ ἦν, εἴ γε ἐν τῷ πατρὶ ἐστὶν, ὡς αὐτός φησι, καὶ εἰ λόγος καὶ σοφία καὶ δύναμις ὁ Χριστός· ταῦτα γὰρ εἶναι τὸν Χριστὸν αἱ θεῖαι λέγουσι γραφαὶ, ὥσπερ ἐπίστασθε· ταῦτα δὲ δυνάμεις οὖσαι τοῦ Θεοῦ τυγχάνουσιν· εἰ τοίνυν γέγονεν ὁ υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα. ἦν ἄρα καιρὸς, ὅτε χωρὶς τούτων ἦν ὁ Θεός· ἀτοπώτατον δὲ τοῦτο. i. e. "Blasphemia "igitur non vulgaris, sed maxima habenda est, si "Dominum dicas quodammodo manu factum. Si "enim factus est Filius, erat igitur, quando ille non "erat; atqui ille semper erat, si utique in Patre sit, "ut ipse dicit, idemque Verbum, et sapientia, et "virtus, (hæc enim esse Christum, divinæ Scrip-

[e] Oper. Athanasii tom. I. p. 276. [§. 26. p. 232.]

" turæ, ut nostis, prædicant,) et hæc rursus Dei po-
" tentiæ sint; si igitur Filius factus est, erat quando
" ista non erant, hoc est, fuit quando sine istis Deus
" esset; id autem absurdissimum est." Ex hoc illustri testimonio apparet, Arii dictum de Filio Dei, *erat quando non erat*, diu ante Arium ab aliis heterodoxis vulgatum fuisse. Confer quæ capite præcedenti observavimus, de Origene agentes, §. 2. [p. 527.] Hic quoque vides, Dionysium, totius orbis Christiani primarium antistitem, dictum illud pro maxime blasphemo et absurdissimo habuisse. Præterea et illud observandum, his verbis non unius modo Dionysii, sed et totius cleri urbis Romanæ sententiam contineri. Quippe scripsit Dionysius Epistolam illam, pro more scil. ætatis qua vixit, non sine consensu cleri sui, legitima synodo convocati. Denique non abs re erit illud obiter notasse, Dionysium scil. hic Filii Dei coæternam cum Patre suo existentiam inde probare, quod is sit ὁ λόγος in ipso Deo Patre existens. 198
Nam ita argumentatur; Si Filius in ipso Deo Patre sit et existat, tanquam ipsius Verbum, sapientia, et virtus, tum sine maxima blasphemia et gravissima absurditate de eo dici non potest, " Erat quando non
" erat;" atqui Filius Dei in ipso Deo Patre est et existit, tanquam ipsius Verbum, &c. Ergo, &c. Consequentiam majoris propositionis merito pro concessa habuit Dionysius; quippe quæ hisce primis in theologia principiis nitatur; " Quicquid in Deo est, Deus
" est;" deinde, " quicquid Deus est, æternum est." Assumptionem probat ex Scripturis, præcipue ex verbis ipsius Servatoris, *Ego sum in Patre*. Ita argumentantem paulo superius Origenem audivimus; atque eadem ratiocinatione Patres Antenicæni, (ut de iis qui post synodum Nicænam scripsere, ni-

hil dicam,) communiter utuntur. Jam hæc argumentandi ratio Arianam hæresim prorsus jugulat. Ariani enim λόγον duplicem, ut et duplicem σοφίαν, statuebant; alterum in ipso Patre residentem λόγον, naturalem ipsius et proprium; per quem et universitatem rerum et λόγον alium condidit; alterum a Patre et insito λόγῳ procreatum, qui λόγος nominetur abusive; quippe qui nec genuinum ejus Verbum sit, nec ipsi coæternum, sed ἐξ οὐκ ὄντων a Deo hunc mundum condituro factus fuerit; et hunc posteriorem λόγον Filium Dei dicebant. Ita testatur Alexander Alexandriæ præsul in Epistola sua ad episcopos ecclesiæ catholicæ apud Socratem[f]; ubi primigenia Arianorum dogmata recensens sic scribit; Ποῖα δὲ παρὰ τὰς γραφὰς ἐφευρόντες λαλοῦσιν, ἐστὶ ταῦτα· οὐκ ἀεὶ ὁ Θεὸς Πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν ὅτε ὁ Θεὸς Πατὴρ οὐκ ἦν. οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἀλλ' ἐξ οὐκ ὄντων γέγονεν. ὁ γὰρ ὢν Θεὸς τὸν μὴ ὄντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος πεποίηκε. διὸ καὶ ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν· κτίσμα γάρ ἐστι καὶ ποίημα ὁ υἱός. οὔτε δὲ ὅμοιος κατ' οὐσίαν τῷ Πατρί ἐστιν, οὔτε ἀληθινὸς καὶ φύσει τοῦ Πατρὸς λόγος ἐστὶν, οὔτε ἀληθινὴ σοφία αὐτοῦ ἐστί· ἀλλ' εἷς μὲν τῶν ποιημάτων καὶ γενητῶν ἐστι· καταχρηστικῶς δὲ λόγος καὶ σοφία, γενόμενος καὶ αὐτὸς δὲ τῷ ἰδίῳ τοῦ Θεοῦ λόγῳ καὶ τῇ ἐν τῷ Θεῷ σοφίᾳ, ἐν ᾗ καὶ τὰ πάντα καὶ αὐτὸν πεποίηκεν ὁ Θεός. διὸ καὶ τρεπτός ἐστι καὶ ἀλλοιωτὸς τὴν φύσιν, ὡς καὶ πάντα τὰ λογικά. ξένος τε καὶ ἀλλότριος, καὶ ἀπεσχοινισμένος ἐστὶν ὁ λόγος τῆς τοῦ Θεοῦ οὐσίας. i. e. "Ea vero, quæ sine "ulla Scripturarum auctoritate commenti temere "effutiunt, sunt hujusmodi; Deus non semper fuit "Pater, sed tempus extitit cum Deus minime esset "Pater. Verbum Dei non semper fuit, sed ortum est "ex nihilo; Deus enim qui est, illum qui non erat,

[f] Hist. Eccles. I. 6.

" ex eo quod non est, procreavit. Proinde tempus " aliquando fuit cum non esset; quippe Filius crea- " tura est opusque. Neque vero similis est Patri " secundum substantiam, neque verum ac genuinum " Dei Verbum, nec vera ejusdem sapientia; sed unus " quidem est ex operibus et creaturis; abusive au- " tem Verbum dicitur et sapientia, quippe cum et " ipse extiterit per proprium Dei Verbum, et per " sapientiam quæ in Deo est, in qua Deus tum " cætera omnia, tum eum ipsum fecit. Quamobrem " suapte natura conversioni obnoxius est ac muta- " tioni, perinde ac reliqua rationalia. Extraneum et " alienum est Verbum, ac semotum a Dei substan- " tia." Ita quoque scribit Athanasius Oratione I. et III. et in libro de Sententia Dionysii; Cyrillus item Alexandrinus libro I. in Joannem, capite 4. aliique. Dices, Hinc quidem liquere, Dionysium Romanum reliquosque Patres, qui eodem modo ratiocinati sunt, Arianæ blasphemiæ Charybdim satis evitasse; at quis ab hæresis Sabellianæ Scylla ipsos eripiat? Videtur enim Dionysius putasse, rationem ipsam, hoc est λόγον quo Pater ipse λογικὸς est, quam velut formam in ipsius essentia cogitamus, Filium esse Dei. Respondeo, Neutiquam credibile est, Dionysium Sabellianismum defendisse in illa ipsa Epistola, quam contra Sabellianos ex professo scripsit, quaque adeo Sabellium, quod asseruerit Filium ipsum esse Patrem, et e converso Patrem esse Filium, blasphemiæ expresse arguit[g]. Qua vero ratione catholici veteres Filium ipsum Dei Patris λόγον dixerint, simulque eundem Dei Filium revera distinctam esse a Patre

[g] Vide Dionysii testimonium supra a nobis citatum, II. 11. 1. [p. 390.]

personam agnoverint, infra[h] clare ostendemus. Interim Filii æternitatem aliorum Patrum Antenicænorum suffragiis confirmare pergo.

3. Sequitur Dionysius Alexandrinus, qui cognominis sui etiam σύγχρονος fuit. Ex doctrinæ capitibus, de quibus ipsum coram Dionysio R. falso accusarunt adversarii, hoc unum erat, referente Athanasio[i] in Epistola de Sententia Dionysii Alexandrini; Οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ Θεὸς πατήρ· οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ υἱὸς, ἀλλ' ὁ μὲν Θεὸς ἦν χωρὶς τοῦ λόγου· αὐτὸς δὲ ὁ υἱὸς οὐκ ἦν πρὶν γεννηθῇ, ἀλλ' ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν· οὐ γὰρ ἀΐδιός ἐστιν, ἀλλ' ὕστερον ἐπιγέγονεν. i. e. "Deus non semper Pater fuit; Filius non "semper fuit, sed Deus fuit sine Verbo; ipse autem
199 "Filius non erat antequam nasceretur; verum erat "aliquando, quando non erat; neque enim æternus "est, sed postmodum extitit." Diserte enim dicit Athanasius de his Dionysium se defendisse[k]. Jam ex hac ipsa accusatione liquet, propositionem illam, quæ affirmat fuisse quando Filius non esset, a catholicis Dionysii ætate pro heterodoxa et absurda habitam fuisse. Quomodo autem se defendit Dionysius? an fatetur hæc se unquam vel scripsisse, vel sensisse? nihil minus. Filii τὸ συναΐδιον se ex animo agnoscere, semperque agnovisse profitetur. Nam in libro primo Elenchi et Apologiæ ait[l], Οὐ γὰρ ἦν ὅτε ὁ Θεὸς οὐκ ἦν Πατήρ· "Non enim fuit, quando "Deus non esset Pater:" et post aliqua de Filio Dei sic scribit, Ἀπαύγασμα δὲ ὢν φωτὸς ἀϊδίου, πάντως καὶ αὐτὸς ἀΐδιός ἐστιν. ὄντος γὰρ ἀεὶ τοῦ φωτὸς, δῆλον ὡς ἐστιν ἀεὶ τὸ ἀπαύγασμα. i. e. "Cum enim splendor sit

[h] Hujus sectionis cap. 5. §. 5. et 6.

[i] Tom. I. p. 559. [§. 14. vol. I. p. 253.]

[k] Ἀπολογούμενος πρὸς ἐκεῖνα. Ibid.

[l] Ubi supra. [§. 15.]

" æternæ lucis, omnino et ipse æternus est. Luce " enim semper existente, manifestum est splendo- " rem semper existere :" et mox [m], Ὁ δέ γε Θεὸς ἀιώνιόν ἐστι φῶς, οὔτε ἀρξάμενον, οὔτε λῆξόν ποτε. οὐκοῦν ἀιώνιον πρόκειται καὶ σύνεστιν αὐτῷ τὸ ἀπαύγασμα ἄναρχον καὶ ἀειγενές. i. e. " Deus autem æterna lux est, neque in- " cipiens unquam, neque desinens. Igitur coæter- " nus cohæret illi et coexistit splendor, qui initio " caret et semper genitus est." Et rursus ; Μόνος δὲ ὁ υἱὸς ἀεὶ συνὼν τῷ Πατρὶ, καὶ τοῦ ὄντος πληρούμενος, καὶ αὐτός ἐστιν ὢν ἐκ τοῦ Πατρός. i. e. " Solus Filius sem- " per coexistit Patri, plenusque existentis est, et ipse " ex Patre existit." His gemina habet idem Dionysius in Epistola, quæ hodie extat, contra Paulum Samosatenum scripta, et in Responsionibus ad Pauli quæstiones Epistolæ subjectis. In Epistola sic de Christo scribit [n], Εἷς ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ὁ ὢν ἐν τῷ Πατρὶ, συναΐδιος λόγος. i. e. " Unus est Christus qui est in " Patre, coæternum Verbum." In Responsionibus, Resp. ad Quæst. IV. [o] sic Christum ex Jeremia inducit loquentem, Ἐγὼ ὁ ἐνυπόστατος ἀεὶ ὢν Χριστὸς, ὁ ἴσος τῷ Πατρὶ κατὰ τὸ ἀπαράλλακτον τῆς ὑποστάσεως, ὢν συναΐδιος καὶ τῷ Κυρίῳ πνεύματι [p]. i. e. " Ego Christus " persona semper existens, æqualis Patri, quod ipsi " in nullo sim dissimilis, coæternus etiam Domino " Spiritui." Ubi integram coæqualem et coæternam personarum Trinitatem confitetur. Idem Respons. ad Quæst. V. [q] reprehendit Paulum Samosa-

[m] Pag. 560. [§. 15. p. 254.]

[n] Bibl. Patr. tom. XI. p. 276. [p. 211.]

[o] Pag. 284. [p. 232.]

[p] Nota obiter titulum τοῦ Κυρίου a Dionysio, ante Constantinopolitanos Patres, Spiritui S. tributum.

[q] Pag. 287. [p. 240.]

tenum, quod noluerit Christum dicere *χαρακτῆρα συναΐδιον τῆς τοῦ Θεοῦ Πατρὸς ὑποστάσεως*, " figuram coæter- " nam personæ Dei Patris." In eadem quoque Responsione Filii æternitatem sic declarat [r]; *Ὥσπερ οὖν ἐννοοῦμεν, ὅτι εἰ ἐκ τοῦ παρ' ἡμῖν ὑλικοῦ πυρὸς λάβῃ τις, καὶ πάθος ἢ τομὴν οὐ ποιεῖ, ἐν τῷ ἀναλάμψαι φῶς ἐκ φωτὸς, ἀλλὰ μένει* [s] *τοῦτο· οὕτως ἀκαταλήπτως ἐξ ἀϊδίου γέννησις τοῦ Χριστοῦ ἐκ Πατρός*. i. e. " Sicut igitur intelligimus, " quod si quis ex igne corporeo, quo utimur, sumat, " neque passionem neque sectionem infert ei, lumen " ex lumine accendens, sed idem manet; ad eun- " dem modum fit incomprehensibiliter ab æterno " generatio Christi ex Patre." Denique hanc fuisse constantem ipsius sententiam, quam semper tenuit, et ubique prædicavit et professus est, ipse affirmat Respons. ad Quæst. X. his verbis [t]; *Ἔγραψα, καὶ γράφω, καὶ ὁμολογῶ, καὶ πιστεύω, καὶ κηρύττω συναΐδιον τῷ Πατρὶ τὸν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ υἱὸν καὶ λόγον τοῦ Πατρός*. i. e. " Scripsi, et scribo, et confiteor, ac credo, et " prædico coæternum Patri Christum, unigenitum " Filium et Verbum Patris." Perfricet jam frontem Sandius, et etiamnum glorietur, magnum Dionysium Alexandrinum cum Ario sensisse.

4. Dionysium Alexandrinum excipit Gregorius Thaumaturgus, qui amborum Dionysiorum Romani et Alexandrini coætaneus fuit, et duobus istis luminibus conjunctus felix illud sæculum mire illustravit. In ejus Confessione fidei (quam supra descripsi, et ipsius genuinam esse evidenter satis probavi [u],) Christus dicitur Dei Patris *χαρακτὴρ ἀΐδιος* " Character æternus;" et *υἱὸς ἀΐδιος ἀϊδίου Πατρός*, " Fi- " lius æternus æterni Patris." Quin et in eadem

[r] [Pag. 241.] [s] [Al. *ἀλλ' εἰ μέν.*]

[t] Pag. 299. [p. 271.] [u] II. 12. 1, 2, 3. [p. 416.]

Confessione Pater, Filius, et Spiritus S. dicitur τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη ἀπαλλοτριουμένη· " Trinitas perfecta, quæ glori " ÆTERNITATE, ac regno non dividitur, nequ " alienatur."

5. Tempore hujus Gregorii sex episcopi celebriores e synodo Antiochena, contra Paulum Samosatenum congregata, scripsere, (dubio procul ex communi cæterorum episcoporum sententia,) ad ipsum Paulum Epistolam, in qua de Filio Dei sic loquuntur [x], Τοῦτον πιστεύομεν σὺν τῷ Πατρὶ αἰεὶ ὄντα ἐκπεπληρωκέναι τὸ πατρικὸν βούλημα πρὸς τὴν κτίσιν τῶν ὅλων. i. e. " Hunc credimus, cum semper Patri coexisteret, " paternam implesse voluntatem in rerum omnium 200
" creatione." Quibus in verbis diserte docent, Filium Dei non modo ante rerum creationem fuisse, (utpote per quem universa condita fuerunt,) sed et semper Patri coextitisse, hoc est ipsi coæternum esse. De his tamen etiam episcopis scribit Sandius [y], eos " non obscure innuere, Filium, antequam " a Patre in actum esset genitus, in potentia solum " fuisse." Sed rogo ipsum, quibus Epistolæ verbis illud innuant? Nullus dubito, quin respexerit verba ista, ubi dicunt præsules sanctissimi, " Patrem gene- " rasse Filium tanquam actum" (ἐνέργειαν) " viven- " tem, et per se existentem, omnia in omnibus ope- " rantem." Quippe scriptorem [z] novi, cujus scrinia compilavit Sandius, qui ex his verbis idem collegerit. Verum nisi ex aliorum fide, ut solet, de his episcopis sententiam tulisset nugator iste, si suis oculis ipsa

[x] Bibl. Patr. tom. XI. [Apud Routh. Reliq. Sacr. vol. II. p. 468.]

[y] Enucl. Hist. Eccles. I. p. 124.

[z] Vide Irenici Irenicorum p. 66.

inspexisset epistolæ verba, atque attentius cum antecedentibus et consequentibus contulisset, agnovisset facile, ista ad quæstionem de Filii æternitate nihil attinere. Scilicet Patres ibi perstringunt hæresim Pauli et Sabellii, qui in eo consenserunt, quod τὸν λόγον seu Filium Dei, per quem omnia condita sunt, esse Dei Patris ἐνέργειαν ἀνυπόστατον, "virtutem "minime per se subsistentem" crediderint. Adversus hos sancti viri docent, Deum Patrem genuisse Filium suum, ὡς ἐνέργειαν ζῶσαν καὶ ὑφεστῶσαν, "tanquam virtutem viventem et subsistentem." Quo etiam spectant eorundem ibidem de Filio Dei hæc verba; Δι' οὗ ὁ Πατὴρ πάντα πεποίηκεν, οὐχ ὡς δι' ὀργάνου, οὐδ' ὡς δι' ἐπιστήμης ἀνυποστάτου· "per quem omnia "fecit Pater, non tanquam per instrumentum, ne- "que tanquam per scientiam per se non subsisten- "tem." Eosdem itidem hæreticos respexit eodem tempore scribens Gregorius Thaumaturgus, dum Confessionem suam sic exorsus est; Εἷς Θεὸς Πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης· "Unus Deus Pater "Verbi viventis, sapientiæ subsistentis." Res certe manifesta est. Pergo.

6. Theognostus Alexandrinus, vir summus, in celebri illo Hypotyposeon fragmento, quod nobis conservavit Athanasius, (quodque supra[a] integre adduximus,) Filii τὸ συναΐδιον non obscure confirmat, dum de ipso sic scribit; Οὐκ ἔξωθέν τίς ἐστιν ἐφευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία, οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντων ἐπεισήχθη· ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας ἔφυ, ὡς τοῦ φωτὸς τὸ ἀπαύγασμα. i. e. "Non "est extrinsecus quædam adinventa Filii substantia, "neque ex non extantibus superinducta; sed ex "Patris substantia ipse progenitus est, ut a luce

[a] Vide II. 10. 7. [p. 376.]

" splendor." Quibus in verbis primo negat, Filium esse Patri superinductum, ac per consequens coæternum fatetur. Nam si fuit aliquando quando Filius non esset, et postmodum ipse Patri accessit, tum certe jure dicitur Filius Patri superinductus. Deinde hoc idem significat, dum Filium dicit ex paterna substantia progenitum, ut ex luce splendor emittitur; nam æternæ lucis splendor æternus sit, necesse est. Atque hoc omnino voluisse Theognostum ideo certius est, quod Origenis fuerit discipulus, qui eodem simili Filii æternitatem passim in scriptis suis illustrat.

7. Methodius, quem etiam inter Patres Antenicænos cum Ario sentientes numerat post Petavium Sandius, in excerptis e libro de Castitate apud Photium [b], æternam Filii ex Patre generationem, verbis veluti solis radio descriptis, prædicat. Nam ad locum Psalmistæ, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, hæc annotat; Παρατηρητέον γὰρ ὅτι τὸ μὲν υἱὸν αὐτὸν εἶναι ἀορίστως ἀπεφήνατο, καὶ ἀχρόνως· Εἶ γὰρ υἱὸς, αὐτῷ ἔφη, καὶ οὐ, Γέγονας· ἐμφαίνων, μήτε πρόσφατον αὐτὸν τετυχηκέναι τῆς υἱοθεσίας, μήτε αὖ προϋπάρξαντα μετὰ ταῦτα τέλος ἐσχηκέναι· ἀλλὰ προγεννηθέντα καὶ ἔσεσθαι καὶ εἶναι ἀεὶ τὸν αὐτόν. i. e. " Observandum hic, illud, Fi-" lium suum esse, indefinite et sine tempore dictum. " *Es* enim Filius, ipsi dixit, et non, *Factus es*; de-" clarans neque novam seu recentem ipsum adep-" tum esse filiationem, neque finem postea habuisse " eum, qui prius extiterit; sed qui ante genitus sit, " eundem et fore et esse."

8. Pamphilum martyrem Filii omnimodam æternitatem credidisse, inde certissime constat, quod

[b] Cod. 237. p. 959. [Sympos. Orat. VIII. p. 112.]

ipse Origenem, tanquam eo in articulo catholicum, strenue defenderit. Nam in Apologia pro Origene, contra ipsius accusatores, probare nititur, solideque probat, Adamantium in scriptis suis hæc dogmata passim asseruisse, " quod non sit Pater antequam " Filius, sed coæternus sit Filius Patri, et extra ul- " lum initium sit generatio Filii Dei." Consule omnino ipsam Apologiam. Ex Pamphili autem doctrina conjectari licet de Pierii, ipsius magistri, sententia, nempe et ipsum in hoc articulo catholicum fuisse. Quod et inde amplius confirmatur, quod etiam Pierius ille fuerit Origenis studiosissimus sectator, qui (ut abunde evicimus) Filii cum Patre coæternam existentiam in scriptis suis constantissime adseruerit. Quibus porro et illud addas, quod ipse Photius (ut supra [c] ostendimus,) de celeberrimo Pierio illud signanter referat, ipsum de Deo Patre ac Filio pie credidisse.

201 9. Denique Arnobius, idem qui vere divinam in Christo naturam (si quisquam alius Veterum,) agnovit, et Filium Dei maxime proprie, et sine ulla vocis ambiguitate, verissimum Deum esse, sæpius atque apertissimis verbis, (ut supra [d] ostendimus,) professus est; idem, inquam, Arnobius verbis haud minus disertis passim affirmat, omnem vere divinam naturam omnino (hoc est, tam a parte ante, ut loquuntur, quam a parte post,) æternam esse. Plurimis illud Arnobii locis confirmare possum; sed uno et altero testimonio contentus ero. In libro tertio [e] ita ex communi Christianorum sententia de naturis divinis clarissimus rhetor disserit: " Nostra de hoc sen- " tia talis est; naturam omnem divinam, quæ nec

[c] II. 13. 2. [p. 436.] [d] II. 14. 1, 2. [p. 461.]
[e] [Pag. 107.]

" esse cœperit aliquando, neque vitalem ad termi-
" num sit aliquando ventura, lineamentis carere cor-
" poreis, &c." In libro septimo haud procul ab initio, gentiles de diis ipsorum sic alloquitur: " Ex vo-
" bis audire consuevimus, Deos esse quamplurimos,
" et nominum in serie computari; qui si sunt, ut di-
" citis, uspiam, verique, ut Terentius[f] credit, eos
" esse consequitur sui consimiles nominis, id est
" tales, quales eos universi debere esse conspicimus,
" et nominis hujus appellatione dicendos, quin imo,
" ut breviter finiam, qualis Dominus rerum est, at-
" que omnipotens ipse, quem dicere nos omnes Deum
" scimus atque intelligimus verum, cum ad ejus no-
" minis accessimus mentionem. Deus enim ab al-
" tero, in eo quo Deus est, nulla in re differt; nec
" quod unum est genere, suis esse in partibus minus
" aut plus potest, qualitatis propriæ uniformitate
" servata. Quod cum dubium non sit, sequitur, ut
" geniti nunquam, perpetuique ut debeant esse." Hinc ex Arnobii sententia hoc argumentum conficitur: Quisquis Deus verus est, is Deo Patri et omnium Domino in nullo dissimilis, ac proinde ingenitus, hoc est, non factus, atque æternus esse debet; atqui Christus Filius Dei est Deus verissimus: ergo Christus Filius Dei Deo Patri et omnium Domino in nullo dissimilis, ac proinde ingenitus, sive non factus, et æternus est. Major propositio ab Arnobio in verbis citatis diserte traditur. Minorem, ut modo dictum est, expressissimis itidem Arnobii locis supra probavimus. Cæterum ego nullus dubito, quin Arnobius in verbis illis, " Deus enim ab altero, in eo
" quo Deus est, nulla in re differt; nec quod unum

[f] Nempe Terentius Varro, de quo paulo ante locutus fuerat Arnobius.

" est genere, suis esse in partibus minus aut plus " potest, qualitatis propriæ uniformitate servata," ad augustissimum Trinitatis mysterium, a Christianis creditum, cogitationem suam direxerit. Quippe in sacrosancta illa Triade altera persona ab altera in eo quod Deus est, hoc est juxta naturam divinam unicuique communem, nulla in re differt, neque in una persona plus minusve est quam in altera; sed qualitatis Deo propriæ, sive proprietatum divinarum uniformitas in singulis servatur. Unde cum Deus Pater, quem Dominum rerum appellat Arnobius, increatus atque æternus sit, sequitur Filium quoque Dei, utpote quem etiam verissimum esse Deum, ut dictum est, omnino credidit Arnobius, increatum et æternum esse. In eo quidem improprie locutus est Arnobius, quod personas divinas *partes* dixerit. Sed illud facile condonandum homini Christianæ disciplinæ adhuc rudiori, et nondum sacro baptismate regenerato, ac demum ad homines gentiles et prorsus profanos orationem habenti; præsertim cum ibidem, et eodem quasi spiritu, totam divinitatem in qualibet divinitatis parte inesse debere, diserte dicat.

10. Atque hactenus de catholicis scriptoribus Antenicænis, qui Filii τὸ συναΐδιον aperte, clare, ac perspicue, absque ulla ἐναντιοφανείᾳ, docuerunt ac professi sunt. Ex quibus omnibus liquet, aperte falsum esse, quod scripsit Petavius Jesuita lib. I. de Trinitate cap. 5. §. 7. ubi (ut jam initio hujus operis notavimus,) Veterum, qui synodum Nicænam antecesserunt, de Filio Dei sententiam explicans, ita scribit: " Tum autem a supremo Deo ac Patre productum " esse (Filium,) dixerunt, cum hanc rerum universi- " tatem moliri statuit, ut illum velut administrum

" adhiberet. Quam sententiam alii clarius, obscu-
" rius alii significant. Sed isti fere, Athenagoras,
" Tatianus, Theophilus, Tertullianus, et Lactantius.
" Tam ii vero, quam reliqui, quos commemoravi [g]," (commemoraverat autem Patres fere omnes Antenicænos,) " ut Origenes, ÆVO, dignitate ac potentia
" superiorem esse Verbo Patrem arbitrati sunt; ac
" tametsi de Patris esse substantia sive natura Fi-
" lium esse assererent, qua una re a cæteris, quæ
" creaturæ propriæ vocantur, illius conditionem di-
" versam faciebant, non minus tamen quam creatu-
" ras initium habuisse, hoc est minime ex æterno
" distinctam hypostasin fuisse putarunt." Nam tot veteres scriptores Antenicæni, quorum sententiam in 202
superioribus sigillatim et accurate explicavi, ii omnes ævo superiorem esse Filio Patrem, et Filium initium habuisse, diserte negarunt. Origenem vero, quem maxime illius blasphemiæ arguit Petavius, Filii τὸ συναΐδιον strenue defendisse, abunde evicimus. Sed et hinc thesis nostræ primæ veritas clare elucet, quæ hæc fuit: " Doctorum, qui concilium Nicæ-
" num antecesserunt, potior et major pars Filii τὸ
" συναΐδιον, id est, coæternam cum Deo Patre exis-
" tentiam, sine ambagibus, aperte, clare, ac per-
" spicue docuerunt et professi sunt." Quippe Ignatius, Justinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Dionysius Papa Romanus, Dionysius Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus, sex episcopi celebres, qui ex Antiochena synodo ad Paulum Samosatenum scripserunt, Theognostus, Methodius, Pierius, Pamphilus Martyr, Arnobius, (qui certe longe majorem ac potiorem Scriptorum

[g] [Vide quæ nos ad Proem. §. 7. [p. 10.] neque enim ibi neque hic Petavii verba juste et sincere a Bullo citantur.]

Antenicænorum partem constituunt,) ii, inquam, omnes, Filii τὸ συναΐδιον apertissime confessi sunt. Quibus addas (quem in hac sectione suo loco commemorare prætermiserim) Caium presbyterum, virum celebrem, et scriptorem perantiquum, qui a Photio (cod. 48.) dicitur in opere de universo, Filii τὴν ἐκ Πατρὸς ἄφραστον γέννησιν ἀμέμπτως ἀναγράφειν, "inenarrabilem ex Patre generationem citra reprehensionem describere." Quod certe Photius de ipso non dixisset, nisi generationem illam æternam agnovisset. Demum hinc patet, sententiam, quæ statuit Filium Dei Deo Patri coæternum esse, non modo doctoribus plerisque Antenicænis placuisse, sed et receptam, approbatam, ac ratam primævæ ecclesiæ fidem ac sententiam fuisse. Nam Ignatius scriptor apostolicus Gnosticos Cerinthianos ideo reprehendit, quod contra ecclesiæ apostolicæ fidem τῷ λόγῳ initium tribuerint; et idem sæpius facit Irenæus, Polycarpi discipulus. Ex Dionysii Alexandrini historia apparet, qui Filii æternitatem tum temporis negarent, pro heterodoxis ab ecclesiæ præsulibus habitos fuisse. Dionysius Papa Romanus non suam tantum, sed et totius cleri Romani fidem ac sententiam tradens, dictum illud Arii de Filio Dei, "Erat "quando non erat," tanquam maximam blasphemiam damnavit. Denique sex illi episcopi, quos supra recensui, auctoritate totius Synodi Antiochenæ (quæ plurimis constitit episcopis, cujusque judicium catholica ecclesia, quæ sub cœlo erat, universa comprobavit, teste Eusebio E. H. VII. 29.) ad Paulum Samosatenum scripsere Epistolam, in qua Filii Dei omnimodam æternitatem clare asseruerunt.

CAP. V. 203

Proponitur thesis secunda de Patribus illis, qui Filii æternitatem, cum negasse videantur, revera tamen confessi sunt. Athenagoræ sententia de Filii τῷ συναϊδίῳ accurate explicatur.

1. AD eos nunc doctores progredior, qui Filii Dei cum Deo Patre coæternam existentiam cum negasse videantur, revera tamen confessi sunt. De quibus hæc esto thesis nostra secunda:

THESIS II.

Nonnulli sunt scriptores catholici synodo Nicæna antiquiores, qui videntur Filio Dei, etiam qua Deus est, nativitatem tribuisse quandam, quæ aliquando cœperit, et mundi creationem proxime antecesserit. Sed et isti longius ab Arii sententia abhorruerunt. Nam si dicta eorum accuratius expendantur, apparebit de nativitate ipsos locutos non vera et proprie dicta, qua nempe Filius ὑποστάσεως et subsistentiæ suæ initium acceperit; sed de figurata et metaphorica; hoc est, illud tantum voluisse, τὸν λόγον, qui ante omnia sæcula (cum nihil præter Deum esset) in et cum Deo Patre extitit, ut æternæ ipsius mentis coæterna progenies, ex ipso Deo Patre, tum cum mundum conditurus esset, κατ' ἐνέργειαν prodiisse, et progressum esse ad constituendum universa, seque Patremque suum creaturis manifestandum; atque ob hanc προέλευσιν et manifestationem, Dei Filium et primogenitum in Scripturis dici.

Qui ita sacrosanctum dogma explicarunt, isti fere sunt; Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antiochenus, Hippolytus, et Novatianus, sive auctor libri de

Trinitate, qui inter opera Tertulliani, et sub ejus nomine editus est; de quibus ordine agemus.

2. Ac primus in medium prodeat Athenagoras. Hunc Petavius, ut paulo superius notavimus [h], inter eos Patres Antenicænos numerat, qui Arii blasphemam sententiam, quæ affirmat Filium tum primum a supremo Deo productum fuisse, cum hanc rerum universitatem moliri statuisset, Filiumque non minus quam cæteras creaturas initium habuisse, clarius significarunt, et apertius tradiderunt. Petavii autem auctoritati, ut solet, nimium tribuens cl. Huetius [i], Athenagoram eorum scriptorum classi ascribit, qui "de Trinitate falsa et absurda commenti "sunt." Sed non admodum difficilis erit Athenagoræ defensio, si modo locus, unde hujus calumniæ ansam arripuerunt viri eruditi, integre producatur, et accurate expendatur. Igitur Athenagoras in Apologia vel Legatione pro Christianis ad M. Aurelium Antoninum, et L. Aurelium Commodum imperatores, Christianorum de sanctissima Trinitate professionem exponens, postquam de Deo Patre egerat, ad secundam personam venit, Deum habere Filium asserens. Ne vero illud ridiculum videretur philosophis, quos alloquitur, quasi scil. Christiani consimilia poeticis fabulis figmenta, de Jovis nempe filiis, filiabus et nepotibus, somniassent, ostendit, quæ de Filio Dei philosophantur Christiani, longe aliter, sensu scil. spirituali Deoque digno modo prorsus exponenda esse; ita ut Filius Dei intelligatur ὁ λόγος τοῦ Πατρὸς, *Verbum Patris*, quod nempe se habeat ad Patrem, ut ad mentem humanam verbum ejus interius, quod et spiritale est, minimeque per se cadit

[h] Vide hujus sectionis cap. 4. §. 10. [p. 549.]

[i] Origenian. II. 3. 6. p. 187. [p. 253.]

sub sensus, et in mente, unde procedit, manet, nec ab ea sejungitur; unde hominis ἔννοια ipsa ejus mens sæpe dicitur. Nam ita prorsus et Dei Patris τὸν λόγον esse ipsius paternæ mentis progeniem, ex ipsa natam, in eaque ipsa manentem, tam intime ipsi unitam, ut plane ὁ νοῦς ipsa *mens* Patris appellari possit, Paterque adeo et Filius unum dici mereantur. Addit vero Filium Dei esse ipsius λόγον ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ, quatenus nempe ipse est et exemplar, et ars divina, ut ita dicam, juxta quam Deus Pater, cum voluit, cuncta molitus est; et ab ipso et per ipsum 204
universa condita sunt. En ipsa Athenagoræ verba[k]; Καὶ μή μοι γελοῖόν τις νομίσῃ, τὸ υἱὸν εἶναι τῷ Θεῷ. οὐ γὰρ, ὡς ποιηταὶ μυθοποιοῦσιν, οὐδὲν βελτίονς τῶν ἀνθρώπων δεικνῦντες τοὺς Θεοὺς, ἢ περὶ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, ἢ περὶ τοῦ υἱοῦ πεφρονήκαμεν· ἀλλ' ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ λόγος τοῦ Πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ· πρὸς αὐτοῦ[l] γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν Πατρὶ, καὶ Πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ Πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. i. e. "Nec est "quod quis ridiculum putet, Deo Filium a me attribui. Non enim, ut poetæ fabulantur, qui nihilo "meliores hominibus suos Deos faciunt, vel de Deo "Patre, vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei est "Verbum Patris in idea et operatione; ab ipso enim "et per ipsum facta sunt omnia, quum Pater et Fi"lius ita unum sint, ut Filius sit in Patre et Pater "in Filio, per unionem et potentiam Spiritus. Mens "et Verbum Patris Filius Dei est." Quod vero de Filio sive Verbo Dei in idea et operatione dixerat, clarius explicat his verbis continuo sequentibus; Εἰ δὲ δι' ὑπερβολὴν συνέσεως σκοπεῖν ὑμῖν ἔπεισιν, ὁ παῖς τί

[k] Apol. p. 10. [§. 10. p. 286.]

[l] [Vide supra p. 199. et quæ ibi annotavimus.]

βούλεται, ἐρῶ διὰ βραχέων· πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ Πατρὶ, οὐχ ὡς γενομενον, (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς, νοῦς ἀΐδιος ὢν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὢν,) ἀλλ' ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων, ἀποίου φύσεως, καὶ γῆς, ὀχείας[k] ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα, ἐπ' αὐτοῖς ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών. i. e. "Quod " si vobis qui intellectus subtilitate excellitis, altius " repetendum videtur, quidnam sibi velit hic Dei " Filius, paucis dicam; primogeniam illum esse Pa- " tris progeniem, non quasi factum quiddam sit, (a " principio enim Deus, qui est æterna mens, habuit " ipse in seipso λόγον, cum æternum sit λογικὸς,) sed " ita, ut cum materia concreta omnia, informisque " natura, atque terra instar vehiculi subjicerentur, " in iisque crassioribus leviora admista essent, ad " hoc ut idea et actus illorum esset, prodierit[l]." Dico hanc Athenagoræ explicationem ab Arii blasphemiis longissime distare, adeoque, si ipsam dogmatis de Filio Dei substantiam spectemus, plane catholicam esse. Fatetur quidem philosophus Christianus, τὸν λόγον Dei Patris πρῶτον ejus γέννημα a Christianis dici ob προέλευσιν quandam, qua ex ipso Deo Patre, tum cum mundum conditurus esset, processit, idque ut per ipsum mundus conderetur, qua de re in sequentibus sæpius dicturi sumus. Nihilominus istam προέλευσιν ita explicat, ut satis manifestum mihi videatur, nihil ipsum sensisse de τῷ λόγῳ et Filio Dei, quod incommutabili ejus divinitate atque æterna majestate indignum sit. Nam

3. Primo, τὸν λόγον, sive Filium Dei, expresse exi-

[k] ["Evanescit tota hujus loci difficultas, si legamus γῆς ἀχρείας, " et mutemus pravam editionum præcedentium interpunctionem." Ed. Benedict.]

[l] Vide Conradi Gesneri annotat. ad locum.

mit e censu τῶν γενομένων, *eorum quæ facta sunt.* Hunc, inquit, *primigeniam Patris progeniem* dicimus, οὐχ' ὡς γενόμενον, *non quasi factum quiddam sit.* Vere sollicitus erat vir optimus, ne cuiquam tam impia cogitatio obreperet. Quid vero contra Arii blasphemiam apertius dici poterat? miror igitur, quid Petavio in mentem venerit, cum in suspicionem Athenagoram vocarit, quasi προέλευσιν τοῦ λόγου, de qua locutus est, ejusdem productionem fuisse credidisset. Certe enim huic calumniæ Pater doctissimus non potuit verbis expressioribus occurrere, quam quibus usus est. Secundo, æternitatem τοῦ λόγου, sive Filii Dei, non minus expresse asserit Athenagoras. Imo Filium Dei non esse γενόμενον, *factum quiddam,* inde probat, quod in et cum Deo Patre ipse ex æterno extiterit. Verba ejus diserta sunt; "Non quasi factum quiddam sit; a principio "enim Deus, qui est æterna mens, habuit ipse in "seipso λόγον, cum æternum sit λογικός." Scilicet postmodum in eadem Apologia[m] illud pro indubitato axiomate ponit Athenagoras; Ἢ ἀγέννητόν τι, καὶ ἔστιν ἀΐδιον, ἢ γεννητὸν, φθαρτόν ἐστι· "Res omnis vel "non facta atque æterna est; vel facta, proinde "corruptibilis." Quid vero sit τὸ φθαρτὸν, *corruptibile,* mox explicat his Platonis verbis; τὸ ἀρχόμενον εἶναι, καὶ παυόμενον, "quod et inceperit esse, et desitu-"rum sit." Cæterum ibi τὸ γεννητὸν idem significat, quod τὸ γενόμενον *factum;* unde pauculis interjectis, illam per hanc vocem exponit ipse Athenagoras; Ἀδύνατον δέ ἐστι, inquit, ἐπὶ ταυτοῦ μεῖναι τὸν κόσμον γενόμενον· "In eodem statu permanere mundus non "potest, quia factus est." Et mox; Πῶς ἡ τούτων μένει σύστασις, οὐ φύσει ὄντων, ἀλλὰ γενομένων; "Quomodo

[m] Pag. 18. [§. 19. p. 294.]

" horum" (deorum nempe gentilium) " constitutio " permanebit, cum non natura existant, sed facti " sint?" Itaque explodendus est sophista Sandius[n], qui ex loco illo et aliis consimilibus collegerit, sensisse Athenagoram, etiam Filium Dei cœpisse aliquando existere, quia scilicet et ipse Filius aliquo sensu γεννητός. i. e. *genitus* sit. Nam ubi ait Athe-
205 nagoras omne τὸ γεννητὸν cœpisse aliquando existere, manifestum est τὸ γεννητὸν idem prorsus apud ipsum significare quod τὸ γενόμενον, *factum*. Atqui τὸν λόγον sive Filium Dei esse γενόμενον, *factum*, in loco, quo de agimus, diserte negat Athenagoras; quin et ibidem ex æterno ipsum una cum Deo Patre extitisse, expresse affirmat. Progrediamur cum Athenagora nostro.

4. Tertio, manifestum est sensisse Athenagoram, τὸν λόγον ita cum Deo Patre ex æterno extitisse, ut haud minus distincta ab ipso hypostasis ex æterno fuerit, quam post προέλευσιν fuit. Illud hac ratione certo colligitur; Dicit Athenagoras, τὸν λόγον, cum ex Deo Patre progressus est, non fuisse γενόμενον, *factum* aut productum, sive non tum demum initium subsistentiæ suæ accepisse. Hinc autem ita argumentamur; ὁ λόγος, juxta Athenagoram, fuit distincta a Deo Patre hypostasis vel ante προέλευσιν, adeoque ex æterno, vel nunquam. Ratio manifesta est. Quippe si sensit Athenagoras τὸν λόγον sive Filium Dei ante προέλευσιν quidem non fuisse distinctam a Deo Patre hypostasin, neque per se et actu substitisse, sed δυνάμει tantum fuisse in Patris essentia contentum; per προέλευσιν vero istam demum in actum eductum et subsistentia donatum fuisse; tum sane sensit, τὸν λόγον, sive Filium Dei per istam προέλευσιν fuisse γενό-

[n] Nucl. Hist. Eccl. I. p. 88.

μενον, *factum* et productum; quod tamen ipse diserte negat. Res clara est. Si enim quod e potentia in actum educitur, quod cum prius per se non substiterit, actuali dein et distincta subsistentia donatur, non sit hoc ipso γενόμενον dicendum, rogo te, quid γενόμενον dici possit? Atque hinc Petavius Sabellianismi tandem Athenagoram nostrum reum peragit, quasi sensisset Patris et Filii non nisi unicam esse, semperque fuisse personam. Hoc, inquam, facit idem ille Petavius, qui tum eo ipso in loco quo id facit, tum alibi passim, eundem Athenagoram ut Arianum traducit; ita doctissimo Patri duas hæreses, sibi invicem ex diametro repugnantes, affingens. Sed obtestor lectorem, (quisquis veritatem amat, atque optimi sæculi optimi scriptoris reverentia aliquali tenetur,) ut suis ipse oculis usurpet verba Athenagoræ, quæ mox post ea, quæ jam produximus, sequuntur. Sic autem pauculis interjectis pergit philosophus Christianus[o]; Τίς οὐκ ἂν ἀπορήσαι, λέγοντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους; i. e. "Quis non mire-"tur, nos, qui Deum Patrem prædicamus et Deum "Filium et Spiritum Sanctum, ita ut tum unionis "eorum vim, tum ordinis distinctionem exponamus, "Atheos vocari?" Liceat et mihi hic exclamare, quis non miretur, Athenagoram, qui hanc de tribus personis in una divina natura subsistentibus tam disertam confessionem edidit, a quoquam, cui vel mica candoris reliqua est, ut Sabellianum traduci potuisse? Sed et alibi, multis in locis ejusdem Apologiæ, Deum Patrem a Filio Dei ita distinguit Athenago-

[o] Pag. 11. [p. 287.]

ras, ut manifestissimum sit, ipsum cum Sabellio neutiquam sensisse. Unicum locum attulisse sufficiat. Ad imperatores, Marcum Aurelium Antoninum, et Lucium Aurelium Commodum ejus filium et in imperii consortium adscitum, propius sermonem suum dirigens, et Christianorum religionem, cultum unius Dei profitentium, simulque una cum summo omnium parente τὸν λόγον sive Filium ejus adorantium, defendere volens, ait, imaginem regni cœlestis in ipsorum terrestri imperio quasi adumbrari: ita scilicet ut, cum monarchicum sit utrumque regimen, duæ tamen sint in utroque regimine personæ regnantes; quarum cum alteri altera auctoritatem suam acceptam referat, et utræque conjunctis animis regnum administrent, monarchia sarta tecta conservatur. Verba sunt [p]; Ὡς γὰρ ὑμῖν Πατρὶ καὶ υἱῷ πάντα κεχείρωται, ἄνωθεν τὴν βασιλείαν εἰληφόσιν, (βασιλέως γὰρ ψυχὴ ἐν χειρὶ Θεοῦ, φησὶ τὸ προφητικὸν πνεῦμα,) οὕτως ἑνὶ Θεῷ καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ λόγῳ υἱῷ νοουμένῳ ἀμερίστῳ πάντα ὑποτέτακται. i. e. "Ut vobis enim Patri et Filio in potes-
"tate sunt omnia, regno divinitus in vos collato,
"(regis enim anima, inquit Spiritus propheticus, in
"manu Dei est,) sic uni Deo et Verbo quod ab ipso
"est, hoc est Filio inseparabili, subjecta sunt omnia." Quis vero a Sabellii schola ita argumentaretur? Certe longe aliter Christianorum cultum defendisset Sabellianus quispiam; nempe aperte dicendo, unam omnino ab ipsis in divinis personam, Patrem scil. agnosci; Filium vero pro ἐνεργείᾳ tantum divina haberi. Imo hac ipsa similitudine, qua utitur Athenagoras, catholici solebant monarchianis occurrere. Sic enim, (ut alios præteream,) Tertullianus lib. adv.

[p] Pag. 17. [§. 18. p. 293.]

Prax. c. 3.[q] "Μοναρχίαν, (inquiunt,) tenemus. Et ita "sonum vocaliter exprimunt etiam Latini, etiam "opici, ut putes illos tam bene intelligere μοναρχίαν, "quam enuntiant. Sed μοναρχίαν sonare student La- "tini; οἰκονομίαν intelligere nolunt etiam Græci. At "ego si utriusque linguæ præcerpsi, μοναρχίαν ni- "hil aliud significare scio, quam singulare et unicum "imperium; non tamen præscribere monarchiam "ideo, quia unius sit, eum cujus sit aut Filium non "habere, aut ipsum se sibi Filium fecisse, aut mo- "narchiam suam non per quos velit administrare. "Atquin nullam dico dominationem ita unius sui 206 "esse, ita singularem, ita monarchiam, ut non etiam "per alias proximas personas administretur, quas ipsa "prospexerit officiales sibi. Si vero et filius fuerit "ei, cujus monarchia sit, non statim dividi eam, et "monarchiam esse desinere, si particeps ejus adsu- "matur et filius: sed proinde illius esse principali- "ter, a quo communicatur in filium; et dum illius "est, proinde monarchiam esse, quæ a duobus tam "unicis continetur." Post aliqua vero c. 4. addit; "Hoc mihi et in tertium gradum dictum sit;" significans parem esse Spiritus S. rationem, adeoque veram atque integram Trinitatem, salva monarchia divina, defendi posse. Neque id latuit Athenagoram, ut ex loco paulo ante a nobis allato, aliisque locis, quæ, si opus esset, prompte adducere potuissemus, perspicuum est.

5. Cæterum videamus, quid moverit Petavium, ut venerando scriptori hanc Sabellianismi dicam impingeret. "Videtur," inquit[r], "putasse, rationem "ipsam, hoc est λόγον, quo Pater ipse λογικὸς est,

[q] [Pag. 502.] [r] [I. 3, 4.]

" quam velut formam in illius essentia cogitamus, " Filium esse Dei." Sed unde hoc *videtur*, hoc phantasma, quo Jesuita tam turpiter illusus est, ut crederet virum, omnium doctorum confessione doctissimum, ita desipuisse, ita mente adeoque communi sensu plane caruisse, ut putarit, ipsam Dei Patris mentem, sive ipsam rationem, quæ est velut forma Dei Patris, et qua ipse λογικὸς est, paulo ante mundum conditum ex ipso progressam esse, sive processisse, ut mundum conderet? Nimirum ex verbis illis oritur; " A principio Deus, cum sit mens æterna, " ipse in seipso habuit λόγον, cum sit ex æterno λογι- " κὸς, hoc est *rationalis*." Ubi quidem coæternam existentiam τοῦ λόγου cum Deo Patre hoc argumento probat; Deus Pater est æterna mens, et ex æterno λογικός· ergo ex æterno in et cum ipso extitit ὁ λόγος. Verum quis hinc collegerit putasse Athenagoram, τὸν λόγον esse ipsam Patris mentem, sive rationem? Imo quis hinc non contrarium collegerit? Nam si illud sensisset Athenagoras, plane ineptiisset, idem per idem probando hunc ad modum; Deus est æterna mens; ergo ex æterno habuit in se mentem. Sane quanquam Athenagoras Filium Dei mentem Patris paulo superius dixerit, (sensu nempe, quem ibi explicavimus,) hic tamen (ubi magis proprie et stricte loquitur,) τὸν λόγον sive Filium Dei ab ipsa mente divina aperte distinguit, illiusque hanc esse causam non obscure docet. Verum ut ex hoc labyrintho lector extricetur, notandum, Athenagoram cum veteribus plerisque omnibus sensisse, divinam illam personam, quam τὸν λόγον et Filium Dei appellamus, modo ineffabili ac prorsus ἀκαταλήπτῳ a mente et cogitatione Dei Patris ex æterno natum esse. Et multa sunt, quæ suadent, hoc mysterium ab ipsis

apostolis traditum fuisse. And. Rivetus id certum ex Scripturis affirmat, in cap. i. Genes. Exerc. III. prope finem; "Esse autem," inquit, "inter Patrem "et Filium ordinem, qualis inter loquentem interne "et λόγον seu sermonem internum loquentis, ex Scrip- "turis certum habemus." Verum utut illud sit, ita prorsus sensisse veteres plerosque constat. Quippe statuebant illi Dei Patris τὸν λόγον ita appellari, comparatione inprimis habita non ad externam hominis loquelam, sed ad interiorem humani animi ἔννοιαν et notionem, quæ a philosophis *verbum mentis* nominatur; proinde quemadmodum ex mente hominis verbum illud interius necessario profluit, ac simul cum ipsa existit, ita ex Deo Patre, qui est æterna mens, ipsius τὸν λόγον necessario gigni, ipsique coæternum esse; ac denique, sicut homo, Dei imago, dum cogitat, quasi alteram in se personam experitur secum colloquentem; ita in Deo (qui est εἰκὼν ἀρχέτυπος, cujus quicquid in homine obscurius adumbratur, in ipso perfectissime conspicitur,) revera alium esse ab ipso τὸν λόγον ipsius, et omnino distinctam personam. Ita hoc mysterium eleganter explicat Tertullianus in libro advers. Praxeam cap. 5.[s] his verbis; "Vide "quum tacitus tecum ipse congrederis, ratione hoc "ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone "ad omnem cogitatus tui motum, et ad omnem sen- "sus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo "est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud "in animo, necesse est; et dum loqueris, conlocuto- "rem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, "qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens "cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, "per quem loqueris cogitando, et per quem cogitas

[s] [Pag. 503.]

" loquendo; ipse sermo alius est. Quanto ergo ple-
" nius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago et
" similitudo censeris, quod habeat in se etiam ta-
" cendo rationem, et in ratione sermonem?" Jam ex hac hypothesi argumentum Athenagoræ recte procedere, nemo est qui non videat. Mentem vero Athenagoræ clarius expressit ejus æqualis Tatianus, de Patris et Filii coæterna existentia locutus his verbis[s]; Σὺν αὐτῷ διὰ λογικῆς δυνάμεως ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε· i. e. " Cum illo per rationalem vir-
" tutem ὁ λόγος, qui in ipso erat, substitit[t]." Et paulo post; Λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως· " Verbum ex ra-
" tionali virtute." Ubi vide τὸν λόγον a Dei Patris λογικῇ δυνάμει aperte distingui, et hanc illius causam manifeste statui; quod mox fusius demonstrabitur, cum ad Tatianum veniamus.

207 6. Sane si hac Athenagoræ ratiocinatione ad probandum Filii coæternam cum Patre existentiam qui utuntur, pro Sabellianis habendi sunt, Sabelliana fuit universa pene antiquitas, quæ concilium Nicænum antecessit; imo catholici, qui tempore concilii Nicæni et post illud vixerunt, Sabelliani etiam censendi sunt, utpote qui eodem argumento pugnarunt. Multos hic testes possum adducere; sed instar omnium erit maximus ille Athanasius, qui in Oratione secunda contra Arianos ita argumentatur[u]: Ὃν ἐστιν ἀϊδίως ὁ Θεός· ὄντος οὖν ἀεὶ τοῦ Πατρὸς, ἔστι καὶ ἀϊδίως καὶ τὸ τούτου ἀπαύγασμα, ὅπερ ἐστὶν ὁ λόγος αὐτοῦ. καὶ πάλιν ὁ ὢν Θεὸς ἐξ αὐτοῦ καὶ ὄντα τὸν λόγον ἔχει· καὶ οὔτε ὁ λόγος ἐπιγέγονεν, οὐκ ὢν πρότερον, οὔτε ὁ Πατὴρ ἄλογος ἦν

[s] Orat. cont. Græcos, p. 145, 146. [§. 5. p. 247.]

[t] [Vide quæ notavimus infra ad p. 568. ubi hic locus plenius citatur.]

[u] Tom. I. p. 331. [Orat. I. 25. p. 429.]

ποτε. i. e. "Deus ex æterno est; ex æterno igitur "quoque existente Patre, ex æterno quoque existet "ejus splendor, quod ipsum est Verbum. Ac rur- "sum Deus existens, ex se existens Verbum habet; "neque Verbum supervenit, cum prius non esset, "neque Pater unquam sine ratione fuit." Sed quid multis opus est? hoc argumenti genus ipse alibi Petavius [x] sanum ac solidum esse judicat, ipsumque egregie explicat: "Quod ad veteres illos," inquit, "attinet, qui sic disputant, ideo συναΐδιον esse Patri "Filium, quia nunquam Pater sine sapientia virtu- "teque sua extitit, neque lux sine splendore suo, et "hujus generis alia; recte ab illis usurpantur ista, si "non formali, ut appellant, sensu, sed causali, vel "illativo capiantur. Quamvis enim Filius, qua Fi- "lius est, non sit illa ipsa sapientia, qua Pater est "sapiens; necessario tamen cum illa conjungitur, "ab eaque oritur. Quippe sapientia vel intelligen- "tia quæ est in Patre, imo quæ est Pater, actus est "simplex, non habitus aut facultas. Porro actus "omnis sapiendi intelligendique expressam notio- "nem sive sapientiam, hoc est Verbum, necessario "complectitur, neque sine illo potest vel animo con- "cipi. Merito itaque Patres æternitatem Verbi ex "Patris æternitate concludunt. Nunquam enim "mens erit sine verbo (ait Cyrillus [y],) nec Verbum, "nisi mentem in se formatam habeat, intelligi pot- "est. Quod et in libro quinto Thesauri uberius "explicat. Atque ut sapientiam illam, qua formali- "ter sapiens est Pater, ex æterno in Patre fuisse, "recte inde concludimus, quia nunquam sine sapien- "tia Pater extitit; sic etiam natam ex ea expres- "samque sapientiam ex omni æternitate fuisse, non

[x] De Trin. VI. 9. 10. [y] Cyr. Alex. IV. in Joan. p. 413.

" minus necessario probamus, quod actu ipso sapiens " esse, id est intelligere, sine expressa notione ac " Verbo non potuit; præsertim cum Patrem esse sa- " pientem, eo ipso, quo Pater est, hoc est secundum " proprietatem et hypostasin suam, nihil sit aliud, " quam esse dicentem; quod ne intelligi quidem " potest sine expressa notione ac Verbo, tanquam " termino; adeo ut Verbum sic tanquam extrinseca " quædam forma dici possit, a qua Pater habet, ut " sit dicens vel intelligens actu.——Sic illa verissima " sunt, quæ antiqui de Filii æternitate disputando " conficiunt, non fuisse ἄλογον vel ἄσοφον Patrem. " Nam revera expers fuisset rationis aut sermonis ac " sapientiæ, nisi actu ipso intellexisset ab æterno; " quod sine Verbo nequit fieri." Hæc erudite et acute, pro more suo, Petavius. In explicando Athenagoræ loco illustrissimo jam pergamus.

7. Quarto, clare docet Athenagoras, τὸν λόγον per istam, qua de loquitur, προέλευσιν a Deo Patre neutiquam separari, neque extra ipsum existere; sed ut ante προέλευσιν et ex æterno in Deo Patre fuit, ita postmodum adeoque in æternum in Patre manere. Nam ita unum esse etiam nunc Patrem et Filium asserit, ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio. Itaque juxta Athenagoram, προέλευσις ista τοῦ λόγου fuit tantum ἐνεργητική· quod etiam aperte significat, cum ait, progressum fuisse illum ἐνέργεια εἶναι, *ut energia foret* rerum creandarum. Ut verbo dicam: ex mente Athenagoræ ὁ λόγος ante προέλευσιν in eo tantum differt a τῷ λόγῳ, qualis post προέλευσιν fuit, quod ante προέλευσιν λόγος erat apud Patrem velut *quiescens*; postmodum vero fuit λόγος ἐν ἐνεργείᾳ, *Verbum operans*; ut idem prorsus sit in utroque statu ὁ λόγος, in eodemque Deo Patre semper manens.

8. Quinto denique, ex his omnibus consequens est, Athenagoram, etiamsi τὸν λόγον ob προέλευσιν Dei Patris πρῶτον γέννημα dici censuerit, nequaquam voluisse tamen, istam προέλευσιν fuisse ipsius τοῦ λόγου veram et proprie dictam generationem. Etenim vera et propria rei vel personæ cujuspiam generatio ea sola dicenda est, qua illa γίνεται *fit*, sive producitur; atqui τὸν λόγον et Filium Dei per προέλευσιν, qua de loquitur, γίνεσθαι *fieri*, sive *produci*, diserte negat Athenagoras. Cæterum ut res tum esse vel fieri sæpe dicitur, quando apparet, ita ὁ λόγος et Filius Dei, qui sine omni initio a Deo Patre et cum ipso extitit, ut æternæ mentis coæterna progenies, tum veluti natus dicitur, quando in rerum creatione τοῖς γενητοῖς manifestatus fuit, et ipse, et Deus Pater per ipsum. Repete quæ ex Justino observavimus hujus sectionis cap. 2. §. 2. prope finem. [p. 514-15.] Hinc, uti postea videbimus, Veteres nonnulli istam τοῦ λόγου προέλευσιν Filii Dei *revelationem*, atque *ostensionem* appellarunt, ipsumque exinde mundo veluti *visibilem* factum fuisse dixerunt; ut manifestum sit, intellexisse 208
ipsos generationem figuratam et μεταφορικῶς sic dictam. Rem totam paucis complectar. Vera et propria Filii generatio ea sola est, qua ex Deo Patre, ut mentis ipsius æternæ productio, ex æterno extitit. Ob hanc, inquam, æternam a Patre originem et existentiam Filius Dei vere dicitur; quatenus nempe, ut loquitur Tertullianus [z] " omnis origo parens est, " et omne quod ex origine profertur, progenies est." Tertulliano suffragatur Athanasius [a] in Oratione V. contra Arianos: Εἰ μὲν γὰρ, (inquit,) οὐκ ἐστιν ἐκ τοῦ Θεοῦ ὁ λόγος, εἰκότως ἂν αὐτὸν ἀρνοῖντο εἶναι υἱόν· εἰ δὲ ἐκ τοῦ

[z] Adv. Prax. c. 8. [p. 504.]

[a] Oper. tom. I. p. 530. [Orat. IV. 15. vol. I. p. 628.]

Θεοῦ ἐστι, διὰ τί μὴ συνορῶσιν, ὅτι τὸ ἔκ τινος ὑπάρχον υἱός ἐστιν ἐκείνου, ἐξ οὗ καὶ ἔστιν; i. e. "Si enim ex Deo non "est Verbum, merito negarint, ipsum esse Filium; "sin vero ex Deo est, cur non vident, quicquid ex "aliquo est, ejus Filium esse, unde est?" Idem postmodum in eadem Oratione [b]. Ἔστιν ἄρα ὁ λόγος υἱὸς, οὐκ ἄρτι γεγονὼς, ἢ ὀνομασθεὶς υἱὸς, ἀλλ' ἀεὶ υἱός· εἰ γὰρ μὴ υἱὸς, οὐδὲ λόγος· καὶ εἰ μὴ λόγος, οὐδὲ υἱός. τὸ γὰρ ἐκ τοῦ Πατρὸς υἱός ἐστι· τί δέ ἐστιν ἐκ τοῦ Πατρὸς, εἰ μὴ ὁ λόγος, ὁ ἐκ καρδίας προελθὼν, καὶ ἐκ γαστρὸς γεννηθείς; i. e. "Est "igitur Verbum filius, non nuper factus, aut nomi-"natus filius; sed semper filius. Nam nisi sit filius, "Verbum non fuerit; et si non sit Verbum, neque "filius fuerit. Quod enim ex Patre est, filius est. "Quid autem ex Patre est, nisi Verbum ex corde "progressum, et ex utero genitum?" An hoc nescivit Athenagoras? minime certe. Nam æternam τοῦ λόγου ex mente divina productionem agnovisse illum, supra fuse ostendimus. Itaque omnibus rite expensis, illud unum in hac Athenagoræ explicatione culpari posse videtur, quod ob προέλευσιν, de qua loquitur, τὸν λόγον primam Patris progeniem dicat. Sed hanc litem quisquis Athenagoræ intenderit, inutilis et vanæ λογομαχίας ipse manifestus erit. Quorsum enim de verbis et loquendi modis rixemur, ubi de re ipsa convenit? deinde Filium Dei, πρωτότοκον, *primogenitum*, (quod certe idem est, quod Athenagoræ πρῶτον γέννημα,) dici ob progressionem ejus ex Deo Patre ad condendum universa statuerunt, progressionemque adeo illam, Filii quandam quasi generationem conceperunt Patres catholici, qui post exortam controversiam Arianam vixere, interque eos ipse Athanasius, quemadmodum infra li-

[b] Pag. 539. [§. 24. p. 636.]

quido probabimus. Lectorem autem veri amantem et studiosum rogatum velim, ut hanc doctissimi Athenagoræ explicationem (in qua se de Christiano dogmate ἀκριβολογεῖσθαι ipse mox[c] profitetur,) firmiter memoria sua teneat; quod si fecerit, spondere ausim, reliquorum Veterum mentem, qui idem voluerunt quod Athenagoras, licet obscurius fere locuti sint, ipsum felicius assecuturum. Ac de Athenagora hactenus. [Plura de Athenagora auctor habet in Resp. ad G. Clerke. §. 26. 27.]

CAP. VI. 209

Tatiani doctrina de Filii æternitate fuse declaratur.

1. SEQUITUR Athenagoræ æqualis, Tatianus. Qui etiam a Petavio, et ab Irenici auctore, et Sandio, iis Patribus annumeratur, qui cum Ario Filii æternitatem negarunt. Poteram autem causari, Tatianum istum, post magistri sui Justini mortem, in hæresim lapsum fuisse; proinde nullam ejus esse auctoritatem. Sed hac responsione opus non habemus. Verba Tatiani, unde istam ejus hæresim collegit Petavius, et post illum reliqui, quos commemoravimus, attento tantum et candido interprete indigere mihi videntur. Sic igitur Tatianus in Oratione ad Græcos[d]: Φανερώτερον δὲ (inquit) ἐκθήσομαι τὰ ἡμέτερα. Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ· τὴν δὲ ἀρχὴν λόγου δύναμιν παρειλήφαμεν. ὁ γὰρ δεσπότης τῶν ὅλων, αὐτὸς ὑπάρχων τοῦ παντὸς ἡ ὑπόστασις, κατὰ μὲν τὴν μηδέπω γεγενημένην ποιήσιν μόνος ἦν· καθὸ δὲ πᾶσα δυνάμις ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων αὐτὸς ὑπόστασις ἦν, σὺν αὐτῷ τὰ πάντα. σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως

[c] Pag. 11. [§. 11. p. 287.] [d] Pag. 145. [§. 4, 5. p. 247.]

αὐτὸς καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε[e]. θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ λόγος· ὁ δὲ λόγος οὐ κατὰ κενοῦ χωρήσας ἔργον πρωτότοκον τοῦ πατρὸς γίνεται. τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν. i. e. "Nunc manifestius religio-
" nis nostræ arcana pandam: Deus erat in principio,
" principium autem esse verbi potentiam accepimus.
" Etenim Dominus omnium, cum ipse totius esset
" universi substantia, quatenus nulla adhuc erat
" facta creatura, solus extabat: quatenus vero tota
" vis et potentia, ac tam eorum quæ videri possunt,
" quam quæ videri nequeunt, substantia erat ipse,
" cum eo erant omnia. Nam cum ipso per rationa-
" lem vim et ipse, et Verbum quod in ipso erat, sub-
" stitit. Voluntate autem simplicitatis ipsius Ver-
" bum prosiliit: quod quidem non in vacuum pro-
" grediens, primogenitum opus Patris fuit. Hunc
" scimus esse mundi principium." Hujus loci ἐξήγησιν quandam æquo lectori proponam; qua intellecta, spero fore, ut ab hæresi, saltem in hoc articulo, Tatianum is suo judicio facile absoluturus, ipsiusque consensum cum Patribus Nicænis in summa rei, qua de agitur, clare perspecturus sit.

2. Primo expendenda occurrunt verba, Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ· τὴν δὲ ἀρχὴν λόγου δύναμιν παρειλήφαμεν. Ubi plurimum interest, ut recte intelligamus, quid Tatiano sit λόγου δύναμις. Censuit Petavius[f] per λόγου δύναμιν idem significari, quod mox Tatianus dicit λογικὴν δύναμιν, qua rursus nihil aliud intelligendum existimat,

[e] [Hæc verba, ut indicavimus ad p. 523. et 562. ita aliter interpungit et interpretatur edit. Benedict. σὺν αὐτῷ τὰ πάντα (σὺν αὐτῷ γὰρ) διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν αὐτῷ ὑπέστησε. *omnia cum eo per rationalem potentiam sustentabat ipsum etiam illud Verbum, quod erat in eo.* In verbis τὰ πάντα ὑπέστησε respexit forsan Tatius ad Col. i. 17. τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε.]

[f] De Trin. I. 3. 5.

quam "vim rationis ac potentiam, secundum quam "Deus omnia producere potest." Ego vero plane persuasum habeo, per λόγου δύναμιν omnino hic intelligi debere Verbi potentiam, hoc est, ipsum Dei Verbum, quod et Filius Dei appellatur. Quod his evidentissimis, ni fallor, rationibus confirmo. Primo λόγου δύναμις alibi apud Tatianum in hac significatione constanter reperitur. Sic bis usurpatur pagina proxime sequenti [g]; ubi postquam Tatianus dixerat τὸν λόγον *Verbum*, sive Filium Dei, post Angelos condidisse hominem, deinde disserit de ejusdem τοῦ λόγου providentia circa hominem jam conditum his verbis: ἡ δὲ τοῦ λόγου δύναμις, ἔχουσα παρ' ἑαυτῇ προγνωστικὸν τὸ μέλλον ἀποβαίνειν, οὐ καθ' εἱμαρμένην, τῇ δὲ τῶν αἱρουμένων αὐτεξουσίων γνώμῃ, τῶν μελλόντων προύλεγε τὰς ἀποβάσεις. καὶ τῆς μὲν πονηρίας κωλυτὴς ἐγίνετο δι' ἀπαγορεύσεων, τῶν δὲ μελλόντων [h] ἀγαθῶν ἐγκωμιαστής. καὶ ἐπειδή τινι φρονιμωτέρῳ παρὰ τοὺς λοιποὺς ὄντι διὰ τὸ πρωτόγονον συνεξηκολούθησαν, καὶ Θεὸν ἀνέδειξαν οἱ ἄνθρωποι καὶ τὸν ἐπανιστάμενον τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ, τότε ἡ τοῦ λόγου δύναμις τόν τε ἄρξαντα τῆς ἀπονοίας, καὶ τοὺς συνακολουθήσαντας τούτῳ, τῆς σὺν αὐτῷ διαίτης παρῃτήσατο. i. e. "Verbi autem potentia cum "secum prænosceret, quid eventurum esset, non ex "fato, sed ex libero eligentium proposito, rerum fu"turarum exitus prædicebat: et malitiam interdictis "vetabat; eorum vero, qui boni futuri essent, remu"neratorem se demonstrabat. Postquam vero ho"mines callidiorem quendam præ cæteris, utpote 210
"provectiorem ætate, secuti sunt, et divinæ legi se "opponentem pro Deo habuerunt; tum Verbi po"tentia et hujus dementiæ authorem, et eos qui ipsi

[g] Pag. 146. [§. 7. p. 249.]

[h] [Bullus forsan ex conjectura l. μελλόντων. Omnes edd. et MSS. μελόντων.]

" obsecuti sunt, commercio suo privavit." Hic omnes vident τὴν δύναμιν τοῦ λόγου omnino esse ipsum τὸν λόγον, *Verbum*, sive Filium Dei. Unde et in posteriori sententiæ parte nominativus ἡ δύναμις, cum sit generis fœminini, habet tamen relativum masculinum αὐτῷ, quia scilicet ἡ δύναμις τοῦ λόγου sensu est ipse ὁ λόγος. Et hinc Tatianus δύναμιν τοῦ λόγου continuo exprimit verbis, quæ personam divinam clarius designant: καὶ ὁ μὲν (inquit) κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ γεγονὼς, χωρισθέντος ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πνεύματος τοῦ δυνατωτέρου, θνητὸς γίνεται. i. e. " Et qui ad imaginem Dei factus " erat, recedente ab ipso potentiori Spiritu, mortalis " fit." Ubi, (ut obiter id notem,) ex more veterum scriptorum est, quod τὸν λόγον appellat πνεῦμα Tatianus, quod et supra fecit: λόγος γὰρ ὁ ἐπουράνιος πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ Πατρός· " Verbum enim illud cœleste, " Spiritus a Patre genitus." Unicus, si bene memini, superest Tatiani locus, ubi λόγου δύναμις occurrit eodem plane sensu; ubi nempe in eadem oratione [1] Christianus homo dicitur λόγου δυνάμει κατακολουθεῖν, *Verbi potentiam* (hoc est, ut ex contextu apparet, ipsum Verbum sive Filium Dei,) *sequi*.

3. Sed et hac altera ratione interpretatio nostra stabilitur. Tatiano eadem est manifeste λόγου δύναμις et ἡ ἀρχή· at τὴν ἀρχὴν mox ipse τὸν λόγον *Verbum*, sive Filium Dei, interpretatur. Si verba Tatiani, quæ initio perioches a nobis recitatæ habentur, cum verbis, quæ eandem periochen claudunt, conferas, clarius illud perspexeris. Ibi est, ἀρχὴν, *principium esse verbi potentiam accepimus*: hic, τοῦτον (nempe τὸν λόγον sive Filium Dei, de quo ante locutus fuerat) ἀρχὴν *principium mundi esse scimus*. Quis dubitet, quin de eadem ἀρχῇ utrobique locutus sit Tatianus?

[1] Pag. 157. [§. 18. p. 259.]

Nec suum hic commentum nobis tradit Doctor Assyrius, sed communiorem Christianorum sententiam: quod et verbis illis παρειλήφαμεν et ἴσμεν non obscure indicat. Nimirum veteres plerique τὸν λόγον sive Filium Dei dixerunt τὴν ἀρχὴν, *principium*, nempe illud in quo Deus erat ante conditum mundum, adeoque ex æterno quoque mundum Deus condidit. Sic Theophilus Antiochenus, Tatiani suppar, libro primo ad Autolycum Dei nomina recensens, εἰ λόγον (inquit [k]) εἴπω, ἀρχὴν αὐτοῦ λέγω· "Si λόγον dixero, "principium ipsius dico." Idem Theophilus libro II. ad Autolycum de Filio Dei: οὗτος (inquit [l]) λέγεται ἀρχή· "Hic principium dicitur." Et mox ibidem: οὗτος οὖν ὢν πνεῦμα Θεοῦ, καὶ ἀρχὴ, καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὑψίστου· "Hic igitur existens Spiritus Dei, principium "et sapientia, altissimique virtus et potentia." Sic Clemens Alexandrinus Strom. VII. Filium Dei dicit et τὸν ἄναρχον, et ἀρχὴν [m], "illum principio carentem, et "principium." Sic porro Origenes Homil. I. in Genesin, in ipso initio, ad verba illa Geneseos, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, hæc annotat; "Quod est omnium principium, nisi Domi- "nus noster et Salvator ominum, Jesus Christus, "primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo princi- "pio, hoc est, in Verbo suo, Deus cœlum et terram "fecit." Sic denique, (ut alios Patres Antenicænos præteream,) Methodius in Excerptis ex libro περὶ τῶν γενητῶν, apud Photium cod. 235. [n] ad eundem Geneseos locum scribens, ait, ἀρχὴν δὲ αὐτὴν τὴν σοφίαν λέγων τις, οὐκ ἂν ἁμάρτοι· "Is qui principium ipsam

[k] Pag. 71. [§. 3. p. 339.] [l] Pag. 88. [§. 10. p. 355.]

[m] [Τὴν ἄχρονον καὶ ἄναρχον ἀρχήν τε καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὅλων, τὸν υἱόν. p. 829.]

[n] Pag. 939.

" dixerit sapientiam," (hoc est Filium Dei,) " non " aberrabit." Neque aliter philosophati sunt Patres catholici, qui post exortam controversiam Arianam scripserunt. Nam Gregorius Nazianzenus Orat. XXXII. [n] quam dixit in synodo œcumenica secunda episcoporum 150. Divinitatis tres personas ita distinguit: ἄναρχον, καὶ ἀρχὴ, καὶ τὸ μετὰ τῆς ἀρχῆς, εἷς Θεός. i.e. " Quod principii expers est, et principium, " et id quod cum principio est, unus est Deus." Et mox [o]: ὄνομα δὲ τῷ μὲν ἀνάρχῳ Πατήρ· τῇ δὲ ἀρχῇ υἱός· τῷ δὲ μετὰ τῆς ἀρχῆς, πνεῦμα ἅγιον· φύσις δὲ τοῖς τρισὶ μία, Θεός· " Nomen autem principii experti, Pater; " principio, Filius; ei autem, quod cum principio " est, Spiritus Sanctus: natura vero tribus una est, " nempe Deus." Sed et Mosis verba, *In principio creavit Deus*, &c. Augustinus [p], Hieronymus aliique complures ita declarant, ut *principium* Filium Dei interpretantur. Hisce autem argumentis satis demonstratum arbitror, Tatianum per λόγον δύναμιν omnino ipsum τὸν λόγον, sive Filium Dei intellexisse. At quorsum, inquies, dixit Tatianus, Deum Patrem ante conditum mundum, adeoque ex æterno, in τῷ λόγῳ, ut in τῇ ἀρχῇ, fuisse? Respondeo: dixerat de Deo verbis proxime præcedentibus Tatianus, ὁ πάντων ἀνενδεὴς οὐ διαβλητέος ὑφ' ἡμῶν, ὡς ἐνδεής. " Qui nul- " lius rei indigus est, non tanquam egenus a nobis
211 " traduci debet." Hoc autem in verbis continuo sequentibus, a nobis hucusque expositis, ulterius declarat, dicens, Deum ex æterno ante omnes res creatas, et absque illis, sibi αὐτάρκη fuisse: non loco aut do-

[n] Pag. 519. [Orat. XLII. 15. p. 758.]

[o] Pag. 520.

[p] August. Conf. XI. 9. [vol. I. p. 199.] et XII. 19, 20, 28. [p. 218.] Hieron. Quæst. in Genes. [vol. III. p. 305.]

micilio aliquo caruisse, in quo habitaret: neque ipsi defuisse quocum sese communicaret, aut in quo seipsum quasi oblectaret; siquidem ex æterno in τῷ λόγῳ suo erat, et cum ipso versabatur. Itaque hic coæterna τοῦ λόγου cum Deo Patre suo existentia clare docetur. Sed et hoc voluit significare Tatianus, Deo, ante conditum mundum, etiam ipsum quodammodo mundum præsentem fuisse; cum ipsi revera præsens fuerit ὁ λόγος mundi principium, qui et idea est et exemplar, sive ars divina, qua Pater universa, cum voluit, molitus est; quemadmodum vocem *principium* recte, et juxta mentem veterum, alicubi explicavit ipse Petavius. Hoc omnino sensisse Tatianum in verbis allatis clarius adhuc patebit ex iis, quæ apud ipsum sequuntur, ad quæ nunc progredior.

4. Sic autem pergit Tatianus, " Etenim Dominus " omnium, cum ipse totius esset universi substantia, " quatenus nulla adhuc erat facta creatura, solus " extabat; quatenus vero tota vis et potentia, ac " tam visibilium quam invisibilium substantia erat " ipse, cum eo erant omnia. Nam cum ipso per " rationalem vim ipse, et ὁ λόγος, qui in ipso erat, " substitit." Sensus Tatiani manifestus hic est; Mundus, et quæcunque in eo sunt, cum Deo erant δυνάμει, *in potentia*, ut schola loquitur, ex æterno. Quomodo vero id probat? hac scilicet ratione, quia ex æterno substitit non modo Deus Pater, sed et cum ipso λόγος ejus, qui est mundi principium, cujus virtute, postquam is ex Deo quasi prosiliisset et progressus esset, condita fuerunt universa. Hoc, inquam, voluit Tatianus; Mundus ex æterno cum Deo erat in principio suo, nempe τῷ λόγῳ, qui una cum Deo Patre ex æterno substitit. Quod ut luculentius appareat, accuratius expendenda sunt verba

illa; Σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε· Dico, his verbis τοῦ λόγου cum Deo Patre, idque ut distinctæ ab eo hypostasis, coæternam et actualem existentiam, ejusque existentiæ causam æternam, satis aperte declarari. Nam primum, quod ad æternam τοῦ λόγου cum Deo Patre existentiam attinet, clare et diserte dicit Tatianus, τὸν λόγον ante conditum mundum, et cum Deus adhuc solus esset, (hoc est, nulla adhuc facta esset creatura,) in Deo fuisse, et cum Deo extitisse, quamdiu scilicet ipse Deus fuisset. Secundo, actualem fuisse illam τοῦ λόγου existentiam eo significat, quod eundem modum existendi tum Deo Patri, tum ipsius τῷ λόγῳ tribuat, utriusque existentiam eodem verbo exprimens; "Et ipse," (inquit,) nempe Deus Pater, "et λόγος ipsius ὑπέστησε, *substitit*." Sed illud mox contra Petavium manifestius demonstrabitur. Tertio, τὸν λόγον una cum Deo Patre extitisse ex æterno, ut hypostasin ab eo distinctam, non uno modo nos docet Tatianus. Nam et extitisse illum cum Deo Patre dicit, quod non nisi de duobus proprie dicitur; et de Deo Patre et ipsius τῷ λόγῳ locutus, ait, "Cum "ipse, tum ὁ λόγος, qui in ipso erat;" satis aperte innuens, τὸν λόγον non fuisse ipsum Deum Patrem. Denique ne quis suspicaretur, τὸν λόγον hic plane idem esse ac Dei Patris λογικὴν δύναμιν, hoc est, mentem et rationem, aperte τὸν λόγον a λογικῇ δυνάμει distinguit. Ultimo in loco, quod æternam causam coæternæ cum Deo Patre existentiæ τοῦ λόγου attinet, docet Tatianus, λόγον ex æterno cum Deo Patre substitisse διὰ λογικῆς δυνάμεως, "per rationalem vim" sive "potentiam;" hoc est, a Patris mente ex æterno natum fuisse, æternæ mentis coæternam progeniem; quod superius ad Athenagoram explicavimus. At-

qui, inquies, quomodo igitur etiam Deum Patrem dicit substitisse per rationalem vim? Responsio est facilis. Deus Pater, juxta Tatianum, substitit per rationalem vim, veluti per formam suam, hoc est, ipse erat ratio et mens æterna; Deus vero Filius, sive ὁ λόγος, una cum Deo Patre substitit per rationalem vim, tanquam per causam efficientem, hoc est, ex omni æternitate a Patris mente natus est, æternæ mentis, ut sæpius diximus, coæterna progenies. Illud quidem absurdum videtur, quod Tatianus dicat, ante conditum mundum cum Deo Patre substitisse non modo λόγον ipsius, sed et ipsum [q]. Verum in vulgari sermone, quali nonnunquam utitur Tatianus, trita est loquendi forma, qua quis dicatur secum ipso esse. Ita scilicet vulgo dicimus, "Nemo mecum erat præ-" ter meipsum."

5. Sed Petavio jam occurrendum est. "Tatia-" nus," inquit ille [r], "videtur existimasse, Verbum " a Patre productum ex æterno non actu, et in se-" ipso, sed tantummodo in λογικῇ δυνάμει ac potestate " fuisse; quemadmodum in eadem erant et creata " deinceps omnia." Atqui, inquam ego, nemini Tatianus ita existimasse videri potest, qui verba ipsius paulo attentius consideraverit. Si enim Tatiano διὰ λογικῆς δυνάμεως existere, sit non actu, sed potestate existere, dicendum est Tatianum existimasse, ipsum quoque Deum Patrem ex æterno potestate tantum, non actu extitisse; siquidem de Deo Patre et ejus 212
τῷ λόγῳ pariter dicit, ipsos ex æterno διὰ λογικῆς δυνά-

[q] [Totum hoc præsulis nostri argumentum minus aptum est, cum de Patris, tum de Filii æterna existentia, si ὑπέστησε cum editore Benedict. in sensu transitivo accipiamus. Filii tamen præexistentia ex hoc Tatiani loco satis liquet.]

[r] [l. 3. 5.]

illa; Σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς [illegible] vii ingenium; ut ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, [illegible] tiani satis manifes- Deo Patre, idque [illegible] æternam et [illegible] tiæ causam [illegible] primum [illegible] exist[illegible] τὸν [illegible] διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς ὑπέστησε, ita vertens; "per ipse qui in eo erat, extitit." literis vel leviter imbutus non censuerit verba potius reddenda; potentiam tum ipse tum λόγος, qui substitit?" Sed Petavii absurdam recipiamus, nihil ille proficiet. Rogo Jesuitam, quid cum verbis illis, ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν faciendum sit? Dicat nobis, quomodo juxta ὁ λόγος in Deo Patre ex æterno fuerit? potentia rationis, non actu tum fuisse, necesse ut dicat. Sed vide jam solœcismum crassissi- qui hinc in verbis Tatiani exurgat. Scilicet redibit ejus oratio: Ὁ λόγος, qui in Deo Patre non actu, sed rationis potentia, per rationis po- tantummodo, non actu cum Deo Patre sub- quo sermone quid absurdius? Deinde quis persuadere sibi potest, διὰ λογικῆς δυνάμεως nihil significare quam ἐν δυνάμει, *in potentia*, quate- scilicet locutio ista usurpatur a philosophis de quæ nondum actu existunt, sed ex certis quibus- causis existere possunt? Certe λογικὴ δύναμις omnino exprimit *rationalem vim*, sive, ut ita *facultatem*; et cum λόγος dicitur ante con- mundum, adeoque ex æterno, cum Deo Patre substitisse διὰ λογικῆς ejus δυνάμεως, causa æternæ subsistentiæ τοῦ λόγου cum Deo Patre clare signifi- catur. Ut sensus Tatiani manifestus sit; Quem- admodum in homine ex rationali ipsius potentia ne- cessario profluit verbum ejus internum, et simul cum ipsa existit, ita per rationalem Dei vim, quæ

æternum in ipso fuit, cum ipso ex æterno substitit ὁ λόγος. Præterea supra dixit Tatianus, ut vidimus, Deum ex æterno in λόγῳ suo fuisse. Quid vero? an Deus in illo fuit, qui nondum ipse fuit, nisi potestate tantum? Deum etiam in τῷ λόγῳ ante conditum mundum ita fuisse asserit, ut propterea non defuerit ipsi, quocum sese communicaret. Nunquid hoc de τῷ λόγῳ, qui nondum actu extitit, affirmare potuit? Denique respiciendus est omnino Athenagoræ locus, in superiori capite [p. 554.] a nobis allegatus, et cum Tatiani verbis conferendus; siquidem hi duo scriptores mutuam sibi invicem lucem porrigunt. Negat Athenagoras, τὸν λόγον sive Filium Dei esse γενόμενον, *factum*; addita hac ratione, quod Deus Pater, cum sit æterna mens, et ex æterno λογικὸς, hoc est, λογικῇ δυνάμει, ut Tatianus loquitur, pollens, ex æterno habuerit in se ipso τὸν λόγον, necesse sit. Quomodo autem, juxta Athenagoram, Deus Pater in se ex æterno habuit τὸν λόγον; an potestate tantum? Nugæ. Nam sic in rerum natura nihil esse γενόμενον, pari jure affirmare potuisset doctissimus scriptor; cum res cunctæ in potestate divina ex æterno extiterint. Intellexit igitur omnino actualem τοῦ λόγου existentiam Athenagoras, et eandem Tatianus. Ac sane quis non videt exactam utriusque de æternitate τοῦ λόγου sermonis convenientiam? Argumentatur Athenagoras, Deum Patrem ex æterno habuisse in se λόγον, quia æternum λογικὸς fuerit; ait itidem Tatianus, τὸν λόγον ante conditum mundum, adeoque ex æterno, una cum Deo Patre substitisse; quomodo? διὰ λογικῆς δυνάμεως. Res certe manifesta est. In explicando Tatiani textu progrediamur.

6. Sequuntur apud Tatianum hæc verba; "Vo-

" luntate autem simplicitatis ipsius προπηδᾷ *prosiliit*
" ὁ λόγος, et ὁ λόγος non frustra progressus ἔργον πρω-
" τότοκον *primogenitum opus* Patris fuit. Huno
" scimus esse mundi principium." Hic Tatiano τοῦ λόγου προπήδησις idem plane est, quod Athenagoræ ejusdem προέλευσις. Manifeste autem significat Tatianus, eundem illum τὸν λόγον, qui ex æterno in Deo Patre et una cum ipso substitit, cum Deus voluit mundum condere, ex Deo prosiliisse. Quomodo autem prosiliit? Scilicet ἐν ἐνεργείᾳ, sive ut rerum creandarum ἐνέργεια esset, quemadmodum rem explicavit Athenagoras; vel, ut mox ipse Tatianus, ut esset ἀρχὴ τοῦ κόσμου, " principium mundi." Tatiani πρωτότοκον ἔργον plane idem est, (phrasi licet duriuscula expressum,) quod Athenagoræ πρῶτον γέννημα. Uterque allusit ad verba apostoli, Col. i. 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Cæterum ἔργον dicit Tatianus τὸν λόγον, non in se spectatum, (utpote quem ex æterno substitisse paulo ante dixerat,) sed cum respectu ad προπήδησιν. Ut sensus ejus sit; Cum Deus voluit mundum condere, hoc primum fecit, ut ex se prosiliret ὁ λόγος ipsius; sive primum ejus opus fuit emissio τοῦ λόγου, ut per ipsum deinceps hoc universum constitueretur. Sane ἔργον, *opus*, hoc est, creaturam aut factum quiddam esse Dei τὸν λόγον, non sensisse Tatianum, certissimum est. Quippe hæc manifesta fuit ejus doctrina, inter materiam, et materiæ conditorem Deum, nihil esse medium; proinde omnem prorsus creaturam (ne ipsa quidem
213 dempta natura angelica) e materia constare; materiæ illud proprium esse, ut initium habeat; denique materiæ Opificem unum esse Deum. Qui autem hæc docuit, idem τὸν λόγον a materia prorsus distin-

guit, illumque hujus Opificem esse manifeste statuit. Hoc ex collatione quorundam locorum Tatiani clarissime patebit; Ἔχει δὲ, inquit[s], οὕτω· πᾶσαν ἐστὶν ἰδεῖν τοῦ κόσμου τὴν κατασκευὴν, σύμπασάν τε τὴν ποίησιν, καὶ γεγονυῖαν ἐξ ὕλης, καὶ τὴν ὕλην δὲ αὐτὴν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προβεβλημένην. "Sic autem res habet; universam "mundi machinam, et prorsus omne quicquid fac- "tum est, e materia constitutum, ipsam vero ma- "teriam a Deo productam esse patet." Mox ibidem consequenter statuit, ipsos τοὺς δαίμονας, quos vocarunt Ethnici, nempe angelos, σύμπηξιν ἐξ ὕλης accepisse, hoc est, ex materia compactos esse. Idem vero paulo infra locum a nobis hucusque examinatum et τὸν λόγον Dei ab omni materia distinguit, et materiæ fabricatorem ipsum esse diserte pronuntiat. Quippe ibi[t] a Tatiano ὁ λόγος dicitur αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν ὕλην δημιουργήσας· "ipse sibi materiam fabricasse." Pauculis autem interjectis, sequuntur hæc verba; Οὔτε γὰρ ἄναρχος ἡ ὕλη, καθάπερ ὁ Θεὸς, οὐδὲ διὰ τὸ ἄναρχον καὶ αὐτὴ ἰσοδύναμος τῷ Θεῷ· γεννητὴ δέ· καὶ οὐκ ὑπὸ τοῦ ἄλλου γεγονυῖα, μόνου δὲ ὑπὸ τοῦ πάντων δημιουργοῦ προβεβλημένη· "Non enim initii expers est materia, quem- "admodum Deus, neque ipsa, ut initii expers, pa- "rem Deo potentiam habet; sed facta est; neque "ab alio facta; sed ab uno omnium fabricatore pro- "ducta." Hinc cum sacrosanctum Dei nomen caste et religiosissime ubique usurpaverit Tatianus, illud nuspiam alii tribuens præterquam vero Deo, Deum tamen τὸν λόγον diserte dicere non est veritus[u]; Οὐ γὰρ, inquit, μωραίνομεν, ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ λήρους ἀπαγγέλλομεν, Θεὸν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ γεγονέναι καταγγέλλοντες. "Non desipimus, o Græci, neque nugas vobis pro-

[s] Pag. 151. [§. 12. p. 253.]
[t] Pag. 145. [p. 248.]
[u] Pag. 159. [§. 21. p. 262.]

" ferimus, DEUM sub hominis forma natum nun-
" tiantes." Atque ad eundem modum alibi loquitur sæpius. Similia autem, quæ post ea, quæ hucusque explicavimus, adhibet Tatianus ad mysterium sive æternæ productionis, sive τῆς προπηδήσεως τοῦ λόγου, utcunque illustrandum, nolo omnino præstare. Similitudines paucæ admodum, si ullæ, præsertim quæ ad res divinas explicandas accommodantur, (utpote de quibus non possumus nisi balbutire,) quatuor, ut dici solet, currunt pedibus. Ac Tatiani doctrinam de Filii τῷ συναϊδίῳ, jam satis, ut opinor, explicavimus.

214

CAP. VII.

Theophili Antiocheni sententia ac fides de Filii æternitate, in summa rei, sana, catholica, et Nicænæ fidei consona fuisse perspicue ostenditur.

1. SEQUITUR Theophilus, sextus post apostolos Antiochenæ ecclesiæ episcopus. Quem itidem Petavius[x] in catalogo posuit Patrum Antenicænorum, qui blasphemum Arii de Filio Dei pronunciatum, *erat quando non erat*, suo calculo comprobarunt. Prodeat igitur in arenam pro sua ὀρθοδοξίᾳ strenue dimicaturus ipse Theophilus: sed prodeat integer, suaque armatura plene instructus et munitus, non armis spoliatus ac mutilatus, qualis a Petavio introducitur. In secundo libro ad Autolycum, postquam dixerat, prophetas consonantia locutos esse de præteritis, et de præsentibus, quæ nunc fiunt, ut nulla ratio dubitandi sit de futuris, quin sint ea quoque

[x] De Trinitate I. 3. 6.

eventura omnia suo tempore, sic pergit[y]; Καὶ πρῶτον μὲν συμφώνως ἐδίδαξαν ἡμᾶς, ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων τὰ πάντα ἐποίησεν. οὐ γάρ τι τῷ Θεῷ συνήκμασεν· ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτοῦ τόπος ὢν, καὶ ἀνενδεὴς ὢν, καὶ ὑπερέχων πρὸ τῶν αἰώνων, ἠθέλησεν ἄνθρωπον ποιῆσαι ᾧ γνωσθῇ· τούτῳ οὖν προητοίμασε τὸν κόσμον. ὁ γὰρ γενητὸς καὶ προσδεής ἐστιν· ὁ δὲ ἀγένητος οὐδενὸς προσδεῖται. ἔχων οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων. τοῦτον τὸν λόγον ἔσχεν ὑπουργὸν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένων, καὶ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα πεποίηκεν. οὗτος λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει πάντων τῶν δι' αὐτοῦ δεδημιουργημένων. οὗτος οὖν ὢν πνεῦμα Θεοῦ, καὶ ἀρχὴ, καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὑψίστου, κατήρχετο εἰς τοὺς προφήτας, καὶ δι' αὐτῶν ἐλάλει τὰ περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ κόσμου καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων· οὐ γὰρ ἦσαν οἱ προφῆται ὅτε ὁ κόσμος ἐγίνετο, ἀλλὰ ἡ σοφία ἡ ἐν αὐτῷ οὖσα ἡ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ. i. e. "Jam primum omnium uno consensu nos docuerunt, "(Deum,) ex nihilo omnia creasse. Nihil enim cum "Deo floruit, sed cum ipse sibi locus esset, nullius "indigens, et ante sæcula subsistens, voluit homi- "nem, a quo cognosceretur, condere; huic igitur "præparavit mundum. Hic factus, ac proinde egens "est; ille vero infectus nullius rei eget. Deus igi- "tur in suis visceribus τὸν λόγον habens, ipsum una "cum sapientia[z] sua proferendo," (ad verbum *eructando*,) "genuit ante hæc universa. Hunc λόγον ad- "ministrum habuit operum suorum, et omnia quæ "condidit, per ipsum fecit. Hic principium dicitur, "quia dominium habet in omnia, quæ per ipsum "facta sunt. Hic igitur existens Spiritus Dei, prin-

[y] [Pag. 88. [§. 10. p. 355.]

[z] i. e. Spiritu S. Vide II. 4. 9. [p. 200.]

" cipium, et Sapientia, altissimique potentia, descen-
" dit in prophetas, per quos tam de mundi creatione,
" quam de reliquis omnibus locutus est. Non enim
" erant prophetæ, cum mundus crearetur; sed Sa-
" pientia Dei, quæ in ipso est, et λόγος ejus sanctus,
" qui IPSI SEMPER UNA ADFUIT." Huic adjungendus est locus alter ejusdem Theophili in eodem libro; ubi τὸν λόγον Dei Filium postquam dixerat, ne absurdum quiddam de Filio Dei conciperent Ethnici, explicationem mysterii, (Athenagoram, ut videtur, imitatus,) caute subjicit his verbis[a]; Οὐχ ὡς οἱ ποιηταὶ καὶ μυθογράφοι λέγουσιν υἱοὺς Θεῶν ἐκ συνουσίας γενωμένους, ἀλλ' ὡς ἀλήθεια διηγεῖται, τὸν λόγον τὸν ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ. πρὸ γὰρ τὶ γίνεσθαι, τοῦτον εἶχε σύμβουλον, ἑαυτοῦ νοῦν καὶ φρόνησιν ὄντα. ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως· οὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας, καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλῶν. ὅθεν διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ, καὶ πάν-
215 τες οἱ πνευματοφόροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν· δεικνὺς ὅτι ἐν πρώτοις μόνος ἦν ὁ Θεὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ὁ λόγος. ἔπειτα λέγει, Καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος· πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. i. e. " Nec arbitreris, ut poetæ et fa-
" bularum scriptores perhibent deorum filios ex con-
" cubitu esse natos; sed intellige, ut veritas docet,
" τὸν λόγον æternum existentem atque insitum in
" corde Dei. Antequam enim quicquam factum es-
" set, hunc consiliarium habuit, ut qui mens et pru-
" dentia ejus sit. Cum vero jam condere quæcun-
" que deliberaverat instituisset, hunc λόγον genuit
" prolatum, primogenitum omnis creaturæ; non quasi

[a] Pag. 100. [§. 22. p. 365.]

" Verbo ipse exinanitus fuerit, sed Verbum gignens " cum Verbo suo æternum conversatus est. Hæc " nos docent sacræ literæ, et omnes Sancto Spiritu " afflati, quorum de numero est Joannes, ad hunc " modum disserens; *In principio erat Verbum, et* " *Verbum erat apud Deum;* significans in princi- " pio solum fuisse Deum, et in eo Verbum. Postea " infert; *Deus erat Verbum. Omnia per ipsum* " *facta sunt, et sine eo factum est nihil.*"

2. In his locis, fateor, τῷ λόγῳ et Filio Dei generationem quandam a Theophilo tribui, quæ creationem mundi paulo antecessit. At qualem generationem voluit? neutiquam certe personæ prius non actu existentis; sed, cum Athenagora, γέννησιν τοῦ μὴ γενομένου, "generationem ejus qui factus non est," qui apud Deum Patrem ex æterno fuit; adeoque generationem non veram ac propriam, (qualis nempe ea est, qua res vel persona quæpiam fit, sive producitur,) sed figurate et metaphoricωs sic dictam. Genuit, inquit, aliquando Deus Pater illum ipsum τὸν λόγον, quem consiliarium in se ex æterno habuerat, atque etiamnum habet, atque in æternum habiturus sit, utpote in corde ipsius διαπαντὸς ἐνδιάθετον, " per- " petuo insitum." Quomodo autem genuit? nempe ἐξερευξάμενος, dum illum *eructaret*, ut in priori loco dicitur, vel, ut in posteriori loco, προφέρων, dum ipsum *proferret* in principio creationis. Quid, quæso, hoc aliud significare potest, quam προέλευσιν illam ἐνεργητικὴν Athenagoræ, de qua supra diximus? Eodem modo et sapientiam suam, hoc est, Spiritum Sanctum eructasse sive protulisse dicit Deum Patrem, cum mundum conditurus esset. Nimirum Filius et Spiritus Sanctus, " copiosum illud et inenar-

" rabile ministerium" est, (ut loquitur Irenæus[b], Theophili suppar,) quod Deo Patri semper præsto fuit, non indigente ipso angelis, aliove " ministerio " ad fabricationem eorum quæ facta sunt;" hos igitur, quando voluit, emisit ἐν ἐνεργείᾳ ad constitutionem universi. Sed Theophili verba in utroque loco a nobis allato accuratius examinemus, ut ex iisdem veluti synthesin quandam ejus doctrinæ de τῷ λόγῳ et Filio Dei construentes, omnibus tandem manifestum faciamus, venerandum patriarcham in ipso dogmatis capite plane catholicum fuisse. Primo, clare docet Theophilus, τὸν λόγον ex omni æternitate Deo Patri coextitisse. Diserta sunt prioris loci verba; Ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ. " Logos ejus " sanctus, qui semper ipsi una adfuit." Et in posteriori loco dicit Theophilus, τὸν λόγον ante prolationem, qua de loquitur, adeoque ex æterno, Deo Patri σύμβουλον adfuisse. Quid? quod ibidem expresse cavet, (juxta scilicet cum Athenagora,) ne quis Ethnicus Dei Filio, tanquam alicui Jovis soboli, initium tribuat, ipsumve aliter concipiat, quam τὸν λόγον in corde Dei Patris ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον, " æternum " insitum, et existentem."

3. Secundo, manifestum est sensisse Theophilum, τὸν λόγον, quatenus ex æterno in Deo Patre et cum ipso fuit, λόγον fuisse ζῶντα καὶ ὑφεστότα, " viventem ac " subsistentem," hoc est, personam, eamque a Deo Patre distinctam. Cum enim in posteriori loco dicit, τὸν λόγον ante prolationem, qua de loquitur, adeoque ex æterno, Dei Patris σύμβουλον, *consiliarium*, fuisse, ipsa vox σύμβουλος non rem in Deo, (si ita lo-

[b] IV. 17. [c. 7. 4. p. 236.]

qui fas sit,) sed personam clare designat. Jam vero qui alicujus consiliarius est, alterum ab eo esse, cujus est consiliarius, perspicuum est. Deinde quid clarius verbis illis, quibus a Theophilo in priori loco dicitur ὁ λόγος cum Spiritu Sancto Deo Patri ἀεὶ συμπαρὼν, "semper una adfuisse?" Quippe vera est Athanasii[c] regula; Τὸ γὰρ συνυπάρχον οὐχ ἑαυτῷ, ἀλλ' ἑτέρῳ συνυπάρχει. i. e. "Omne coexistens non sibi "ipsi, sed alteri coexistit." Denique eodem spectat, quod itidem in posteriori loco Deus Pater dicitur τῷ λόγῳ διαπαντὸς ὁμιλεῖν· "cum Verbo sempiternum" (hoc est, tam ante, quam post ipsius prolationem) "conversari;" nam conversatio omnis saltem duorum est. Equidem non possum non mirari Petavii lævam mentem, ac plane infelix ingenium, qui putaverit, Theophilum credidisse τὸν λόγον, quem ex æterno in Deo fuisse dicit, idem fuisse cum Deo 216
Patre, hoc est, ipsam Patris essentiam, sive mentem ipsius atque intelligentiam, unde habet ut λογικὸς nominetur. Huic somnio refellendo sufficiunt, quæ supra ad Athenagoram et Tatianum annotavimus. Cæterum τὸν λόγον, juxta Theophilum, non fuisse ante prolationem distinctam a Patre personam, sed ipsam ejus mentem, inde colligit Jesuita, quod λόγον tum ἐνδιάθετον, hoc est, insitum et inclusum in Dei visceribus fuisse dicat. Frivolum sane argumentum, ac tanto viro prorsus indignum. Et hoc tamen sophisma Petavio perpetuum est, qui si in veteri quopiam legit, τὸν λόγον ante constitutionem universi in Deo, in Dei corde, pectore, visceribus fuisse, confestim inde colligit, ex sententia illius scriptoris λόγον

[c] Athanasius contra Arianos Oratione II. tom. I. p. 338. [Orat. I. 32. p. 436.]

tum plane eundem fuisse ac Deum Patrem, hoc est, ipsam illius mentem, sive rationem, unde habet ut λογικὸς nominetur. Sed ad Theophilum quod attinet, nullo is negotio ab hac suspicione liberatur. Dixerat ille in priori loco, Deum ante constitutionem universi, cum nihil eorum, quæ facta sunt, adhuc extitisset, sibi ipsi fuisse locum; cujus consequens est, ut quicquid tum Deo coextitit, in Deo ac veluti in Dei corde ac visceribus fuisse atque extitisse dicendum sit. Hinc mox coæternam τοῦ λόγου cum Deo Patre existentiam describens, ait, Deum ante conditum mundum, adeoque ex æterno, habuisse τὸν λόγον in visceribus suis; quod in posteriori loco exprimit per τὸν λόγον perpetuo existentem, atque insitum in corde Dei. Quanquam haud negaverim, respexisse etiam Theophilum ad comparationem Verbi divini ad humanum, quod in corde prius conceptum et inclusum, deinceps per loquelam exterius profertur; quæ comparatio, ut in aliquibus quadrat, ita in pluribus deficit. Præcipue vero hac locutione id significare voluit Theophilus, quod ejus in cathedra Antiochena antecessor Ignatius [d], cum dixit Filium ante sæcula fuisse παρὰ Πατρὶ, *apud Patrem*; idemque adeo quod ipse Joannes apostolus, qui τοῦ λόγου cum Deo Patre existentiam ante conditum mundum his verbis exprimit; *In principio erat Verbum; et Verbum erat* πρὸς τὸν Θεὸν, *apud Deum*. Imo ipse Theophilus ista evangelistæ verba expresse citat, ut inde probet quod dixerat, nempe τὸν λόγον ex æterno fuisse in corde Dei insitum atque existentem. Jam vero qui τὸν λόγον in corde Dei Patris insitum dicit, hoc ipso τὸν λόγον a corde, hoc est

[d] Ignatius Epist. ad Magnes. p. 33. edit. Vossii. [§. 6. p. 19.]

mente, Dei Patris satis distinguit; ut vel hinc colligere sit, Theophilum neutiquam sensisse, τὸν λόγον esse ipsam Dei Patris mentem, unde λογικὸς nominatur, ut somniavit Petavius; sed λόγον ex mente divina promanantem, neque unquam tamen ab ipsa disjunctum aut separatum; quæ sane ipsissima est hodiernorum catholicorum doctrina. Sed quid multis opus est in re manifesta? Petavius, qui in suspicionem vocavit Theophilum, ac si is τὸν λόγον ante prolationem distinctam a Deo Patre hypostasin neutiquam fuisse existimasset, ob hanc scilicet rationem, quod in Dei corde et visceribus *tum* extitisse ipsum dixerit; idem, inquam, Petavius venerandum patriarcham crassissimi tandem Sabellianismi, (quo nempe eandem semper fuisse, atque etiamnum esse, Patris ac Filii personam statuitur,) pari jure eademque prorsus ratione insimulasset. Nimirum Theophilus Filium Dei expresse dicit τὸν λόγον in Dei corde διαπαντὸς existentem atque insitum; vox autem ista διαπαντὸς valet διὰ παντὸς χρόνου, proinde omne tempus, tum præteritum, tum præsens, tum denique futurum suo ambitu complectitur. Itaque juxta Theophilum ὁ λόγος, qui Filius Dei dicitur, ut ex æterno fuit, ita etiamnum est, atque in æternum erit in Dei corde insitus. Atqui Sabellianum non fuisse Theophilum, apertissime constat. Imo passim τὸν λόγον a Deo Patre adeo manifeste distinxit, ut inde Petavius ansam arripuerit Arianismi ipsum accusandi; quasi scilicet inter Deum Patrem et ipsius τὸν λόγον nimium multam distantiam statuisset. Hæc autem clarius adhuc elucescent ex iis, quæ porro e propositis Theophili locis observaturi sumus.

4. Tertio, igitur diligenter animadvertendum est, Theophilum aperte docere, eundem omnino esse

λόγον, qui cum Deo Patre et in ipso ex æterno fuit, et τὸν λόγον, quem Pater, mundum conditurus, ex seipso protulit. Hoc cardine defensio nostra pro Theophilo contra Petavium præcipue vertitur. Scilicet juxta cum catholicis fatebantur Ariani, λόγον ex omni æternitate in Deo Patre fuisse; hoc erat inter partes controversiæ τὸ κρινόμενον· utrum ὁ λόγος, qui Filius Dei nuncupatur, qui propter nostram salutem
217 incarnatus est, idem sit λόγος qui in Deo ex æterno fuit, an vero alius sit λόγος, ab æterno illo λόγῳ, (sicut res cæteræ,) procreatus et factus; illud statuebant catholici; hoc Ariomanitæ, ut supra observavimus[e]. Itaque si λόγον ἐνδιάθετον et προφορικὸν duos diversos λόγους putavit Theophilus, partium fuit Arianarum; sin utrumque eundem esse λόγον existimavit, noster fuit. Atque ait quidem Petavius, Theophilum "duplicem λόγον statuere videri, alterum ἐνδιάθετον, Patri "ipsimet insitum, qui cum ipso et in ipso ex æterno "fuerit, et ipsa Dei est essentia sive mens illius, et "intelligentia; unde habet ut λογικὸς nominetur; "alterum λόγον προφορικὸν, *prolatitium*, quem Deus "Pater protulit administrum operum suorum." Sed hoc merum est Jesuitæ somnium, cujus nec vola, nec vestigium apud Theophilum reperitur; imo hoc commentum disertissimis ejusdem verbis manifeste repugnat. Nam in posteriori loco, postquam dixerat, Deum Patrem ex æterno habuisse in se τὸν λόγον, ipsius consiliarium, continuo subjungit, τοῦτον τὸν λόγον *genuit prolatum*; ubi pronomen demonstrativum τοῦτον manifeste respicit illum ipsum λόγον, de quo ante locutus fuerat, nempe τὸν λόγον, quem Deus Pater in sese ex æterno consiliarium habuit. De-

[e] Vide quæ diximus hujus sectionis cap. 4. §. 2. [p. 538.]

inde quando ibidem expresse monet Theophilus, Filium Dei omnino intelligendum τὸν λόγον perpetuo ἐνδιάθετον, insitum in corde Dei, quomodo hoc consistere potest cum sententia illa, quam Theophilo affingit Petavius, nempe, τὸν λόγον, qui Filius Dei appellatur, plane alium esse a Dei τῷ λόγῳ ἐνδιαθέτῳ; sane inter Theophilum hic ejusque interpretem Petavium manifesta est ἀντιλογία. Ait Petavius Theophilum existimasse, τὸν λόγον sive Filium Dei, per quem Deus universa condidit, alium esse a τῷ λόγῳ, qui ex æterno in Deo ἐνδιάθετος fuit; at ipse Theophilus expresse dicit, Filium illum Dei esse ipsum τὸν λόγον in Deo æternum ἐνδιάθετον, insitum atque existentem. Denique in priori loco Theophilus, postquam dixerat τὸν λόγον descendisse in prophetas, perque ipsos de mundi creatione aliisque locutum fuisse, hæc ἀμέσως subjicit: " Non enim erant prophetæ, cum mundus " crearetur; sed sapientia Dei, quæ in ipso est, καὶ ὁ " λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ, et Verbum ejus " sanctum semper una ipsi adfuit." Itaque juxta Theophilum ὁ λόγος, qui in prophetas descendit, qui procul dubio Filius Dei erat, idem erat λόγος, qui ex æterno Deo Patri una adfuit. Petavius autem ad suum figmentum utcunque confirmandum observat Theophilum illa Joannis, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, de ἐνδιαθέτῳ λόγῳ capere; hæc autem, *et Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt*, de προφορικῷ interpretari. Sed frustra hinc infert Petavius, Theophilo λόγον προφορικὸν alium esse ab ἐνδιαθέτῳ. Nam ut Joannes in utroque orationis suæ membro de eodem τῷ λόγῳ manifeste agit; ita etiam Theophilus utrumque membrum de eodem λόγῳ interpretatur, cum hoc solo discrimine, quod verba illa, *In principio erat Verbum*,

et Verbum erat apud Deum, intelligat de τῷ λόγῳ ex æterno apud Patrem existente, et in Patre veluti *quiescente*; illa vero, *Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt*, de eodem τῷ λόγῳ e Patre quasi progrediente ad rerum creationem; vel, ut loquitur Athenagoras, de τῷ λόγῳ ἐν ἐνεργείᾳ, "de Verbo "in operatione," sive *operante*. Recole, quæ supra diximus ad Athenagoram.

5. Quarto, denique clare docet Theophilus, per istam, de qua loquitur, prolationem, τὸν λόγον neutiquam a Deo Patre divisum aut separatum fuisse; quasi ante prolationem in ipso, postmodum vero extra ipsum extiterit; sed in Patre æternum subsistere. Nam in posteriori loco ait, Deum Patrem, postquam τὸν λόγον suum protulisset, nequaquam fuisse τοῦ λόγου κενωθέντα, *verbo illo exinanitum*; sed τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλεῖν, "cum Verbo illo suo" (quod ex æterno fecit) "perpetuo conversari." Et in priori loco diserte dicit, Filium Dei esse Verbum in corde Dei διαπαντὸς ἐνδιάθετον, *perpetuo insitum*. Ex his autem omnino efficitur, Verbi prolationem, sive generationem, haud aliam hoc in loco intellexisse Theophilum, quam ἐνεργητικὴν, qua nempe Deus Pater τοῦ λόγου, in se ab æterno et in æternum subsistentis, vim omnipotentem exeruit, ad res cunctas ex nihilo εἰς τὸ εἶναι producendum, easdemque in suo *esse* conservandum [f]. Nam ἐνέργεια illa Filii sive τοῦ λόγου, quæ primitus, cum Deus Pater voluit, ad extra, ut schola loquitur, progressa est, etiamnum perseverat, neque unquam desinet. Quam τοῦ λόγου egressionem ex Patre pulchre explicat Athanasius in Oratione contra gentes his verbis [g]: ὁ Θεὸς, in-

[f] Vide Heb. i. 2, 3.

[g] Tom. I. p. 45. [§. 41. vol. I. p. 40.]

quit, ὢν ἐστι, καὶ οὐ σύνθετος. διὸ καὶ ὁ τούτου λόγος ὢν ἐστι, καὶ οὐ σύνθετος, ἀλλ' εἷς καὶ μονογενὴς Θεὸς, ὁ καὶ ἐκ Πατρὸς, οἷα πηγῆς ἀγαθῆς ἀγαθὸς προελθὼν, τὰ πάντα διακοσμεῖ καὶ συνέχει. ἡ δὲ αἰτία δι' ἣν ὁ λόγος, ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, τοῖς γενομένοις ἐπιβέβηκεν, ἐστὶν ἀληθῶς θαυμαστὴ καὶ γνωρίζουσα, 218
ὅτι οὐκ ἄλλως ἔπρεπεν, ἢ οὕτω γενέσθαι ὥσπερ καὶ ἐστί. τῶν μὲν γὰρ γενητῶν ἡ φύσις, ἅτε δὴ ἐξ οὐκ ὄντων ὑποστᾶσα, ῥευστή τις, καὶ ἀσθενὴς, καὶ θνητὴ, καθ' ἑαυτὴν συγκρινομένη τυγχάνει. ὁ δὲ τῶν ὅλων Θεὸς ἀγαθὸς καὶ ὑπέρκαλος τὴν φύσιν ἐστί· διὸ καὶ φιλάνθρωπός ἐστιν. ἀγαθῷ γὰρ περὶ οὐδενὸς ἂν γένοιτο φθόνος· ὅθεν οὐδὲ τὸ εἶναί τινι φθονεῖ, ἀλλὰ πάντας εἶναι βούλεται, ἵνα καὶ φιλανθρωπεύεσθαι δύνηται. ὁρῶν οὖν τὴν γενητὴν πᾶσαν φύσιν, ὅσον κατὰ τοὺς ἰδίους αὐτῆς λόγους, ῥευστὴν οὖσαν καὶ διαλυομένην, ἵνα μὴ τοῦτο πάθῃ, καὶ πάλιν εἰς τὸ μὴ εἶναι ἀναλυθῇ τὸ ὅλον, τούτου ἕνεκεν τῷ ἑαυτοῦ καὶ ἀϊδίῳ λόγῳ ποιήσας τὰ πάντα, καὶ οὐσιώσας τὴν κτίσιν, οὐκ ἀφῆκεν αὐτὴν τῇ ἑαυτῆς φύσει φέρεσθαι καὶ χειμάζεσθαι, ἵνα μὴ κινδυνεύσῃ πάλιν εἰς τὸ μὴ εἶναι· ἀλλ' ὡς ἀγαθὸς τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ καὶ αὐτῷ ὄντι Θεῷ τὴν σύμπασαν διακυβερνᾷ καὶ καθίστησιν· ἵνα τῇ τοῦ λόγου ἡγεμονίᾳ καὶ προνοίᾳ καὶ διακοσμήσει φωτιζομένη ἡ κτίσις βεβαίως διαμένειν δυνηθῇ. i. e.
" Deus autem uniformiter existit, neque compositus
" est. Quapropter et hujus λόγος uniformiter existit,
" neque compositus est; sed unus est unigenitusque
" Deus, qui etiam ex Patre, tanquam bonus ex bono
" fonte PROGRESSUS, cuncta exornat et continet.
" Causa vero ob quam ὁ λόγος, Dei inquam λόγος, res
" creatas invasit, profecto admirabilis est, et de se
" indicium præbet, non aliter quam decet rem actam
" esse. Creatarum enim rerum natura, quia ex ni-
" hilo constat, fluxa et imbecillis et interitui obnoxia
" est, per se spectata. Deus autem hujus universi-
" tatis bonus est, adeoque excellenter bonus, ac pro-
" inde humanus. Liber enim bonus est ab inviden-

" tia, et quia liber, ideo nulli suum esse invidet, sed " omnes vult existere, ut etiam humanitatem suam " exercere possit. Quoniam igitur animadverteret, " genita cuncta, quantum pro ipsorum ratione condi- " tioneque, caduca esse, et dissolutu facilia; ideo ne " hoc ipsum pateretur et in nihilum rursus dissol- " veretur rerum universitas, postquam suo eoque " æterno Verbo omnia fecisset, et creaturas in sub- " stantiam perduxisset, non permisit ipsas, pro na- " tura ipsarum, ferri ac veluti tempestatibus jactari, " ne rursus in periculum non existendi devenirent; " sed ut bonus suo ipsius Verbo, (quod et ipsum " Deus est,) universa gubernat et constituit; ut " Verbi ductu et providentia et dispositione illus- " tratæ creaturæ firmiter perseverare possent." Hic habes ipsum vocabulum προελθὼν, quo usus est de eadem re locutus Athenagoras. Eundem vero sensum expressit Theophilus vocibus ἐρεύγειν et προφέρειν, quæ ad Deum Patrem relatæ significant ipsius emissionem τοῦ λόγου ad condendum universa. Eructavit quasi et protulit τὸν λόγον Deus Pater; ipse vero ὁ λόγος ex Patre progressus est ad rerum creationem. Quomodo autem dixit Theophilus, τὸν λόγον, non obstante prolatione ista, perpetuo manere in corde Dei ἐνδιάθετον, *insitum*, ad eundem plane modum Athanasius de sua Verbi ex Patre progressione philosophatur. Nam post aliqua, hæc ibidem habet [h]: Αὐτὸς μὲν ἀκίνητος μένων παρὰ τῷ Πατρὶ, πάντα δὲ κινῶν τῇ ἑαυτοῦ συστάσει, ὡς ἂν ἕκαστον τῷ ἑαυτοῦ Πατρὶ δοκῇ. i. e. " Ipse quidem immobilis perseverans apud Patrem, " omnia tamen movet constitutione sua, ut unumquod- " que moveri vult ipsius Pater." Demum ut Verbi

[h] Pag. 46. [§. 42. p. 41.]

prolationem, ejus generationem appellavit Theophilus, ita eadem de causa τὸν λόγον dici πρωτότοκον ab Athanasio aliisque Patribus catholicis, qui post concilium Nicænum scripserunt, supra promisi me ostensurum; nec dubito, quin, Deo volente, fidem meam tandem liberaturus sim. Interim hæc ad Theophili sententiam de Filii τῷ συναϊδίῳ explicandam sufficiant.

CAP. VIII. 219

S. Hippolyti Martyris, et Novatiani, sive auctoris libri de Trinitate, inter opera Tertulliani, doctrina de Filii τῷ συναϊδίῳ declaratur.

1. VENIT nunc S. Hippolyti martyris sententia paucis a nobis explicanda. Affirmat Sandius [i], docuisse ipsum, Filium paulo ante mundum conditum existere cœpisse. Locus autem, quem respexisse Sandium existimo, habetur in Homilia de Deo trino et uno, et de mysterio incarnationis, contra hæresim Noeti [k]; ubi ita quidem disserit Hippolytus; " Deus " solus cum esset, nihilque sibi coævum haberet, vo- " luit mundum efficere, et mundum cogitans, ac vo- " lens, et dicens effecit; continuoque extitit ei factus, " sicut voluit, perfecit.——Satis igitur nobis est scire " solum, nihil esse Deo coævum. Nihil erat præter " ipsum; ipse solus multus erat. Nec enim erat " sine ratione, (τῷ λόγῳ,) sine sapientia, sine poten- " tia, sine consilio. Omnia erant in eo, ipse erat " omnia. Quando voluit, et quomodo voluit, osten-

[i] Enucl. H. E. I. p. 98.

[k] Bibl. Patr. tom. XV. p. 622. [Græca exhibet Fabricius, vol. II. p. 13. c. 10.]

" dit Verbum suum temporibus apud eum definitis,
" per quem omnia fecit. Qui cum vult facit; quando
" cogitat, perficit; quando loquitur, ostendit; quando
" format, sapientiam edit[1]. Fecit igitur sicut voluit;
" Deus enim erat. Eorum autem quæ facta sunt,
" ducem, consiliarium, et operarium generabat Ver-
" bum; quod Verbum cum in se haberet, essetque
" mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emit-
" tens priorem vocem, et lumen ex lumine generans,
" deprompsit ipsi creaturæ Dominum, sensum suum:
" et qui prius ipsi tantum erat visibilis, mundo au-
" tem invisibilis, hunc visibilem facit, ut mundus,
" cum eum, qui apparuit, videret, salvus fieri posset.
" Atque ita adstitit ei alius. Cum alium dico, non
" duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, et
" aquam ex fonte, aut radium a sole. Una enim vir-
" tus ex toto; totum vero Pater, ex quo virtus, Ver-
" bum; hoc vero mens, sive sensus, qui prodiens in
" mundum ostensus est puer Dei. Omnia igitur per
" eum facta sunt, ipse solus ex Patre genitus."

2. Agnosco quidem, hic ab Hippolyto generationem quandam Verbo sive Filio Dei tribui, quæ mundi creationem proxime antecesserit. Sed omnino nego de generatione loqui Hippolytum proprie dicta, quæ scil. Verbi fuerit productio, quave Verbum ipsum, cum prius non existeret, existere cœperit. Huic commento totus Hippolyti sermo repugnat. Nam Deum ex æterno ita *solum* fuisse docet, ut interim *multum* fuisse affirmet. Quomodo? Quia scilicet Deus Pater nunquam erat sine ratione (τῷ λόγῳ) et sapientia, hoc est, sine Filio et Spiritu Sancto; pro-

[1] [Hic quædam in Græco leguntur quæ in versione prætermittuntur; Πάντα γὰρ τὰ γενόμενα διὰ λόγου καὶ σοφίας τεχνάζεται, λόγῳ μὲν κτίζων, σοφίᾳ δὲ κοσμῶν.]

inde non sine consilio, cum utrumque sibi consiliarium habuerit. Nullus dubito, quin hic sit sensus genuinus istorum Hippolyti verborum; " Nihil erat " præter ipsum; ipse solus multus erat. Nec enim " erat sine ratione," (procul dubio Græce scripserat Hippolytus τῷ λόγῳ,) " sine sapientia, sine consilio[m]." Quippe Deum agnovisse Hippolytum unum et multum, hoc est, trinum; unum essentia, trinum personis, ipse hujus Homiliæ titulus declarat. Tertiam autem divinitatis hypostasin *Sapientiæ* nomine appellavit Hippolytus, Irenæi, cujus auditor fuisse perhibetur, exemplo, et ex more illorum temporum[n]. Deinde ait Hippolytus, Deum generasse Verbum, quod ab æterno in se habuerat. Quomodo? " Ip- " sum," inquit, " temporibus apud se definitis osten- " dit; ipsum creaturæ, ut Dominum, deprompsit; " ipsum denique sibimet soli prius notum, mundo " visibilem fecit." Itaque generatio, qua de loquitur Hippolytus, non est Verbi productio; sed ipsius, ex æterno Patri coexistentis, ostensio, depromptio, et manifestatio, quæ res creatas respexerit. Ut idem prorsus voluerit beatissimus martyr, quod Athenagoram docuisse supra ostendimus[o].

3. Atqui in hunc sensum ut Hippolytum inter- 220
pretemur, suadent quidem ipsa loci allati verba; sed eo plane nos cogunt alia ejus scripta, in quibus coæternam Filii cum Patre existentiam verbis veluti solis radio descriptis declarat. Sic in opusculis contra Beronem et Helicem, (quæ a Sandii et aliorum

[m] [Græca sunt, οὔτε γὰρ ἄλογος, οὔτε ἄσοφος, οὔτε ἀδύνατος, οὔτε ἀβούλευτος ἦν.]

[n] Vide II. 4. 10. [p. 203.] et c. 5. §. 7. [p. 226.]

[o] Confer quoque Justini Martyris verba, supra cap. 2. hujus sectionis §. 2. sub finem citata. [p. 515.] GRABE.

cavillis supra vindicavimus,) apud Anastasium Bibliothecarium in Collectaneis Fragm. LX.[p] Filio eandem prorsus naturam divinam addicit, quæ in Patre est, easdemque proprietates; nempe ἀναρχίαν, ἀγεννησίαν, ἀπειρίαν, ἀϊδιότητα, ἀκαταληψίαν· "Inprincipalitatem, infactionem, infinitatem, sempiternitatem, incomprehensibilitatem;" ut vere, licet barbare, vertit Anastasius. Sensit itaque Hippolytus Filium esse, perinde ac Patrem, ἄναρχον καὶ ἀΐδιον, "initii expertem et æternum."

4. Porro extat hodieque sub Hippolyti nomine libellus de Consummatione mundi, Antichristo, et secundo Christi adventu; qui, si genuinus sit, manifeste ostendat ejus in hoc articulo ὀρθοδοξίαν. Ac sane scripsisse Hippolytum de Antichristo et Resurrectione, diserte testatur Hieronymus cap. 61. Catalogi[q]. Eidem operi testimonium quoque suum præbuit Photius Biblioth. Cod. 202. ubi postquam interpretationem Danielis ab Hippolyto editam commemoraverat, ipsamque suo transfixerat obelu critico, hæc subjungit; Συναν εγνώσθη αὐτοῦ καὶ ἕτερος λόγος περὶ Χριστοῦ καὶ ἀντιχρίστου· ἐν ᾧ ἥτε αὐτὴ τῶν λόγων ἰδέα διαπρέπει, καὶ τὸ τῶν νοημάτων ἁπλούστερόν τε καὶ ἀρχαιότροπον. i. e. "Legimus una ejusdem tractatum de "Christo et Antichristo: in quo eadem dicendi "forma servata, et sensuum simplicitas major est "ac vetustas." Sunt tamen viri quidam docti inter Neotericos, qui hoc Hippolyto opus abjudicant satis fidenter; sed rationibus inducti, meo quidem judicio, levissimis; imo quæ, si accuratius expendantur, contra ipsos militent. Primo ipsis displicet Græcæ dictionis genus, quodque liber incipiat ab ἐπειδὴ γάρ[r].

[p] Pag. 228. [Hippol. Op. vol. I. p. 229.] [q] [Vol. II. p. 887.]
[r] [Hoc est argumentum H. Grotii et And. Riveti.]

Quam objectionem merito ita irrisit Philippus Labbeus[8]; " Novum crimen, superi, atque inauditum!" Sane præterquam quod eruditi in hoc literarum genere probe norunt, ab omnibus Græcis scriptoribus ecclesiasticis perpolitum Græcæ dictionis genus frustra requiri, Photius, qui indubitata Hippolyti scripta legerat, de ejus phrasi expresse monuit (cod. 121.) quod πρὸς τὸν Ἀττικὸν οὐκ ἐπιστρέφεται λόγον, " ad ser- " monem Atticum non tendat." Et alibi (nempe cod. 202.) rursus de Hippolyti dicendi genere locutus, ait; Τοὺς Ἀττικοὺς ὄντι μάλα θεσμοὺς δυσωπεῖται· " Atticas revera leges valde repudiat." Præterea id offendit hos censores, quod in eo opere multæ reperiantur de natalibus et vita Antichristi inanes conjecturæ; v. g. Antichristum non hominem, sed dæmonem fore humana figura præditum. Sed quis nescit, illorum temporum scriptores multa perabsurda de Antichristo, ut de re obscura, tradidisse? Ac de Hippolyto diserte testatur Photius codice proxime citato, quod in interpretatione Danielis, ubi de Antichristo etiam agit, πολλὰ ἀρχαιοτρόπως, καὶ οὐκ εἰς τὸ ὕστερον διηκριβωμένον, καταλέγει· " multa veteri " more, non, ut postea fuere accuratius excussa, re- " censet." Quin et de hoc ipso Hippolyti opere, quod de Antichristo inscribitur, ibidem, ut audivimus, monet, in ipso esse τὸ τῶν νοημάτων ἁπλούστερόν τε καὶ ἀρχαιότροπον, " sensuum simplicitatem majorem" (ubi τὸ ἁπλοῦν, quod a Græcis fieri solet, τῷ ἀκριβεῖ opponitur) " et vetustatem." Antichristum vero malo spiritu conceptum fore, receptior fuit doctorum in veteri ecclesia opinio. Hinc id ipsum pro indubio et rato tradidit ille vere θαυμάσιος Martinus, apud Seve-

[8] De Script. Eccles. tom. I. p. 471.

Quin et descriptam ibidem animadvertas integram et perfectam Trinitatem, nempe tres personas, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, ab æterno coexistentes. Manifestum est igitur Hippolytum, utcunque alias deliraverit, ab Arii tamen deliriis prorsus alienum fuisse.

6. Jam ex scriptoribus Antenicænis, quos nominavimus, tanquam qui Filii æternitatem negasse videantur, cum revera non negarint, unicus superest Novatianus, sive auctor libri de Trinitate, inter opera Tertulliani editi. Qui auctor cum non magnæ in ecclesia auctoritatis sit, non est, quod de ipso multum laboremus. Audiamus tamen quid ille hac de re scripserit lib. de Trinitate cap. 31. Ibi igitur, postquam de Deo Patre dixerat, hæc de Filio Dei subjungit; " Ex quo," (Deo Patre,) " quando ipse " voluit, Sermo Filius natus est, qui non in sono " percussi aëris, aut tono coactæ de visceribus vocis " accipitur, sed in substantia prolatæ a Deo virtutis " agnoscitur. Cujus sacræ et divinæ nativitatis ar- " cana nec apostolus didicit, nec prophetes comperit, " nec angelus scivit, nec creatura cognovit; Filio " soli nota sunt, qui Patris secreta cognovit. Hic " ergo cum sit genitus a Patre, semper est in Patre. " Semper autem sic dico, ut non innatum, sed na- " tum probem. Sed qui ante omne tempus est, sem- " per in Patre fuisse dicendus est. Nec enim tem- " pus illi assignari potest, qui ante tempus est. Sem- " per enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater. " Quia et Pater illum etiam quadam ratione præ- " cedit, quod necesse est quodammodo prior sit, qua " Pater sit. Quoniam aliquo pacto antecedat ne- " cesse est eum qui habet originem, ille qui origi- " nem nescit." Pauculis interjectis, ista sequuntur;

" Hic ergo, quando Pater voluit, processit ex Patre; " et qui in Patre fuit, processit ex Patre; et qui in " Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre post- " modum fuit, quia ex Patre processit; substantia " scil. illa divina, cujus nomen est Verbum, per quod " facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil." Auctor hic, quisquis fuerit, valde perplexe quidem loquitur; sed ea tamen non obscure dicit, quæ ostendant, eandem illius et scriptorum, quos proxime commemoravimus, sententiam fuisse.

7. Ab aliquo initio natum quodammodo Filium dicit. Sed primo nativitatem illam *processionem* (ut Athenagoras προέλευσιν) appellat, et processionem ejus, qui erat in Patre, antequam ex Patre procederet; quin et processionem ejus, qui ita semper in Patre fuit, ut propterea Pater semper fuisse Pater dicendus omnino sit, ac proinde ipse semper Filius. Verba clara sunt; " Hic ergo cum sit genitus a " Patre, semper est in Patre;" et, " semper enim in " Patre, ne Pater non semper sit Pater;" et, " qui " in Patre fuit, processit ex Patre." Non obstat itaque processio, qua de loquitur auctor, quin semper, adeoque ante processionem illam, Pater fuerit Pater, ac proinde Filius semper Filius; Pater autem et Filius duas personas necessario efficiunt. Deinde " ante omne tempus Filium fuisse" expresse dicit; quemadmodum et paulo post in eodem capite, " Qui " ex eo," inquit, " qui originem non habet, princi- " pium nativitatis ante omne tempus accepit." Per tempus autem neutiquam intellexit auctor illam momentorum successionem, quæ a motu luminarium cœlestium incipit et mensuratur; neque adeo illud tantum voluit, Filium fuisse ante omne tempus, quia ex Patre processerit ante omnem creaturam,

ac proinde ante solem et lunam, cæterasque faces æthereas; sed cum Filium dicit ante omne tempus fuisse, durationem ipsi addicit, quæ neque initium neque finem habet. Nam Filium hoc sensu ante omne tempus fuisse manifeste asserit, quod etiam ante ipsam processionem suam ex Patre, et semper
222 in Patre fuit; idque ita ut Pater etiam tum et semper Pater fuerit, et proinde ipse Filius, ut modo observatum est. Unde non dicit, (N. B.) Filium ante omne tempus *processisse* ex Patre, sed *fuisse*, scilicet in Patre. Quippe Filii processionem, qua de loquitur, in tempore, ejusdem vero existentiam ante omne tempus collocat. Atqui, inquies, dicit tamen Filium ante omne tempus ex Patre principium nativitatis accepisse; processionem autem Filii, ejus nativitatem vocat. Respondeo, Auctorem hunc videri cum Tertulliano, quem ubique fere æmulatur, duplicem Filii, qua Deus est, nativitatem statuere; alteram, qua ex æterno in Deo Patre, et ex ipso extitit, ut æternæ mentis coæterna progenies; alteram vero, qua ex Deo Patre, quando ipse voluit, progressus est ad rerum creationem, quam ejus progressionem *processionem* post Tertullianum vocat auctor. Nam ut propter processionem natum quodammodo Filium dicit, ita nativitatem Filii aliam illa priorem, veram et proprie dictam, adeoque æternam agnovit. Hoc ex verbis illis colligo; "Hic "ergo cum sit genitus a Patre, semper est in Patre; "*semper* autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem;" et mox, "Semper enim in Patre, "ne Pater non semper sit Pater." Filium autem semper in Patre fuisse, hoc sensu, uti jam observatum est, dicit, quod in Patre fuit ante processionem; quod ex verbis mox sequentibus liquet, "Qui in Pa-

" tre fuit, processit ex Patre." Ex quibus infero, Filium, juxta auctorem nostrum, etiam quatenus ante processionem et semper in Patre fuit, ex Patre natum fuisse, ejusque Filium fuisse. Nam cum ait, Filium in Patre fuisse semper, etiam ante processionem, non ut innatum, sed ut natum, natum fuisse Filium etiam ante processionem ostendit. Et cum probat, Filium fuisse semper, etiam ante processionem, in Patre, hac ratione, quod alioqui Pater non semper fuisset Pater; manifeste significat, Patrem semper, etiam ante processionem Filii, Patrem fuisse; quod sane non potuit esse sine Filio ex ipso nato. Id ipsum quoque docere auctor videtur paulo post in eodem capite, ubi ita scribit, " Quicquid est " Filius, non ex se est, quia nec innatus est, sed ex " Patre est, quia genitus est; sive dum Verbum est, " sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive " dum lux est, sive dum Filius est." Sensus est, Filius Dei, quamcunque ejus notionem conceperis, ex Deo Patre est, et ex ipso genitus; proinde genitus ex Patre est, non modo qua Dei Verbum est, nempe cum voce prolatum in rerum exordio, (quemadmodum se alibi auctor interpretatur, ut mox videbimus,) sed etiam qua Dei Sapientia est, qualis æternum fuit. Jam prioris nativitatis principium Filium ex Patre accepisse dicit ante omne tempus; posterioris non item. Consule omnino, quæ infra a nobis ad Tertullianum dicta sunt. His autem contradicere videntur verba illa, " Quia et Pater illum etiam quadam " ratione præcedit." Sed præcedentiam ibi intelligit auctor non temporis, sed originis. Quod et ipse satis aperte significat, dum subjungit, " Quod necesse est " quodammodo prior sit, qua Pater sit; quoniam ali- " quo pacto antecedat necesse est eum, qui habet ori-

" ginem, ille qui originem nescit." Ad quæ verba hæc recte annotat Pamelius; " Ex quo constat, quum " dicit, Patrem præcedere, priorem esse, et ante- " cedere, id solum se intelligere, uti subjungit, QUA " PATER SIT." Atque ita Novatianum interpretatur ipse Petavius de Trinitate II. 2. 17. et VI. 11. 11.

8. Cæterum ingenue fateor, posse hunc auctoris locum aliter exponi, nempe ita, ut etiam *processio*, qua de loquitur, de æterna Filii ex Patre nativitate intelligatur; quam expositionem Pamelius aliique sequuntur. Juxta hanc autem interpretationem, cum Filius dicitur ex Patre, quando ipse voluit, nasci, *velle* illud Patris æternum fuisse intelligendum. Deinde verba illa, " Hic ergo cum sit genitus a Patre, " semper in Patre est; *semper* autem sic dico, ut " non innatum, sed natum probem; quia et Pater " illum etiam quadam ratione præcedit, &c." sic exponenda sunt; Filius, quanquam a Patre genitus sit, Patri tamen coæternus est; neque ita tamen Patri coæternus est, ut innatus sit, sicut Pater; sed ex Patre originem trahit; quo respectu Pater illum præcedit, ipsoque prior est, siquidem is qui gignit, ratione et conceptu nostro, illo prior est, quem ipse genuit. Denique verba illa, " Qui in Patre fuit, ex Patre " processit," ita explicanda; Qui ex Patre processit, ratione prius in Patre fuisse concipiendus est, quam ex Patre processerit; quanquam ut æternum in Patre fuit, ita ab æterno ex Patre processerit. Sed prior expositio mihi præferenda videtur, tum ob alias rationes, tum imprimis quod Tertulliani sensibus, quos ubique fere expressit auctor, magis sit conformis. Quomodocunque autem *processionem* exponas, cum expresse doceat auctor, Filium semper ante omne tempus, quod assignari sive concipi potest, in Patre

fuisse, idque ita ut Pater semper fuerit Pater; et Patrem non semper fuisse Patrem pro manifesta absurditate habeat; certissimum est, ab Ariana ipsum de Filio Dei blasphemia, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, omnino abhoruisse.

9. Quod ut clarius adhuc elucescat, apprime ob- 223
servandum est, quod auctor diserte dicat, Filium ita ex Patre processisse, ut tam ante, quam post processionem istam pariter in Patre fuerit. En verba ejus diserta; " Hic ergo, quando Pater voluit, pro-
" cessit ex Patre; et qui in Patre fuit, processit ex
" Patre; et qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit,
" cum Patre postmodum fuit, quia ex Patre proces-
" sit; substantia scil. illa divina, cujus nomen est
" Verbum, per quod facta sunt omnia." Ubi notanda imprimis ratio, qua probat auctor, Filium tam ante, quam post processionem, qua de loquitur, in Patre fuisse, adeoque æternum esse. " In Patre," inquit, " fuit, quia ex Patre fuit;" et, " Cum Patre
" postmodum fuit, quia ex Patre processit." Scilicet ita ratiocinatur; Quicquid ex ipso Deo est, ipsi Deo coæternum est; ut in Deo ex æterno fuit, ita in ipso æternum manebit; quippe semper eadem atque immutabilis est essentia ac natura divina. Unde et supra cap. 23. inde probat, Filium non factum esse, atque apud Deum æternum esse, quia ex Deo processit; " Si homo," inquit," tantummodo Christus,
" quomodo dicit, *Ego ex Deo prodii et veni;*
" cum constet hominem a Deo factum esse, non ex
" Deo processisse? Ex Deo autem homo quo-
" modo non processit, sic Dei Verbum processit, de
" quo dictum est, *Eructavit cor meum Verbum*
" *bonum*; quod quoniam ex Deo est, merito et
" apud Deum est; quodque quia non otiose prole-

" tum est, merito omnia facit." Hic τὸ *procedere ex Deo*, quod Verbo tribuit, manifeste opponit τῷ *factum esse*, quod hominibus cæterisque omnibus creaturis competit; *factum* autem id dicitur, quod cum prius non fuerit, ab alio accepit ut esset et existeret. Verbum igitur, quod ex Patre processit, et quia ex Patre processit, juxta auctorem, nunquam non fuit. Eadem ratione probat, Verbum æternum apud Deum, hoc est, in Deo esse et manere, quia scilicet *ex Deo est.* " Quoniam ex Deo est," inquit, " merito et apud Deum est." In summa hic sensus auctoris; Quod ex Deo est et processit, factum esse non potest, sed in Deo semper fuit; et quod ex Deo processit, apud Deum semper est, eritque; sive, Quicquid ex ipso Deo est et processit, in ipso Deo fuit; quicquid vero in ipso Deo fuit, in ipso semper fuit, eritque semper. Cujus ratiocinationis fundamentum est, ut dixi, divinæ naturæ æternitas atque immutabilitas. Hæreat autem mecum paulisper velim lector in verbis illis, " Quod-" que" (Verbum,) " quia non otiose prolatum est, " merito omnia facit;" ubi hoc voluisse videtur auctor, Verbum, quod in Deo semper fuit, aliquando ex Deo prolatum fuisse, fere ad instar verbi humani, quod in corde prius conceptum deinceps per linguam profertur. Quorsum vero prolatum fuit Dei Verbum? non otiose, inquit, non frustra; sed ut omnia faceret. Itaque substantia illa divina, cujus nomen est Verbum, ut cum auctore nostro loquar, semper fuit apud Deum; sed Verbum, sive Sermo Dei non fuit, juxta auctorem, antequam ex Deo prolata fuerit cum voce illa omnipotenti, FIAT, qua conditum fuit hoc universum. Neque tamen ita tum ex Deo prolata fuit, quin apud Deum et in Deo sem-

per maneat. Hæc melius intellexeris cum ad Tertullianum, cujus veluti simius fuit auctor noster, deveniamus. Interim ad alia progrediamur.

CAP. IX. 224

Proponitur de Filii τῷ συναϊδίῳ thesis tertia, qua sententia Patrum Antenicænorum, de quibus in quatuor proxime præcedentibus capitibus actum est, testimoniis catholicorum doctorum, qui post exortam controversiam Arianam vixere, amplius illustratur.

1. IN quatuor capitibus proxime præcedentibus quorundam Patrum Antenicænorum sententias explicavimus, quæ probatæ et receptæ in primæva ecclesia de Filii τῷ συναϊδίῳ doctrinæ cum repugnare videantur, revera tamen minime repugnant. In hoc capite, quo lux clarior iis quæ diximus accedat, hanc thesin demonstrandam proponimus:

THESIS III.

Patrum primævorum, quos proxime commemoravimus, sententiam, seu potius modum, quo sententiam suam explicarunt, catholici quidam doctores, qui post exortam controversiam Arianam vixerunt, seque Ariomanitarum hæresi fortiter opposuerunt, non refugere. Nam et ipsi illam τοῦ λόγου, semper apud Deum Patrem existentis, ex Patre progressionem (quam et συγκατάβασιν, hoc est *condescensionem*, eorum nonnulli appellarunt) ad condendum hæc universa agnovere; atque ejus etiam progressionis respectu ipsum τὸν λόγον a Deo Patre quasi natum fuisse, et *omnis creaturæ primogenitum* in Scripturis dici confessi sunt.

2. Hæc thesis non obscure confirmatur ex anathematismo ipsius symboli Nicæni, in quo sancti Patres Arianos damnant, de Filio Dei ita docentes, Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι, οὐκ ἦν· "Erat "quando non erat, et priusquam nasceretur, non "erat." Sæpe olim (ut verum ingenue fatear) animum meum subiit admiratio, quid effato isto, "Fi-"lius priusquam nasceretur, non erat," sibi voluerint Ariani. De nativitate Christi ex beatissima Virgine dictum non esse exponendum constat. Nam Filium Dei ante Mariam fuisse nunquam negarunt Ariani; imo ante conditum mundum extitisse, ultro semper fatebantur; itaque de nativitate Filii loquuntur, quæ hujus universi creationem antecessit. Quis vero, inquam, sensus dicti hujus, "Filius non erat, "sive non existebat, priusquam nasceretur ex Patre "ante conditum mundum?" ego sane jam nullus dubito, quin hoc pronuntiatum Arianorum oppositum fuerit catholicorum istorum sententiæ, qui docerent, Filium quidem paulo ante conditum mundum inexplicabili quodam modo ex Patre progressum fuisse ad constituendum universa; atque hujus etiam προελεύσεως respectu *Filium Dei* et *primogenitum* in Scripturis dici; verum non tum primum esse cœpisse, sed semper apud Patrem extitisse, ut λόγον ejus, adeoque paternæ mentis coæternam progeniem. Hanc dogmatis explicationem cum multi ex Patribus, qui synodo Nicænæ interfuerunt, avide amplexi fuissent, cæteri vero catholicum ipsi inesse sensum probe nossent, Arianos damnantes uno ore damnarunt omnes.

3. Eusebius quidem in Epistola ad ecclesiam suam apud Theodoritum [h], sub finem, et illam quam

[h] Eccl. Hist. I. 12. [p. 40.]

rejeci, tanquam suam, et aliam Constantini interpretationem affert: Ἔτι μὴν, inquit, τὸ ἀναθεματίζεσθαι τὸ, Πρὸ τοῦ γεννηθῆναι, οὐκ ἦν, οὐκ ἄτοπον ἐνομίσθη, τῷ παρὰ πᾶσι μὲν ὁμολογεῖσθαι, εἶναι αὐτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ πρὸ τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως. ἤδη δὲ ὁ θεοφιλέστατος ἡμῶν βασιλεὺς τῷ λόγῳ κατεσκεύαζε, καὶ κατὰ τὴν ἔνθεον αὐτοῦ γέννησιν τὸ πρὸ πάντων αἰώνων εἶναι αὐτόν· ἐπεὶ καὶ πρὶν ἐνεργείᾳ γεν- 225
νηθῆναι, δυνάμει ἦν ἐν τῷ Πατρὶ ἀγεννήτως, ὄντος τοῦ Πατρὸς ἀεὶ Πατρὸς, ὡς καὶ βασιλέως ἀεὶ καὶ σωτῆρος, καὶ δυνάμει πάντα ὄντος, ἀεί τε καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντος.
i. e. "Quin et istud, *Priusquam gigneretur, non erat,*
"anathemate damnare haud incongruum duximus,
"eo quod apud omnes in confesso sit, illum esse Fi-
"lium Dei etiam ante corporalem nativitatem. Jam
"vero imperator noster Deo charissimus ratioci-
"nando adstruebat, etiam secundum divinam ipsius
"generationem illum esse ante omnia secula; nam
"priusquam actu gigneretur, potentia erat in Patre,
"ingenita quadam ratione; cum Pater semper sit
"Pater, Rex item semper atque Servator, et omnia
"sit potentia, semperque eodem modo ac similiter se
"habeat." Sed videntur hæc ὑποβολιμαῖα esse, atque ab impostore aliquo (ut videtur, Ariano) Epistolæ Eusebii inserta. Nam primo tota hæc perioche deest apud Socratem, optimæ fidei historiographum et Theodorito antiquiorem; nec in Epiphanio scholastico reperitur. Deinde cum duplex hic interpretatio verborum symboli Nicæni tradatur, utraque plane absurda et inepta est, ac doctissimo Eusebio indigna. Posterius vero glossema, (quod ut Constantini tradit, qui hæc scripsit, non sine tacita approbatione,) nempe, Filium fuisse in Patre potentia, priusquam actu existeret ex Patre, non modo ineptum est, sed etiam hæreticum, ac Filii æternitatem penitus ever[illegible]

Nam et creaturæ omnes, antequam actu producerentur, potentia erant in Deo; nec tamen idcirco æternæ esse dicuntur. At Filii Dei actualem, ut loquuntur, ab æterno subsistentiam semper agnovisse Eusebium, utpote Origenianæ doctrinæ tenacissimum, ex scriptis ejus omnibus abunde liquet. Unde de Eusebii accusatoribus sic fidenter loquitur Socrates[1]; Οὔτε γὰρ ἔχουσι δεῖξαι, ὅτι Εὐσέβιος ἀρχὴν τῆς ὑπάρξεως δίδωσι τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, κἂν ταῖς τῆς οἰκονομίας λέξεσιν ἐν τοῖς βιβλίοις εὑρίσκουσιν αὐτὸν καταχρώμενον. i. e. "Neque enim "probare possunt, Eusebium Filio Dei initium sub-"sistentiæ tribuisse, tametsi dispensationis vocabulis "in libris suis usum fuisse ipsum inveniant." Quibus in verbis etiam (ut obiter id notem) causarum non minimam indicat Socrates, ob quam Eusebius, qui alioquin in scriptis suis passim veram et æternam Filii divinitatem agnoscit, pro Ariano a plerisque habitus fuerit. Nimirum idem in libris suis ea quæ ad Filii οἰκονομίαν (addo ego et ad ejusdem subordinationem ad Patrem, tanquam sui auctorem ac principium) pertinent, ita contra Sabellianos, quorum hostis fuit acerrimus, urget, ac pene ad nauseam et fastidium usque repetit et inculcat, ut videatur in Arianam ex adverso impietatem dilapsus, a qua tamen revera semper alienus fuit. Ac verissimum quidem illud esse fatebitur, quisquis Eusebii scripta accurate et seposito partium studio evolverit; qui et hoc observato, ad ea loca omnia, quæ Petavius lib. I. de Trinit. cap. 11. magno acervo congessit, ut probaret Arianum fuisse Eusebium, facile respondere poterit. Unde ipse Eusebius in libro Apologetico, quem ad orthodoxos omnes episcopos misit, palam professus est, si quæpiam ipse protulisset unquam

[1] Eccl. Hist. II. 21. sub finem.

aut scripsisset, Arii dogma tantillum subolentia, ea se protulisse aut scripsisse οὐ μὴν κατὰ τὴν ἀσεβῆ ἐκείνου ἔννοιαν, ἀλλ' ἐξ ἀπεριέργου ἁπλότητος, "non ex impio "illius sensu, sed ex minus curiosa parumque solli- "cita" (nempe dum Sabellianæ hæresi impugnandæ totus intentus fuit,) "simplicitate," referente Gelasio Cyziceno lib. II. de Syn. Nicæn. cap. 1. Sed eo revertor, unde sum paulisper digressus. Præterea quis sanus credat, Constantinum imperatorem interpretamentum istud palam in synodo Nicæna ratiocinando astruxisse, ac proinde voluisse ut isto sensu anathematis verba acciperentur? certe synodus Nicæna anathemate suo nihil contra Arianos effecisset, si verba ejus ita intelligi et subscribi passa fuisset. Imo aperte transiissent Patres in castra Arianorum, si hunc sensum admisissent, Filium Dei non actu, sed potentia tantum ab æterno extitisse[k]. Neque enim quicquam catholicæ causæ profecisset τὸ ὁμοούσιον, a Patribus sancitum, siquidem vera Filii divinitas sine ejusdem æternitate stare non potest. Dixerit fortasse aliquis, Constantinum quidem pro isto sensu argumentis pugnasse, in gratiam episcoporum Arianorum, qui synodo interfuerunt, ipsosque adeo anathemati ita explicato subscripsisse; sed longe majorem concilii partem reclamasse, et verum catholicumque sensum constanter defendisse. Verum hoc commentum repugnat diserto ipsius Eusebii testimonio in opere indubitato de Vita Constantini III. 13. ubi dicit episcopos synodi, Constantini opera effectos tandem fuisse ὁμογνώμονας καὶ ὁμοδόξους ἐπὶ τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἅπασι, "ejusdem opinionis et senten-

[k] Scil. hanc ipsam interpretationem amplexus fuit Theognis, recoctus Arianus, teste Philostorgio Hist. Eccl. II. 15.

" tiæ in omnibus, quæ in dubium vocata fuerant;"
226 hoc est, eundem sensum in omnibus, saltem professione tenus, amplexos fuisse. Denique quisquis antecedentia in Epistola Eusebii attente legerit, facile is perspiciet, periochen illam male cum ipsis cohærere. Ibi enim manifeste videtur Eusebius de toto anathematismo quicquid dicendum habuit, dixisse; adeoque explicationem symboli Nicæni suam penitus absolvisse. Quæ igitur de eodem rursus anathematismo subjiciuntur usque ad Epistolæ epilogum, aliena manu videntur assuta. Nihilominus tamen Epistolam Eusebii priorem perioches illius partem etiam Athanasii ætate habuisse, non obscure colligitur ex ipsius verbis de Eusebio et illa ejus Epistola in libro de Syn. Nic. decretis[l]; ubi postquam dixerat, Eusebium per Epistolam ad Cæsareenses consensum suum de τῷ ὁμοουσίῳ declarasse, itaque se suosque errasse prius aperte confessum fuisse, subjungit, Καὶ πέπονθέ τι δεινόν· ὡς γὰρ ἀπολογούμενος κατηγόρησε λοιπὸν τῶν Ἀρειανῶν, ὅτι γράψαντες, οὐκ ἦν ὁ υἱὸς πρὶν γεννηθῆναι, οὐκ ἤθελον αὐτὸν εἶναι οὐδὲ πρὸ τῆς κατὰ σάρκα γενέσεως. i. e. " Atque infelix in eo fuit; " ut enim seipsum purgaret, accusavit deinceps " Arianos, quod cum dicerent Filium Dei non extit- " isse antequam gigneretur, hoc pacto negarent eum " extitisse ante carnis nativitatem." Quibus in verbis cuivis perspicuum est, Athanasium perstringere ac tanquam absurdam notare interpretationem Eusebii, quæ in ipso perioches initio habetur. Quod idem quoque facit in libro de Synodis Arimin. et Seleuc.[m] Sed nihil absurdi in eo erit, si dicamus, ipsum Athanasium decipi potuisse ab adulterato aliquo

[l] Pag. 251. [§. 3. vol. I. p. 211.]

[m] Pag. 882. [p. 727.]

Eusebianæ Epistolæ exemplari; cujusmodi et Theodoritus postmodum secutus fuit. Quanquam Athanasius in neutro loco citato, ut neque alibi uspiam, quantum meminerim, posterius illud glossema hæreticum attingit; quod utique silentio neutiquam prætermissurus videtur, si in Epistola Eusebii ipsum legisset. Sed de his doctiorum esto judicium. Illud certissimum est, sive ipse Eusebius, sive alius quispiam periochen illam scripserit, utramque in ipsa expositionem a mente tum Arianorum de Filio Dei dicentium, "priusquam nasceretur, non erat," tum etiam Nicænorum Patrum, Arianos istud dicentes anathemate damnantium, prorsus alienam esse.

4. Genuinam vero esse interpretationem nostram, liquet ex Epistola presbyterorum et diaconorum Arianorum ad Alexandrinum episcopum, ante synodum Nicænam scripta, quæ apud Athanasium et Hilarium extat. In qua Ariani isti eos inter heterodoxos numerant [n], qui de Filio dicerent, *τὸν ὄντα πρότερον, ὕστερον γεννηθέντα εἰς υἱόν.* i. e. "Eum qui prius "esset, postmodum natum fuisse in Filium." Deinde sententiam suam isti assertioni oppositam sic explicant; *Ὁ μὲν Θεὸς αἴτιος τῶν πάντων τυγχάνων ἔστιν ἄναρχος μονώτατος· ὁ δὲ υἱὸς ἀχρόνως γεννηθεὶς ὑπὸ τοῦ Πατρὸς, καὶ πρὸ αἰώνων κτισθεὶς καὶ θεμελιωθεὶς, οὐκ ἦν πρὸ τοῦ γεννηθῆναι, ἀλλ' ἀχρόνως πρὸ πάντων γεννηθεὶς, μόνος ὑπὸ τοῦ Πατρὸς ὑπέστη. οὐδὲ γάρ ἐστιν ἀΐδιος, ἢ συναΐδιος, ἢ συναγένητος τῷ Πατρί· οὐδὲ ἅμα τῷ Πατρὶ τὸ εἶναι ἔχει, ὥς τινες λέγουσι τὰ πρός τι, δύο ἀγενήτους ἀρχὰς εἰσηγούμενοι· ἀλλ' ὡς μονὰς καὶ ἀρχὴ πάντων, οὕτως ὁ Θεὸς πρὸ πάντων ἐστί· διὸ καὶ πρὸ τοῦ υἱοῦ ἐστιν.* i. e. "Deus, qui est author om-"nium, omnino solus principio caret; Filius vero

[n] Athan. de Synod. Arim. et Seleuc. p. 885. [§. 16. p. 729-30.] Hilar. de Trin. IV. 36. [§. 12. p. 833.]

" sine tempore a Deo genitus, et ante sæcula crea-
" tus et fundatus, NON ERAT, PRIUSQUAM NASCE-
" RETUR; sed intemporaliter ante omnia genitus,
" solus per Patrem substitit. Non enim æternus
" est, aut coæternus, aut coingenitus cum Patre,
" neque simul cum Patre esse suum habet, ut qui-
" dam dicunt relata esse" (Patrem et Filium, quorum nempe uno posito, necessario ponitur et alterum) " duo principia ingenita introducentes; sed ut
" Deus unitas principiumque est omnium, ita ante
" omnia existit, ac proinde etiam Filio suo prior est." Hic vides pronuntiatum illud de Filio Dei, quod damnarunt Patres Nicæni, " non erat, antequam
" nasceretur," disertis verbis traditum atque assertum ab Arianis, iisdem qui Filium Dei ante sæcula genitum et creatum eodem spiritu faterentur; idque contra eos, qui docerent, " eum qui prius esset, post-
" modum natum fuisse in Filium;" hoc est, qui cum Filio Dei tribuerent nativitatem quandam, quæ mundi creationem proxime antecesserit, tamen tum primum esse cœpisse Filium negabant, quin et ipsum ab æterno fuisse atque extitisse apud Patrem suum strenue contendebant. Vide et Epistolam Arii ad Eusebium Nicomediensem, apud Theodorit. E. H. I. 5. et Athanas. Orat. cont. Arian. II. p. 329.[n]

5. Extant in magna Bibliotheca Patrum sermones quidam Zenonis episcopi Veronensis inscripti, qui sub Gallieno imperatore martyrium passus fuisse vulgo perhibetur circa annum Christi 260. Sed ipsos fere consentiunt hodie eruditi, et res ipsa indicat, scriptos fuisse post synodum Nicænam; quo tempore et ipsum Zenonem floruisse, viri quidam docti affirmarunt non sine gravissimis rationibus, quas le-

[n] [Orat. I. 22. vol. I. p. 427.]

gere est apud P. Labbeum de scriptoribus ecclesiasticis tom. II. in Zenone. Martyrem autem ideo dictum censent illi, quod inter procellas persecutionis sub Constantio ab Arianis excitatæ multa viriliter pertulerit. Inter sermones istos tres sunt de æterna Filii generatione inscripti. In tertio autem illorum ita scribit ejus auctor [o]: "Principium, fratres, Dominus noster incontanter [p] est Christus; quem "ante omnia sæcula Pater adhuc utcunque [q] in se"metipso Deus beatæ perpetuitatis, indiscreta Spiri"tus plenitudine, nescio qua sua conscientia velatum, "Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplec"tebatur. Sed excogitatarum ut ordinem instrue"ret rerum, ineffabilis virtus incomprehensibilisque "sapientia e regione cordis eructat Verbum; omni"potentia se propagat. De Deo nascitur Deus, to"tum Patris habens, nihil derogans Patri, &c. Quo"modo autem generatus sit, qui processit, dementis "est opinari. Namque temperat se propter rerum "naturam Filius, ne æternæ majestatis Dominum "non possit mundi istius mediocritas sustinere." His gemina legas in sermone primo, ubi de Filio Dei sic loquitur; "Quem ante omnia sæcula Pater "in profundo suæ sacræ mentis arcano insuspicabili, "ac sola sibi nota conscientia, Filii non sine affectu, "sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffa"bilis illa incomprehensibilisque sapientia sapien"tiam, omnipotentia omnipotentiam propagat: de "Deo nascitur Deus; de ingenito unigenitus: de "solo solus; de toto totus; de vero verus: de per"fecto perfectus; totum Patris habens, nihil dero- 227

[o] [Biblioth. Patr. vol. III. p. 386.]
[p] [Al. *incunctanter*.]
[q] [In Biblioth. *utrumque* scribitur.]

" gans Patri. Procedit in nativitatem, qui erat an-
" tequam nasceretur in Patre." Denique idem dicit sermone secundo his verbis: " Cujus ex ore, ut re-
" rum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit
" unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus; ex-
" inde visibilis effectus, quia humanum genus visita-
" turus erat, &c."

6. Arianum non fuisse auctorem verba citata per se indicant. Nam Filium nasci ait Deum de Deo, totum de toto, de vero verum, de perfecto perfectum, totum Patris habentem, &c. quæ de Filio Dei quis Arianus serio affirmare sustinuerit? Jam vero hisce in locis auctor Filio quidem generationem et nativitatem quandam aperte tribuit, quæ tum fuit, cum Deus Pater res omnes procreare voluerit; sed nec minus aperte eundem Filium ex æterno apud Patrem extitisse, idque ut Filium, agnoscit. Nam primo ait Christum esse *incontanter*, hoc est, sine dubio *principium;* quo scilicet nihil prius aut antiquius fuit. Deinde clare docet, Patrem ante omnia sæcula Filium in se habuisse, adeoque ut Filium amplexum fuisse, quanquam sola conscientia sua velatum. Præterea Filium dicit ex æterno cordis paterni nobilem inquilinum, et, qua talis fuit, Filium unigenitum appellat. Porro diserte affirmat Filium fuisse, antequam eo, quem describit, modo nasceretur; " Erat," inquit, " antequam nasceretur." Ubi habes illam ipsam sententiam, quam Ariani negarunt, et negantes anathemate a Patribus Nicænis percussi fuerunt. Ad hæc, tantum abest ut auctor somniaverit, Filium per nativitatem, qua de loquitur, primum existere cœpisse, ut doceat nihil inde quicquam Filio accessisse; quin et Filium, dum eo modo genitus fuit et ex Patre processit, " se temperasse

"propter rerum naturam, ne æternæ majestatis Do-
" minum non possit mundi istius mediocritas susti-
" nere." De qua Filii demissione mox ipsum Athanasium loquentem audiemus. Denique ipse sermonum titulus, qui de æterna Filii generatione inscribuntur, mentem auctoris satis declarat, nempe sensisse ipsum, Christum ex æterno fuisse Patris Filium, ex ipso genitum; quomodo enim de æterna Filii generatione scripsisset, qui nullam Filii generationem æternam crediderit? Atqui, inquies, ubi, quo in loco horum sermonum de æterna Filii generatione mentionem fecit auctor? In locis, inquam, modo a nobis allatis, ubi Patrem dicit ex æterno in se Filium habuisse, atque ut Filium amplexum fuisse, &c. Insistit quidem magis auctor in nativitate illa, qua Filius ex Patre processit ad condendum universa; quod hæc nativitas fuit primæ et æternæ illius declaratio et manifestatio, ita ut nobis creaturis tum primum natus Filius merito dicatur. Si quis autem reprehenderit verba illa, "sine discrimine amplec-
" tebatur," quasi scilicet ipsis voluisset auctor, Filium, quatenus ex æterno apud Patrem extitit, fuisse persona a Patre indiscretum; (quod ipsi suggessit male suspicax Petavii animus;) meminerit is, auctorem, quod in primo loco a nobis citato dixerat, "sine
" discrimine amplectebatur," in altero explicasse his verbis, "sine revelamine amplectebatur." Itaque generatio, quam his in locis describit auctor, nihil aliud est, ut dixi, quam Filii, quem Pater apud se et sibi soli, ut ita dicam, ex æterno amplectebatur, re velatio, sive ejus ex Patre egressio et processio, (scilicet κατ' ἐνέργειαν,) ad res, quæ non erant, procreandum, seque rebus creatis, angelis nempe et hominibus, manifestandum.

7. Cæterum hunc, quisquis fuerit, auctorem agnovisse, Christum in potiori ipsius natura æterni Patris
228 coæternum Filium esse, neque fuisse aliquando, quando Filius non esset, et aliunde certo cognoscimus. Nam in primo sermonum de Genesi (quorum, et illorum de æterna Filii generatione sermonum, eundem fuisse auctorem, nasutior quivis vel ex ipso stylo facile deprehenderit) toti SS. Trinitati, Patri, Filio, et Spiritui Sancto eandem originalem æternitatem diserte addicit [r]: "Hic est," inquit, "Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo "manente integro statu totum se reciprocavit in illum, (Filium [s],) ne quid sibimet derogaret. Denique "alter in altero exultat, cum Spiritus Sancti plenitudine, UNA ORIGINALI ÆTERNITATE renitens." Quis vero non animadvertit phrasium et verborum in hoc loco, et in locis ex sermonibus de æterna Filii generatione supra citatis, consonantiam? ibi est, "De Deo nascitur Deus;" hic, "Deus se digessit in Deum;" ibi, "Totum Patris habens, "nihil derogans Patri;" hic, "Pater totum se reciprocavit in illum, ne quid sibimet derogaret." Denique ibi "Spiritus plenitudinis" mentio fit; atque hic itidem. Idem in sermone de eo, quod scriptum est, "Cum tradidisset regnum Deo et Patri [t]," ait, Patri cum Filio "Originalis perpetuique regni unam "possessionem, coæternitatis omnipotentiæque unam "substantiam esse." Ubi rursus quis non videt, "Originalis perpetuique regni unam possessionem" idem significare pene iisdem verbis, quod in priori loco sermonis I. de Genesi, "una originalis æterni-

[r] Bibl. Patr. tom. II. p. 367. [vol. III. p. 359.]
[s] [Ita legitur in Biblioth.]
[t] Pag. 424. [p. 386.]

" tas?" Nescio autem cur non et eundem auctorem loqui credamus in sermone primo de nativitate Christi; ubi erroneas de Filio Dei sententias commemorans, hanc secundo loco ponit [u]: " Alia," inquit, " modes-" tius, sed mordacius nocens, dicit quidem Dei Fi-" lium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetui-" tate progenitum; fuisseque tempus, quando non " fuit." Ubi vides tritum illud Arianorum de Filio Dei effatum, " Erat quando non erat," ab auctore expressis verbis damnatum. Ac de hoc auctore satis.

8. Constantinus Magnus in Epistola ad Nicomedienses contra Eusebium et Theognim, quam post synodum Nicænam scripsit, quaque in Arianos vehementius et acrius invehitur, de Deo Patre et Filio ita disserit [x]; Πατέρα φημὶ ἄναρχον, ἄνευ τέλους γονέα τοῦ αἰῶνος αὐτοῦ· υἱὸν δὲ, τουτέστι τὴν τοῦ Πατρὸς βούλησιν, ἥτις οὔτε δι' ἐνθυμήσεώς τινος ἀνείληπται, οὔτε πρὸς τὴν τῶν ἔργων αὐτοῦ τελεσιουργίαν διά τινος ἐξεζητημένης οὐσίας κατελήφθη. ὃς γὰρ τοῦτο καὶ νοεῖ, καὶ νοήσει, οὗτος ἕξει πρὸς ἅπαν τιμωρίας γένος ἀκάματον ὑπομονήν. ἀλλὰ γὰρ ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς Χριστὸς, ὁ τῶν ἁπάντων δημιουργὸς, καὶ τῆς ἀθανασίας αὐτῆς χορηγὸς, ἐγεννήθη ὅσον πρὸς τὴν πίστιν ἀνῆκεν, ᾗ πεπιστεύκαμεν· ἐγεννήθη, μᾶλλον δὲ προῆλθεν αὐτὸς, καὶ πάντοτε ἐν τῷ Πατρὶ ὢν, ἐπὶ τὴν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένων διακόσμησιν. i. e. " Patrem dico sine principio, sine " fine Parentem sæculi ipsius; Filium vero, hoc est " Patris voluntatem; quæ quidem neque per cogita-" tionem est aliquam assumpta, neque ad operum " suorum perfectionem per exquisitam aliquam sub-" stantiam accepta. Qui enim hoc intelligit, intelli-" getque, hic habebit ad omne supplicii genus inde-" fessam tolerantiam. Sed Dei Filius Christus om-

[u] Pag. 426. [p. 386.]

[x] Apud Gelasium de Actis Nicæn. Concil. part. III. [p. 217.]

" nium Opifex, et ipsius immortalitatis Largitor, geni-
" tus est, quantum ad fidem pertinet, cui credidi-
" mus; genitus est, imo potius processit ipse, cum
" semper in Patre esset, ad ea ordinanda, quæ ab
" ipso facta sunt." Ubi quis non animadvertit Patrum illorum Antenicænorum sententiam, de quibus supra egimus, (quam scil. Ariani, ut verisimile est, in suæ hæresis patrocinium traxerunt,) a Constantino catholice atque optime explicatam? hanc tamen de Christianismo optime meriti imperatoris explicationem (quam dubio procul non inconsultis episcopis catholicis, qui ipsius lateri adhæserunt, edidit) Petavius [y] proterve satis, pro more suo, "jejunam
" et enectam notionem appellat." Scilicet illi jejuna et enecta sunt, quæcunque scholasticæ theologiæ, in plerisque vere jejunæ et enectæ, ad amussim non exiguntur. Adeone vero maximus orbis imperator Christianus sub ferulam hesterni Jesuitæ vocandus fuit, quod cum scholasticis plane non locutus sit, dum interim nullius *καινοφωνίας* reus fuit, eundemque plane sensum expressit, quem catholici omnes agnoscunt? quis non indignetur hanc scholæ tyrannidem? Rogo Petavium, quid in his Constantini verbis merito culpet? nunquid hoc ipsi displicet, quod optimus imperator processionem illam Filii ex Patre ad constituendum universa *generationem* appellet? verum ipse aperte significat, de generatione se loqui non proprie dicta, sed figurata et metaphorica. Nam postquam dixerat, "genitus est," mox se corrigit his verbis additis, "seu potius processit
" ipse;" et expresse fatetur, Filium in Patre et apud Patrem suum nunquam non extitisse. Quin et in

[y] De Trin. I. 5. 10. p. 31.

Epistola ad Arium apud eundem Gelasium[z], circa idem tempus, ut videtur, scripta, disertis verbis docet, Deum Patrem ex se genuisse Filium ἀϊδίως καὶ ἀνάρχως, "ab æterno et absque principio." Observandum autem est, hanc Constantini explicationem Athenagoræ ἐξηγήσει, quam supra adduximus, exacte respondere. Dixerat Athenagoras Filium πρῶτον γέννημα, *primam progeniem* Patris, hoc est primo ante creaturas omnes paulo ante conditum mundum edi- 229
tum; sed mox se corrigit his verbis, οὐχ ὡς γενόμενον, *non ut* tum primum *factum*; siquidem ὁ λόγος semper apud Patrem extitit; sed ut ex Patre progredientem, ut idea et ἐνέργεια foret rerum creandarum; et ad eundem plane modum se explicat Constantinus. Ego autem nullus dubito, quin hæc ipsa fuerit expositio, quam in synodo Nicæna adstruxisse Constantinus dicitur in perioche Epistolæ Eusebianæ, qua de supra fuse egi; quanquam illa pessime ibidem repræsentetur.

9. Cæterum quid si ipsum Athanasium jejunam et enectam istam Constantini notionem calculo suo comprobasse evicerimus? nunquid adversus magnum illum catholicæ fidei contra Arianos vindicem et defensorem mutire audebit Petavius? minime, ut opinor. Nam Athanasio "præ cæteris Patribus ex-
"quisitam et liquidam catholici de Trinitate dog-
"matis intelligentiam concessam fuisse divinitus," se opinari profitetur[a]. Audiamus igitur (quem et ipse omni laude majorem fateor) Athanasium. Is in Oratione tertia contra Arianos ad locum apostoli, in quo Christus appellatur *primogenitus omnis creaturæ*, quem ad evertendum Filii τὸ ὁμοούσιον et συναΐ-

[z] Part. III.

[a] Petavius Præfat. in tom. II. Oper. Theolog. Dogm. c. 3. §.

διον allegabant hæretici, sic respondet [b]; Εἰ δὲ πρωτότοκος τῆς κτίσεως λέγεται, ἀλλ' οὐχ ὡς ἐξισούμενος τοῖς κτίσμασι, καὶ πρῶτος αὐτῶν κατὰ χρόνον, πρωτότοκος λέγεται· πῶς γὰρ, ὅπουγε μονογενής ἐστιν αὐτός; ἀλλὰ διὰ τὴν πρὸς τὰ κτίσματα συγκατάβασιν τοῦ λόγου. i. e. "Quod autem "primogenitus creaturarum appellatur, id non ideo "fit, quasi ipse cæteris creaturis coexæquetur, aut "quod prima illarum sit ratione temporis; qui enim "id fieri potest, cum unigenitus sit Dei? sed ob "Verbi ad creaturas condescensionem, id nomen illi "inditur." Idem paulo post [c], Οὐ δύναται γὰρ ὁ αὐτὸς μονογενής τε καὶ πρωτότοκος εἶναι, εἰ μὴ ἄρα πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο· ἵνα μονογενὴς μὲν, διὰ τὴν ἐκ Πατρὸς γέννησιν, ὥσπερ εἴρηται· πρωτότοκος δὲ, διὰ τὴν εἰς τὴν κτίσιν συγκατάβασιν, καὶ τὴν τῶν πολλῶν ἀδελφοποίησιν. ἀμέλει τῶν δύο ταύτων ῥητῶν ἀντικειμένων ἀλλήλοις, κρατεῖν ἄν τις εἴποι δικαίως ἐπὶ τοῦ λόγου τὸ τοῦ μονογενοῦς μᾶλλον ἰδίωμα, διὰ τὸ μὴ εἶναι ἕτερον λόγον ἢ ἄλλην σοφίαν, ἀλλὰ τοῦτον μόνον ἀληθινὸν υἱὸν εἶναι τοῦ Πατρός· καὶ γὰρ ὥσπερ ἔμπροσθεν εἴρηται, οὐ μετά τινος συμπεπλεγμένης αἰτίας, ἀλλὰ ἀπολελυμένως εἴρηται ἐπ' αὐτοῦ τὸ, Ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός. τὸ δὲ πρωτότοκος, συμπεπλεγμένην ἔχει πάλιν τὴν τῆς κτίσεως αἰτίαν· ἣν ἐπήγαγεν ὁ Παῦλος λέγων, Ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα. εἰ δὲ πάντα τὰ κτίσματα ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη, ἄλλός ἐστι τῶν κτισμάτων, καὶ κτίσμα μὲν οὐκ ἐστι, κτίστης δὲ τῶν κτισμάτων. οὐ διὰ τὸ ἐκ Πατρὸς ἄρα πρωτότοκος ἐκλήθη, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐν αὐτῷ γεγενῆσθαι τὴν κτίσιν. καὶ ὥσπερ πρὸ τῆς κτίσεως ἦν αὐτὸς ὁ υἱὸς, δι' οὗ γέγονεν ἡ κτίσις, οὕτως καὶ πρὸ τοῦ κληθῆναι πρωτότοκος πάσης τῆς κτίσεως, ἦν οὐδὲν ἧττον αὐτὸς ὁ λόγος πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. i. e. "Non enim idem potest esse unigenitus et primoge-

[b] Athan. tom. I. p. 432. [Orat. II. 62. vol. I. p. 529.]
[c] Pag. 433. [p. 530.]

" nitus, nisi diverso respectu; ut unigenitus quidem
" habeatur ob generationem ex Patre, ut dictum est;
" primogenitus vero ob condescensionem ad creatu-
" ras, quodque multos sibi fratres fecerit. Certe cum
" hæc duo dicta sibi invicem opposita sint, merito
" quis dicat obtinere potissimum in Verbo proprie-
" tatem unigeniti, eo quod non sit aliud Verbum,
" aut alia Sapientia, sed ipse solus sit verus Patris
" sui Filius. Etenim, ut ante dictum est, non cum
" causa aliqua annexa, sed simpliciter dicitur ibi,"
(nempe Joan. i. 18. quem locum paulo ante attulerat,)
" *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Hoc
" vero quod primogenitus dicitur, connexam habet
" rursus creationis causam, quam subintulit Paulus,
" dicens, *Quoniam per ipsum creata sunt omnia.*
" Quod si omnes creaturæ per ipsum creatæ sint,
" alius ipse a creaturis et neutiquam creatura est,
" sed creaturarum omnium Conditor. Neque igitur
" quia ex Patre est, primogenitus appellatur, sed
" quia per ipsum facta est creatura. Et quemad-
" modum ante creaturam Filius ipse fuit, per quem
" facta est creatura; ita quoque antequam vocaretur
" primogenitus omnis creaturæ, nihilo minus ipse
" erat Verbum apud Deum, et Deus erat Verbum."
Hic aperte docet Athanasius, Filium fuisse Verbum apud Deum, et Deum Verbum ab æterno, atque antequam primogenitus omnis creaturæ fieret; primogenitum vero omnis creaturæ dici ob condescensum ad creaturas, quod nempe ad ipsas condendas ex Patre descenderit, ipsasque jam conditas rationales creaturas in adoptionem filiorum Dei evexerit. Quis vero, nisi paulo obtusior sit, non intelligat Athanasii hic theologiam cum veterum illorum, quos supra commemorari, doctrina omnino conspirare? sed hæc

si minus diserta cuiquam videantur, post aliquam-multa sic se clarius explicat Athanasius [d]; Πᾶσι γάρ ἐστι δῆλον, ὅτι οὔτε δι' ἑαυτὸν, ὡς κτίσμα ὢν, οὔτε διὰ τὸ συγγένειάν τινα κατ' οὐσίαν πρὸς πᾶσαν τὴν κτίσιν ἔχειν, πρωτότοκος αὐτὸς [c] ἐκλήθη· ἀλλ' ὅτι καὶ κατ' ἀρχὴν μὲν δημιουργῶν ὁ λόγος τὰ κτίσματα συγκαταβέβηκε τοῖς γενητοῖς, ἵνα γενέσθαι ταῦτα δυνηθῇ· οὐκ ἂν γὰρ ἤνεγκεν αὐτοῦ τὴν φύσιν, ἄκρατον καὶ πατρικὴν οὖσαν λαμπρότητα, εἰ μὴ φιλανθρωπίᾳ πατρικῇ συγκαταβὰς ἀντελάβετο, καὶ κρατήσας αὐτὰ εἰς οὐσίαν ἤνεγκε· καὶ δεύτερον δὲ πάλιν, ὅτι συγκαταβάντος τοῦ λόγου, υἱοποιεῖται καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις δι' αὐτοῦ· ἵνα καὶ
230 αὐτῆς, καθὰ προείρηται, πρωτότοκος κατὰ πάντα γένηται, ἔν τε τῷ κτίζειν, καὶ ἐν τῷ εἰσάγεσθαι ὑπὲρ πάντων εἰς τὴν οἰκουμένην. i. e. "Omnibus enim liquet, illum neque "propter se, quasi et ipse creatum quiddam esset, "neque quia cognatam essentiam habeat cum rebus "creatis, nomine primogeniti vocatum esse; sed "quia ὁ λόγος, cum primum conderet creaturas, con-"descendit rebus creatis, ut illæ ad essentiam per-"venire possent. Neque enim ipsæ tulissent ejus "naturam, indilutum scilicet et Patrium splendo-"rem, nisi pro Patris in homines amore se demit-"tens eas arripuisset, et ad existendi facultatem "protraxisset. Altera deinde causa est hujus no-"minis, quod postquam ita se demiserat ὁ λόγος, ipsa "etiam creatura in jus filiorum adoptata per ipsum "sit; ut ita, quemadmodum ante dictum est, in "omnibus primogenitus ipsius (creaturæ) fieret, tum "in creando scilicet, tum in inferendo seipsum pro "omnibus in mundum."

10. Dico hisce in locis Athanasii contineri exquisitam et liquidam explicationem eorum, quæ Athe-

[d] Pag. 435. [§. 64. p. 532.]

[c] Al. αὐτῆς.

nagoras et alii Patres, quos supra allegavi, de nativitate τοῦ λόγου paulo ante conditum mundum philosophati sunt. Quoniam vero ex omnibus Patribus Antenicænis Athenagoras rem istam maxima perspicuitate et accuratissime tractaverit; ideo ejus imprimis dicta cum Athanasianis conferre visum est. Primo, τὸν λόγον dixerat Athenagoras *primam Patris progeniem*, caute subjungens, id non ita intelligendum esse, quasi ὁ λόγος esset γενόμενόν τι, *factum quiddam;* quippe qui ab æterno apud Deum Patrem extiterit. Sic Athanasius expresse monet, cum in Scripturis ὁ λόγος dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*, id nequaquam sic exponendum esse, quasi ipse esset inter creaturas prima, aut cognatam cum rebus creatis essentiam haberet; siquidem is Verbum fuit apud Deum, et Deus Verbum, antequam primogenitus omnis creaturæ fieret, adeoque æternum. Secundo, primam Patris progeniem τὸν λόγον dixit Athenagoras, ob προέλευσιν illam, qua ex Patre progressus est, ut idea et energia foret rerum creandarum. Sic Athanasius intellexit ipsum τὸν λόγον primogenitum dici διὰ τὴν εἰς τὴν κτίσιν συγκατάβασιν, *propter condescensum ad creaturas;* ubi sane idem valet Athenagoræ προέλευσις, quod Athanasii συγκατάβασις, nisi quod hæc rei causam, quæ utraque voce significatur, clarius exprimat. Cæterum in loco, quem superius[f] allegavi, ipso vocabulo προελθὼν, juxta cum Athenagora, usus est in hoc negotio Athanasius. Denique Patres illi Antenicæni, quorum sententiam in quatuor proxime præcedentibus hujus sectionis capitibus explicavi, communiter locum apostoli, in quo Christus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*, de

[f] Vide hujus sectionis c. 7. §. 5. [p. 591.]

τοῦ λόγου ex Patre quasi progressione ad condendum universa exponunt; atque idem facit Athanasius. Quam interpretationem secutus etiam videtur vetus interpres Latinus, qui verba Sapientiæ de se, Ecclesiastici xxiv. 3. *Ego ex ore Altissimi prodivi, et sicut nebula obtexi terram*, ita παραφράζει· *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam; ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Paraphrasticam dico hanc interpretationem, quod in textu Græco, ut et in versione Syriaca et Arabica, desiderentur hæc, *primogenita ante omnem creaturam; ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Ex hac autem paraphrasi auctoris, (cujus versionem et nos perantiquam agnoscimus, et Romanæ ecclesiæ doctores pro authentica habent,) liquet, interpretem sensisse, per Sapientiam ibi intelligi τὸν λόγον sive Filium Dei, et τὸν λόγον ideo primogenitum ante omnem creaturam dici, quod in principio veluti ex ore Dei Patris prodierit ad constitutionem universi cum voce illa omnipotenti, *fiat;* qua et Deus in luce primigenia procreanda usus legitur. Neque metuendum est, si in loco illo Ecclesiastici intelligatur Sapientia, quem veteres omnes intellexerunt, Dei Filius, ne Filii Dei τὸ συναΐδιον periclitetur; eo quod Sapientia sæpius in eodem capite dicatur creari et condi. Nam, ut recte Grotius, liquet ibi vocem κτίζεσθαι significare *in lucem produci, per opera scilicet.* Sed istud ὡς ἐν παρόδῳ· cum Athanasio progrediamur.

11. Is in locis allatis τοῦ λόγου illam ex Patre processionem ad condendum universa, ob quam *omnis creaturæ Primogenitus* in Scripturis dicitur, quandam ipsius συγκατάβασιν fuisse, aperte dicit. Cujus condescensionis et hanc causam assignat, quod alio-

qui, et nisi ita se demisisset ὁ λόγος, naturam ejus, atque indilutum et patrium splendorem, (hoc est, gloriam illam, quam ex æterno apud Patrem habuit, paternæ æqualem,) ferre ac sustinere neutiquam potuissent creaturæ. Idem prorsus dixit, ut modo vidimus, auctor Sermonum, qui Zenoni Veronensi tribuuntur, de nativitate illa Filii, quam mox subsecuta est mundi creatio, ita disserens; "Quomodo "autem," inquit, "generatus sit, qui processit, de-"mentis est opinari; namque temperat se propter "rerum naturam Filius, ne æternæ majestatis Do-"minum non possit mundi istius mediocritas sus-"tinere." Neque aliud voluisse mihi videtur doctissimus Eusebius Pamphili, cum in Oratione de lau- 231
dibus Constantini cap. 11. hæc scripserit[e], Τὸν ἀφανῆ καὶ ἀόρατον λόγον, τὸν δὴ τοῦ παντὸς εἰδοποιόν τε καὶ κοσμήτορα, ὑπερεκπληκτέον, ὄντα τοῦ Θεοῦ μονογενῆ· ὃν ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς, ὁ πάσης ἐπέκεινα καὶ ἀνωτάτω οὐσίας, αὐτὸς ἐξ ἑαυτοῦ γεννήσας, ἡγεμόνα καὶ κυβερνήτην τοῦδε τοῦ παντὸς κατεστήσατο. ἐπεὶ γὰρ μὴ οἷόντε ἦν, τὴν ῥευστὴν τῶν σωμάτων οὐσίαν, τήν τε τῶν ἄρτι γενομένων λογικῶν φύσιν τῷ πανηγεμόνι Θεῷ πελάζειν, δι' ὑπερβολὴν τῆς ἀπὸ τοῦ κρείττονος ἐλλείψεως· (ὁ μὲν γὰρ ἦν ἀγέννητος, ἀνωτάτω τε καὶ ἐπέκεινα τῶν ὅλων, ἄῤῥητος, ἀνέφικτος, ἀπροσπέλαστος, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, ᾗ φασὶν οἱ ἱέρειοι λόγοι· ἡ δὲ ἐξ οὐκ ὄντων προβεβλημένη, ποῤῥωτάτω τε διεστῶσα, καὶ μακρὰν τῆς ἀγεννήτου φύσεως ἀπεσχοινισμένη·) εἰκότως ὁ πανάγαθος καὶ Θεὸς τῶν ὅλων μέσην τινὰ παρεμβάλλει τὴν τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ λόγου θείαν καὶ παναλκῆ δύναμιν· ἀκριβέστατα μὲν ὡς ὅτι μάλιστα καὶ ἐγγύτατα τῷ Πατρὶ προσομιλοῦσαν, εἴσω τε αὐτοῦ τῶν ἀποῤῥήτων ἀπολαύουσαν, πρᾳότατά γε συγκατιοῦσαν, καὶ ἀμωσγέπως συσχηματιζομένην τοῖς τῆς ἄκρας ἀπολιμπανομένοις. ἄλλως γὰρ οὔτ' εὐαγὲς, οὔθ' ὅσιον, τὸν τῶν ὅλων ἐπέ-

[e] Pag. 635, 636. ed. Vales. [p. 746.]

κεινὰ καὶ ἀνωτάτω ὕλῃ φθαρτῇ καὶ σώματι συμπλέκειν. i. e. " Invisibilem illum Sermonem summe admirari de- " bemus, qui hoc universum formavit atque exorna- " vit; qui est unigenitus Dei Filius; quem ille om- " nium rerum Conditor, qui omnem substantiam " transcendit, ex seipso genitum, Principem ac Rec- " torem hujus universi constituit. Nam quoniam " fieri non poterat, ut fluxa corporum substantia, et " rationalium jam editorum animalium natura ad " summum omnium Rectorem Deum accederet, eo " quod infinitis spatiis ab illo superantur; (quippe " hic quidem ingenitus est, supra et ultra omnia " positus, inexplicabilis, inaccessus, ad quem per- " veniri non potest, *lucem habitans inaccessibilem*, " ut sacra loquuntur oracula; illa vero ex nihilo " producta, longissimo intervallo dissita ac separata " ab ingenita illa natura;) non sine causa Deus opt. " max. velut mediam interjicit divinam ac præpo- " tentem unigeniti Sermonis sui virtutem. Quæ " quidem cum perfectissime et proxime cum Patre " conversetur, intraque ipsum manens ineffabilis " ejus arcanis perfruatur, nihilominus tamen be- " nigne condescendit, seque ipsum quodammodo at- " temperat coaptatque iis qui a summo vertice lon- " gius absunt. Aliter enim nefas esset, eum qui " supra ultraque omnia positus est, cum corruptibili " materia et corpore connectere." Hic verbum συγκατιέναι, quo utitur Eusebius, idem prorsus valet, quod συγκαταβαίνειν apud Athanasium; nempe *condescendere;* et ejus condescensionis τοῦ λόγου causa et ratio eadem plane ab utroque assignatur. Mediam autem inter Deum et creaturas manifeste dicit Eusebius Verbi virtutem, non in se spectatam; sed propter illam, qua de loquitur, condescensionem.

Imo diserte hic docet, Verbi virtutem, etiam dum ita se demittit, perfectissime et proxime cum Deo Patre conversari, intraque ipsum manentem ineffabilis ejus arcanis perfrui; plane quemadmodum Athanasius dicit, ipsum τὸν λόγον non ita condescendere, quin semper maneat indilutus ac patrius splendor. Quod igitur ad hunc locum observat Valesius, (idem qui Eusebium ab Arianismi calumnia merito defendit,) hæc Eusebii optime ab Athanasio refutari in Oratione tertia contra Arianos[f]; in eo (quod pace ejus dictum sit) omnino fallitur vir præstantissimus. Error, quem ibi refutat Athanasius, fuit Arianorum, seu potius semi-Arianorum, qui docebant ipsam Filii naturam in se mediam esse inter Deum et creaturas, hoc est, a summa Dei natura distare, et cæteris tamen rebus creatis omnino dissimilem esse. Ab hoc errore abhorruisse Eusebium satis ostendit hic locus, ad quem ista adnotavit Valesius. Sed illud extra omnem controversiæ aleam ponunt verba Eusebii in hac ipsa Oratione de laudibus Constantini cap. 6.[g] ubi de numero ternario subtilius philosophatus, ait, eo significari sacrosanctam Trinitatem, Patrem nempe, Filium, et Spiritum Sanctum, quorum natura æqualis sit, et pariter increata, ortusque omnis expers. Verba sunt, Πρώτη δὲ τριὰς δικαιοσύνην ἀνέδειξεν, ἰσότητος καθηγησαμένη· ὡς ἂν ἀρχὴν καὶ μεσότητα καὶ τελευτὴν ἴσην ἀπολαβοῦσα· εἰκὼν δὲ ταῦτα μυστικῆς καὶ πανηγίας καὶ βασιλικῆς τριάδος· ἣ τῆς ἀνάρχου καὶ ἀγενήτου φύσεως ἠρτημένη, τῆς τῶν γενητῶν ἁπάντων οὐσίας τὰ σπέρματα καὶ τοὺς λόγους καὶ τὰς αἰτίας ἀπείληφε· "Numerus "autem ternarius justitiam primus hominibus osten- "dit, æqualitatem docens; quippe qui principium,

[f] Pag. 396. et seqq. [Orat. II. 26. vol. I. p. 494.]

[g] Pag. 318. edit. Vales. [p. 730.]

" medium, ac finem habeat æqualia. Atque hæc " mysticæ sacrosanctæ ac regiæ Trinitatis imaginem " referunt; quæ cum in natura ortus ac principii " experte consistat, omnium quæ ortum habent sub- " stantiarum semina, rationes, causasque in se con- " tinet." Quid, quæso, contra Arium cæterosque Antitrinitarios his efficacius aut disertius ab ullo catholicorum unquam dictum fuit[h]? In eadem vero Oratione cap. 2. in ipso initio, Filio Dei speciatim coæternum prorsus cum Deo Patre divinum imperium expresse tribuit[i]; Ὁ μέν γε, inquit, τοῦ Θεοῦ μονογενὴς λόγος, τῷ αὐτοῦ Πατρὶ συμβασιλέυων ἐξ ἀνάρχων αἰώνων εἰς ἀπείρους καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας. i. e. " Et ille " quidem unigenitus Dei Sermo, a sæculis principio
232 " carentibus ad infinita usque et interminata sæcula " regnat cum Patre." Cæterum Dei Filium, qui cum Patre suo ex æterno, utpote ejusdem cum ipso increatæ et principii expertis naturæ, extitit, cum Deus Pater voluit, ex ipso quasi exivisse ad condendum et gubernandum universa, seque demisisse, ac virtutem suam veluti attemperasse; hanc, inquam, sententiam adeo non refutavit uspiam Athanasius, ut ipsam disertissimis verbis, quæ recitavimus, ipse tradiderit, suoque calculo comprobaverit. Quæ si intellexisset, qui nihil non in Patrum scriptis intellexisse videri voluit, Petavius, nunquam certe doctissimum et de ecclesia catholica optime meritum Eusebium, propterea quod Filium Dei dixerit μεσίτην inter Deum et res creatas, et ob dicta similia tanquam recoctum Arianum, nedum cum Hieronymo, (quem ipsum eo nomine ausus est acriter reprehendere præcellentissimus Valesius[k],) ut Arianæ

[h] [Vid. Respons. ad G. Clerke §. 15.] [i] Pag. 607. [p. 719.]
[k] De Vita et Scriptis Eusebii, prope finem.

factionis signiferum sugillasset, quod in scriptis suis passim facit. Quid? quod ipse Alexander episcopus Alexandrinus, qui primus vexillum contra impiam Arii hæresim erexit, prorsus idem, quod Eusebius, dixit; idque in illa ipsa Epistola quam ad Alexandrum Constantinopolitanum scripsit[1], quaque Arii blasphemias acerrime impugnat; Ἀγνοοῦντες, inquit, οἱ ἀνάσκητοι, ὡς μακρὸν ἂν εἴη μεταξὺ Πατρὸς ἀγεννήτου, καὶ τῶν κτισθέντων ὑπ' αὐτοῦ ἐξ οὐκ ὄντων, λογικῶν τε καὶ ἀλόγων· ὧν μεσιτεύουσα φύσις μονογενὴς, δι' ἧς τὰ ὅλα ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ Πατὴρ, τοῦ Θεοῦ λόγου, ἢ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὄντος Πατρὸς γεγέννηται. i. e. "Nec intelligunt rudes atque ig-"nari, multum interesse inter Patrem ingenitum et "res ab illo creatas ex nihilo, tam rationales quam "rationis expertes; inter quæ duo media interveni-"ens unigenita natura[m] Dei Verbi, per quam Pater "universa condidit ex nihilo, ex ipso vero Patre "progenita est." Ubi dubio procul idem voluit Alexander, quod ejus successor in cathedra Alexandrina Athanasius. Nam ibidem mox, pauculis interjectis, ita scribit; Οὐδεὶς οἶδε τίς ἐστιν ὁ Πατὴρ, εἰ μὴ ὁ υἱός· καὶ οὐδεὶς οἶδε τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ Πατήρ. ἄτρεπτον τοῦτον καὶ ἀναλλοίωτον, ὡς τὸν πατέρα, ἀπροσδεῆ, καὶ τέλειον υἱὸν, ἐμφερῆ τῷ Πατρὶ μεμαθήκαμεν, μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκείνου. εἰκὼν γάρ ἐστιν ἀπηκριβωμένη καὶ ἀπαράλλακτος τοῦ Πατρός. i. e. "Nemo novit Pa-"trem nisi Filius, et nemo novit quis sit Filius nisi "Pater. Hunc conversionis ac mutationis expertem, "perinde ac Patrem, nullius egentem, et perfectum "Filium, Patrisque similem esse didicimus, hoc solo

[1] Apud Theodorit. Eccl. Hist. I. 4. p. 16, 17. ed. Vales. [p. 17, 18.]

[m] "Naturam sumit pro persona. Intelligit enim φύσιν ἐν ὑπο-"στάσει, ut paulo ante locutus est." *Vales. in loc.*

" inferiorem Patre, quod ingenitus non est. Est " enim imago Patris exactissima et in nullo dis- " crepans." Hæc certe tam clara sunt et expressa, ut nullo commentatore indigeant. Qui hæc scripsit, non potuit ea mente, qua Arius, dicere, Filium Dei inter Deum et creaturas μεσιτεύειν.

12. Interrogabis fortasse a me, qualisnam fuerit illa τοῦ λόγου ad condendum universa συγκατάβασις, de qua sancti Patres loquuntur? quid vero si simpliciter respondeam, me nescire? haud propterea licet mihi hanc venerandorum Patrum notionem, (quorum ea fuit modestia, et sacrosancti mysterii reverentia, ut e suo cerebello ipsam effinxisse neutiquam existimandi sint,) tanquam inanem subtilitatem despicere et contemnere. Dic tu, qualis fuerit τοῦ λόγου et Filii Dei κένωσις et συγκατάβασις, qua propter nos homines et nostram salutem a Patre exivit, e cœlis descendit, et incarnatus fuit; et ego tibi alteram illam συγκατάβασιν explicare conabor; ut scilicet insaniamus ambo, in Dei mysteria oculos injicientes; idque qui tandem? nempe ii, qui neque ea, quæ ante pedes sunt, scire possumus, ut scite olim dixit Gregorius Nazianzenus [n]. Equidem non ausim ego hoc arcanum scrutari; (quanquam videre mihi videar quod de ipso non inscite dici posset;) itaque ad Athanasium revertor, qui triplicem Filio nativitatem manifeste tribuit. Prima est, qua ut ὁ λόγος ab æterno ex Patre et apud Patrem extitit, utpote æternæ mentis paternæ coæterna progenies. Hæc sola est τοῦ λόγου, qua Dei λόγος et Deus est, vera ac proprie dicta nativitas. Ob hanc nativitatem τὸν μονογενῆ in Scripturis dici ipsum censuit Athanasius; qui et eo solo nomine existimavit Filium

[n] Orat. XXXVII. [Orat. XXXI. 8. p. 561.]

esse ἐκ Πατρὸς, hoc est, ex Patre initium et originem subsistentiæ suæ traxisse. Altera nativitas consistit in illa συγκαταβάσει, qua ὁ λόγος ex Deo Patre exivit ad creationem universi. Hujus respectu dici illum in Scripturis omnis creaturæ primogenitum, statuit Athanasius. Ex hac nativitate nihil accessit divinæ personæ τοῦ λόγου· utpote quæ, ut dicit, fuit potius ipsius demissio et condescensio. Tertia demum ejus nativitas tum fuit, cum eadem divina persona e sinu et gloria paterna exivit, seque intulit in uterum sacratissimæ Virginis; itaque ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Verbum caro factum est*, sive natus est homo, ut nos 233
homines per ipsum adoptionem filiorum acciperemus. Recole quæ diximus II. 8. 5. [p. 276.] de Hippolyto. Cave autem, hanc magni Athanasii interpretationem contemnas; quippe quæ aptissimam tibi clavem porrigat ad aperiendum veterum quorundam mentem ac sententiam, quorum dicta Ariani olim imperite admodum in hæresis suæ patrocinium traxerunt, et neoterici quidam theologi haud minus imperite, (ausim id dicere, quanquam illi præ aliis omnibus sapere sibi videantur,) Arianismi incusarunt.

13. Ut caput hoc tandem claudam, ex his omnibus liquet, Petavium [o] frustra sugillasse optimum et (si ætatem [p], qua vixit, spectes) doctissimum scriptorem, Rupertum Tuitiensem abbatem, quod in primo Commentariorum in Genesin cap. x. hæc scripserit; "Quid ergo? quid in eo, quod dictum est, *dixit* "*Deus*, nisi generationem Verbi æterni, Verbi Deo "consubstantialis, de cujus effectu et nos et angeli "rationales sumus, significatum intelligere debemus?

[o] De Trin. I. 5. 9.

[p] Com. in Script. edidit an. 1117. *Cave.* BOWYER. [Pro[illegible] opera ejus omnia, Paris. 1638.]

" inferiorem Patre, quod ingenitus [illegible]nia potentiali-
" enim imago Patris exactissim[illegible]er actualiter gene-
" crepans." Hæc certe tam [illegible]am creavit, quando lu-
ut nullo commentatore ind[illegible]uibus in verbis cum Verbi
non potuit ea mente, [illegible]ιον et τὸ συναΐδιον, ipsumque
inter Deum et crea[illegible]natum fuisse ab æterno aperte
12. Interroga[illegible] et alibi centenis in locis facit;)
illa τοῦ λόγο[illegible] tamen quandam ipsi tribuit, quæ
de qua [illegible] constitutionem proxime antecesserit, cujus
plicit[illegible] is actualiter a Patre natus diceretur; quod
lie[illegible] tum ex Patre progressus fuerit, ut ἐνέργεια
nempe foret rerum creandarum, atque actu produceret ea
omnia quæ potentialiter in se ab æterno habuerat.
Cur vero per Petavium Ruperto non licuit cum Patribus catholicis tam Antenicænis, quam qui post synodum Nicænam scripsere, seque Arianæ hæresi strenue opposuerunt, impune loqui? Scilicet scriptor ille, (utpote in primævæ ecclesiæ monumentis versatissimus,) cum in multis antiquam et catholicam fidem contra novitia degenerantis ecclesiæ Romanæ placita libere asseruit; tum imprimis magnum illud pontificiorum idolum, transubstantiationis dogma, (quod eo tempore, stupentibus viris eruditis ac piis, passim obtinere ac tantum non pro catholico obtrudi cœperat,) palam oppugnare ausus fuit. Hinc in Rupertum illud Romanensium odium; imo hanc ob causam æternis tenebris damnata fuissent eximii scriptoris monumenta, nisi viri quidam docti e reformatis theologis ea, invitis pontificiis, in lucem edidissent. Quod et ipse Bellarminus[q] ingenue fatetur his verbis; "Atque hæc," inquit, "videtur esse "causa," (nempe quod in ipsis dogma de conversione panis Eucharistici in corpus Christi passim re-

[q] De Script. Eccl. in Ruperto Tuitiensi. [Op. vol. VII. p. 140.]

'etur,) " ut opera Ruperti Tuitiensis, alioqui non
ala, nec indocta, jacuerint sine luce et honore in
ebris oblivionis, annis circiter quadringentis;
nostro primum tempore cœperunt lucem as-
." Sed de his satis.

CAP. X. 234

Examinatur Tertulliani, nec non Lactantii de Filii æternitate doctrina. Sectio tertia concluditur.

1. EX scriptoribus illis Antenicænis, qui a viris quibusdam doctis insimulantur negatæ Filii Dei cum Deo Patre coæternæ existentiæ, duos hactenus omisimus; Tertullianum dico et Lactantium. De quibus, cum peculiaris ipsorum videatur ratio, seorsim et distincta thesi agendum duximus. Thesis hæc esto:

THESIS IV.

Tertullianus quidem alicubi ausus est diserte scribere, fuisse tempus, quando Filius Dei non esset. Sed primo constat, scriptorem illum, cæteroquin ingenii magni et paris eruditionis, ab ecclesia catholica ad hæresim defecisse; et valde incertum est, quos catholicus, quos in hæresim inclinans, quos demum plane hæreticus libros conscripserit. Deinde videtur Tertullianus protulisse istud effatum ἀγωνιστικῶς, et in certamine cum adversario, ludens in vocabulo *Filii*; ita ut cum Filii æternitatem absolute negasse videatur, revera tamen nihil aliud voluerit, quam quod voluerunt Patres, quos in capitibus 5—8. hujus sectionis commemoravimus; nempe personam illam divinam, qui Filius Dei appellatur, quanqu[illegible] nunquam non extiterit apud Patrem, Filium t[illegible]

tum primum declaratum fuisse, quando ex Patre processerit ad constituendum universa. Certe idem Tertullianus alibi multis in locis plane catholice, si dogmatis τὸ ὑπερέχον spectemus, de Filii τῷ συναϊδίῳ philosophatus fuit. Ad Lactantium quod attinet, qui etiam alicubi Filio Dei non obscure initium existentiæ tribuit, levis est ejus in ecclesia Dei existimatio et auctoritas; siquidem sacrarum literarum et doctrinæ Christianæ pene rudis fuit. Deinde necessario statuendum, aut loca illa scriptorum Lactantii, quæ contra Filii æternitatem facere videntur, ab hæretico aliquo Manichæo depravata; aut certe ipsum Lactantium Manetis hæresi infectum fuisse. Demum et ipse tamen alibi saniorem de æternitate τοῦ λόγου sententiam tradidit.

2. Ut a Tertulliano initium faciam, locus, in quo ille absurdam istam sententiam profert, extat in libro contra Hermogenem cap. 3.[r] ubi sic scribit; "Quia et Pater Deus est, et judex Deus est; non "tamen ideo Pater et judex semper, quia Deus sem- "per. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec "judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum et "delictum et Filius non fuit, quod judicem, et qui "Patrem Dominum faceret." Respondet hic pro Tertulliano Bellarminus[s], (quem secutus est nuper vir quidam reverendus e nostratibus,) hunc in modum; "Ille," inquit, "Filius, de quo dicit Tertul- "lianus in libro contra Hermogenem, quod non sem- "per fuit, non est Verbum Dei, sed Filius per adop- "tionem, id est, quivis alius sanctus homo, vel an- "gelus. Non enim hic de Christo agitur, sed de

[r] [Pag. 234.]

[s] Controv. tom. I. de Christo I. 10. [p. 341.]

" creatura rationis participe, quæ extrinsecus acces-
" sit, et Deum ex tempore Patrem denominavit."
Sed nihil certius est, quam hanc responsionem a
mente Tertulliani prorsus alienam esse. Nam præ-
terquam quod in loco allato de Filio Dei absolute et
sine limitatione aliqua loquatur, et Deum fuisse sem- 235
per Patrem simpliciter neget, alibi quoque in hoc
ipso libro seipsum clare interpretatur. Nam cap. 18.
sic de Filio Dei, sub nomine Sophiæ, scribit; " Si
" enim," inquit, " intra Dominum quod ex ipso et in
" ipso fuit, sine initio non fuit, Sophia scilicet ipsius,
" exinde nata et condita, ex quo in sensu Dei ad
" opera mundi disponenda cœpit agitari; multo ma-
" gis non capit sine initio quicquam fuisse, quod
" extra Dominum fuerit." Hinc, inquam, manifes-
tum est, Tertullianum, dum ista scriberet, de filiis
Dei adoptivis, sanctis nempe angelis et hominibus,
neutiquam cogitasse; sed de Filio illo Dei, qui et
Sophia dicitur, per quem Deus hæc universa condi-
dit, locutum fuisse.

3. Alii igitur ingenue et rotunde respondent, Ter-
tullianum hic, ut in aliis multis, magno suo ingenio
nimis fidentem, a catholicæ veritatis semita mani-
feste deviasse: nec multum morandum, quid ille
docuerit, cujus hæresis " scriptis probabilibus de-
" traxit auctoritatem," ut Hilarius [t] loquitur. Sane
Patres Antenicænos, tam qui ante, quam qui post
Tertullianum scripserunt, communiter τὸ συναΐδιον
Filii agnovisse, supra abunde probavimus. Itaque
si Tertullianus revera Filii æternitatem negavit,
heterodoxus fuit. His addas, postquam Tertullianus
absurdum illud effatum, " fuisse tempus, quando

[t] Com. in Matthæum. v. [p. 630.]

" Filius Dei non esset," scriptis suis evulgasset, mox Patres catholicos, qui ipsius ætatem secuti sunt, veluti agmine facto, blasphemiam istam palam oppugnasse, atque in scriptis suis disertis verbis refutandam proposuisse. Hoc ab Origene, duobus Dionysiis, Romano, et Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, et Pamphilo Martyre factum, in superioribus ostendimus. Quin et auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani, cum alioquin ubique fere Tertullianum imitetur, ejusque sententiam sequatur; (unde ipsi Tertulliano opus illud adscriptum fuit;) hic tamen ab ipso aperte discedit. Cum enim Tertullianus diserte docuisset, Patrem non semper fuisse Patrem, ille contra palam affirmat cap. ult. statuendum esse, Filium semper in Patre fuisse, " ne Pater non sem-" per sit Pater." Atque hæc quidem responsio sufficere potest, ad obstruendum Arianorum ora, qui Tertulliani patrocinio gloriantur. Certe Hieronymus advers. Helvid. cap. 9.[u] Tertulliani auctoritate pressus, sic uno verbo respondet; " De Tertulliano qui-" dem nihil amplius dico, quam ecclesiæ hominem " non fuisse."

4. Interim hic aliter respondendum mihi videtur. Quippe censeo, Tertullianum ista, quæ ex libro adversus Hermogenem adduximus, haud bona fide et ex animo protulisse, sed ἀγωνιστικῶς, et contentiose, ut quocunque modo suum adversarium constringeret. Norunt omnes, in Tertulliani scriptis vel mediocriter versati, solenne ipsi esse, ad hypothesin suam stabiliendam, argumenta undecunque arripere; eaque non raro ejusmodi, quæ parum valida esse neque ipse ignoraret. Id illi usu hic venisse persuasum ha-

[u] [§. 17. vol. II. p. 225.]

beo. Hermogenes materiam ab æterno atque absque initio extitisse hoc argumento contendebat, quod alioqui ab æterno Deus non fuisset Dominus; siquidem nihil habuisset, quod ipsi pareret. Cui respondet Tertullianus, Deum etiam in Scripturis Patrem dici, qui tamen non semper Pater fuit, sed ab aliquo initio sibi filium genuit. Filium autem ab aliquo initio genitum fuisse, inde collegisse videtur, quod is non ab æterno, sed demum post infinita sæcula, cum Pater voluit, ex Patre progressus fuerit ad operationem universi: quam ejus progressionem illius ævi doctores aliqui generationis nomine appellarunt. Cum autem non ignoraret Tertullianus, progressionem illam neutiquam fuisse proprie dictam Filii generationem, sive productionem, (siquidem is ab æterno apud Patrem extitit,) id tamen dissimulandum duxit, ut hypothesi suæ inserviret. Haud absimili fallacia de Creatore omnium dicere aliquis possit, *Fuit tempus, cum Creator non fuit;* subintelligens scilicet, qua Creator dicitur. Quippe Deus omnium Creator tum demum Creator denominatus et quasi factus fuit, cum ex nihilo res condidit. Fuit autem tempus, quando nulla res condita et creata existeret, a qua Deus Creator denominaretur. Interim qui ita argumentatur, neutiquam existimandus est negasse, Deum, cui aliquando Creatoris nomen accessit, prorsus æternum esse. Ita fere, inquam, hic argumentatur de τῷ λόγῳ, qui et Filius Dei dicitur, Tertullianus; " Fuit," inquit, " tempus, cum " Filius non fuit;" subintelligens scilicet, qua Filius dicitur. Quippe Tertullianus existimavit, τὸν λόγον in hoc imprimis Filium Dei declaratum fuisse, quod cum Deus Pater voluit, ex ipso processerit, et tanquam ex utero paternæ mentis prodierit, et quasi

natus fuerit, ad condendas creaturas. Fuit autem tempus, quando ὁ λόγος nondum ita ex Deo processerat. Interim aliunde constat, probe nosse Tertullianum, τὸν λόγον, qui Filius Dei dicitur, nunquam non
236 fuisse et extitisse apud Deum. Luculentius autem Tertulliani dolus, hoc argumento pugnantis, apparet ex loco illo altero dicti libri cap. 18. quem paulo ante allegavimus. Ait ibi, illam Dei Sophiam, quæ intra ipsum Deum est, quæ ex ipso Deo est, quæque adeo in ipso Deo antea fuit, initium aliquando habuisse. Papæ! Quis Œdipus hoc ænigma nobis exponat? Sane quod ex ipso Deo, et intra ipsum Deum est, Deus est. Nihil autem Dei est, quod non æternum est, ut ipse Tertullianus alibi fatetur. Quomodo autem, te obsecro, quod in ipso Deo etiam ante fuit, postmodum initium habere potuit? Si quis dicat Tertullianum sensisse, Sophiam, qui et Filius Dei dicitur, ante initium, quo de loquitur, in Deo fuisse *in potentia* tantum, plane nugatur. Nam sic et res omnes creatæ in Deo ab æterno fuerunt, quas tamen ita distinguit Tertullianus a Dei Sophia, ut hanc in ipso Deo æternum substitisse, illas extra Deum esse semperque fuisse, clare doceat. Quid? quod paulo ante in eo ipso capite expresse dixerat, loco materiæ, quam æternam statuebat Hermogenes, Deo adfuisse ipsius Sophiam, idque tanquam Spiritum in ipso subsistentem, qui solus ipsius sensum cognovit, ipsique consiliarius fuit, (quæ Dei Patris et Sophiæ ipsius distinctam personalitatem manifeste significant,) tanquam itidem ipsi æqualem, ejusdemque cum ipso status sive naturæ; "Si necessaria est," inquit, "Deo "materia ad opera mundi, ut Hermogenes existima-"vit, habuit Deus materiam longe digniorem et "idoniorem, non apud philosophos æstimandam, sed

" apud prophetas intelligendam, Sophiam suam sci-
" licet. Hæc denique sola cognovit sensum Domini:
" quis enim scit quæ sunt Dei, et quæ in ipso, nisi
" Spiritus qui in ipso? Sophia autem Spiritus; hæc
" illi consiliarius fuit, via intelligentiæ et scientiæ
" ipsa est. —— Quis non hanc potius omnium fon-
" tem et originem commendet, materiam vero mate-
" riarum, non sibi subditam, non statu diversam,
" &c.?" Dei igitur Sophiam, quæ in Deo *actu* semper fuit, tum quasi natam et conditam dicit Tertullianus, " quando in sensu Dei ad opera mundi disponenda " cœpit agitari;" hoc est, quando, volente Patre, ἐνέργειαν et vim suam cœpit quasi excitare, exercere et exerere in rerum creatione; sive, ut Athenagoras, cum increatus et æternus ille λόγος, (idem qui et Dei Sophia dicitur, ipso, ut mox videbimus, Tertulliano fatente,) ex Deo progressus est, ut idea et energia foret rerum creandarum. Crasse quidem, et pene impie, si verba spectes, mysterium explicat Tertullianus; quasi scilicet progressa esset Dei Sophia ad condendum universa, non sine agitatione aliqua et veluti commotione divinæ essentiæ antecedenti. Sed Tertulliano solenne est, Deo corporales affectiones intrepide adscribere. Unde viri quidam docti existimarunt, revera sensisse Tertullianum, corporeæ esse naturæ Deum; a quibus tamen ego quidem dissentio. Mirum autem nemini videri debet, de Sophia Dei tam contumeliose hic loqui Tertullianum, quasi agitata fuisset intra Deum, priusquam exiret ad condendas creaturas, siquidem ipse alibi in hoc ipso libro etiam Deo Patri nisum quendam, conatum et laborem in rerum molitione tribuit. Nam Hermogeni dicenti cap. 44. Deum solummodo " adparentem et " adpropinquantem materiæ" mundum hunc

Tertullianus, (quasi parum curasset, quid de Deo diceret, modo suo adversario contradiceret,) ita respondet cap. 45. " Noli ita," inquit, " Deo adulari, ut " velis illum solo visu et solo accessu tot ac tantas " substantias protulisse, et non propriis viribus in- " stituisse. Sic enim et Hieremias commendat; " *Deus faciens terram in valentia sua, parans or-* " *bem intelligentia sua, et suo sensu extendit cœlum.* " Hæ sunt vires ejus, quibus enixus totum hoc con- " didit. Major est gloria ejus, si laboravit. Denique " septima die requievit ab operibus. Utrumque more " suo." Itane vero? viribus suis enixus est Deus, ut totum hoc conderet? an revera major erit Dei gloria, si in rerum creatione laborasse dicatur? ecquid Deo difficile? sed vide hominis astutiam. Voluit quidem ut hæc contra adversarium valerent, quantum valere poterant, sibi interim catholici sensus quasi refugium caute reservans. Deus, inquit, laboravit in mundo creando, requievit post conditum mundum; " Utrumque more suo." Quem morem si candide et ingenue explicasset, scivit, vim ratiocinationis suæ pene omnem perituram fuisse; ideoque ab istiusmodi explicatione hic abstinuit. Alibi autem vere catholicam de Deo sententiam clare explicat, nempe in lib. advers. Prax. cap. 10.[x] " Plane," inquit, " nihil Deo difficile." Et ibidem postea; " Dei " posse, velle est; et non posse, nolle." Sic cum ait, in Deo mundum condituro agitatam fuisse ipsius Sophiam, procul dubio intellexit, *more suo*. Quippe revera nisus et labor ille Dei ad constituendum hanc rerum universitatem, de quo altero in loco Tertullianus loquitur, plane idem est quod divinæ Sophiæ

[x] [Pag. 505.]

agitatio ad opera mundi disponenda, qua de agit in loco altero.

5. Verissimam esse hanc responsionem nostram manifeste porro comprobabo ex aliis quibusdam locis Tertulliani, in quibus docet, ipsam hypostasin sive personam τοῦ λόγου, *Rationis, Sermonis, Sophiæ, et* 237 *Filii Dei*, (nam eidem personæ nomina ista omnia attribuit,) ab æterno extitisse cum Deo Patre, et apud ipsum; itemque divinam illam personam, quando Pater voluit, ex ipso processisse ad creationem universi; ac propter processionem istam *Sermonem* et *Filium Dei* dictam esse. Quæ loca antequam proferam, lectorem præmonendum duxi, ut ne in ipsis expectet pure omnino, sincere, et sine reprehensione traditam a Tertulliano orthodoxam doctrinam. Imo ibidem inveniet aureas quasi venas catholicæ traditionis, aliqua scoria admistas. Tenet ipsum dogmatis fundamentum Tertullianus; super ipso interim ligna, fœnum, stipulam, more suo, ædificans. Hoc præmisso, loca ipsa aggredior. In libro advers. Prax. cap. 5. Patrem a Filio persona esse distinctum, ex quorundam ratione confirmat, qui Genesis initio sic in Hebraico scriptum esse dicebant; *In principio Deus fecit sibi Filium.* Sed ut id minime firmum sit, alia argumenta suppetere ait ex ea dispositione Dei, quæ Filii generationem, sive processionem ex Patre antecessit. " Ante omnia " enim," inquit, " Deus erat solus, ipse sibi et mun- " dus, et locus, et omnia; solus autem, quia nihil " aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc " quidem solus; habebat enim secum, quam habebat " in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis " enim Deus, et Ratio in ipso prius, et ita ab ipso " omnia; quæ ratio sensus ipsius est. Hanc G[illegible]

" λόγον dicunt; quo vocabulo etiam Sermonem ap-
" pellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum, per
" simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in
" primordio apud Deum fuisse, cum magis Rationem
" competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis
" a principio, sed rationalis Deus etiam ante princi-
" pium: et quia ipse quoque Sermo Ratione consis-
" tens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat.
" Tamen et sic nihil interest. Nam etsi Deus non-
" dum Sermonem suum miserat, proinde eum cum
" ipsa et in ipsa Ratione intra semetipsum habebat,
" tacite cogitando et disponendo secum, quæ per
" Sermonem mox erat dicturus. Cum Ratione enim
" sua cogitans atque disponens, Sermonem eam effi-
" ciebat, quam Sermone tractabat. Idque quo facilius
" intelligas ex teipso, ante recognosce, ut ex imagine
" et similitudine Dei, quam habeas et tu in temetipso
" rationem, qui es animal rationale, a rationali scili-
" cet artifice non tantum factus, sed etiam ex sub-
" stantia ipsius animatus. Vide quum tacitus tecum
" ipse congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te,
" occurrente ea tibi cum Sermone ad omnem cogita-
" tus tui motum [y], et ad omnem sensus tui pulsum.
" Quodcumque cogitaveris, Sermo est; quodcumque
" senseris, ratio est. Loquaris illud in animo, ne-
" cesse est; et dum loqueris, conlocutorem pateris
" Sermonem, in quo inest hæc ipsa Ratio, qua cum
" eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas.
" Ita secundus quodammodo in te est Sermo, per
" quem loqueris cogitando, et per quem cogitas lo-
" quendo; ipse Sermo alius est. Quanto ergo ple-
" nius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago et

[y] Vide section. II. 9. 21. [p. 352.]

" similitudo censeris, quod habeat in se etiam ta-
" cendo Rationem, et in Ratione Sermonem? pos-
" sum itaque non temere præstruxisse, et tunc Deum
" ante universitatis constitutionem solum non fuisse,
" &c." Paucis interjectis de agitatione Rationis sive Sophiæ Dei, quam paulo superius explicavi, et de ejusdem, quam vocat, separatione, sic porro pergit cap. 6. " Ut primum Deus voluit ea quæ cum
" sophiæ ratione et Sermone disposuerat intra se, in
" substantias et species suas edere, ipsum primum
" protulit Sermonem, habentem in se individuas
" suas, Rationem et sophiam, ut per ipsum fierent
" universa, per quem erant cogitata atque disposita,
" imo et facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim
" eis deerat, ut coram quoque in suis speciebus at-
" que substantiis cognoscerentur et tenerentur. Tunc
" igitur etiam ipse Sermo speciem et ornatum suum
" sumit, sonum et vocem, cum dicit Deus, *fiat lux*.
" Hæc est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo
" procedit, &c."

6. In his Tertulliani verbis plurima observanda sunt. Primo docet Tertullianus, Deum in illa dispositione, ut loqui amat, in qua fuit ante mundi constitutionem adusque Filii generationem, illam scilicet, qua de infra agit, solum fuisse hoc tantum sensu, " quia nihil aliud erat extrinsecus præter illum;" hoc est, nondum ulla res creata existebat. Alioquin affirmat, Deum ne tum quidem solum fuisse; siquidem habuit secum, sed in semetipso, alium quicum versaretur, qui nempe ipsius ratio, Græce λόγος nuncupatur. Secundo, hinc clare sequitur, cum dicit Tertullianus, Deum ex æterno habuisse secum et in se rationem, sive λόγον, minime intellexisse ipsam λόγον, a quo Deus Pater λογικὸς nominatur, sive ip[illegible]

rationem, quam in Deo, qui est æterna mens, velut formam cogitamus, hoc est, ipsam mentem Paternam; quod tamen ubique in hujusmodi Veterum dictis intelligi voluit Petavius. Etenim quam fri-
238 vola, quam inepta, quam prorsus nulla est hæc probatio; Deus ante constitutionem mundi solus non erat; quia etiam tum rationalis fuit. Itaque Tertullianus cum Patribus illis, quorum sententiam supra explicavi, omnino hic intellexit τὸν λόγον, qui in et cum Deo Patre æternum extitit διὰ λογικῆς δυνάμεως, " per rationalem ejus potentiam;" proinde non ipsa ejus rationalis potentia fuit. Quod etiam ipse non obscure significat in verbis illis: " Rationalis " enim Deus, et ratio in ipso prius;" quæ plane gemina sunt istis Athenagoræ, de Deo Patre ante conditum mundum: εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν. Utriusque dicta sine manifesta ταυτολογίᾳ haud aliter exponi possunt, quam ad hunc modum; Deus ante constitutionem mundi, adeoque æternum, rationali potentia pollebat; proinde æternum in ipso et cum ipso fuit ὁ λόγος, utpote ex rationali illa Dei potentia necessario profluens. Quo spectat etiam, quod apud Tertullianum mox sequitur: " Quæ ra- " tio sensus ipsius est." Nam *sensus* ibi Græcis, quos imitatur ubique Tertullianus, est ἔννοια, quæ ab ipsa mente distinguitur. Ita postmodum, in comparatione illa hominis ad Deum, ait, " Quod- " cumque senseris, ratio est." Ἔννοιαν autem intelligit ἐνυπόστατον, ut mox videbimus. Tertio, notat Tertullianus τὸν λόγον, quod Filio Dei nomen est, et *Rationem* et *Sermonem* significare, et utramque significationem Filio Dei competere; quippe qui et Dei Ratio sit, nempe ex rationali Dei potentia æternum orta et progenita; et Dei Sermo, utpote ex ipso ali-

quando voce prolatus ad creationem universi; et in priori sensu recte dici concedit, τὸν λόγον in principio fuisse apud Deum; in posteriori non item. Interim dum hæc observat, fatetur ipse Tertullianus, "in "usu esse nostrorum" (hoc est, Christianorum,) "per "simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in "primordio" (id est, ab æterno) "apud Deum "fuisse." Vulgus itaque Christianorum, Tertulliani ætate, Sermonem apud Deum æternum extitisse simpliciter et dixerunt et crediderunt. Utinam vero vir magnus non hic supra vulgus Christianorum sapuisset! utinam simplicitate illa interpretationis contentus fuisset! Interim in re ipsa consentit cum Christianorum vulgo supra vulgus sapiens Tertullianus; proinde salva res est. Nam quarto, quanquam ita quidem distinguit inter Rationem et Sermonem, ut Rationem Sermone priorem, et Deum non sermonalem a principio, sed rationalem statuat; continuo tamen se quasi corrigit, et tantum non fatetur, distinctionem istam inanem esse subtilitatem et meram λογομαχίαν: siquidem nihil interesse ait, sive quis dicat Sermonem fuisse in primordio apud Deum, sive Rationem. Addit vero hujus dicti hanc causam, quod revera ipse Sermo, nempe interior, in primordio apud Deum fuit, quanquam tum demum a Deo missus fuerit, cum ex ipso exiret ad creationem universi. Itaque generatio illa, mundi constitutionem proxime antecedens, quam tribuit Sermoni sive Filio Dei Tertullianus, non erat ejus prius non existentis productio, sed tantum ipsius missio, sive emissio ex Deo ad producendas creaturas.

7. Quinto, expresse dicit Tertullianus Sermonem *ex Ratione consistere*, et Sermonis *substantiam* esse *Rationem*, nempe illam, quæ, ut dixi, ex rationali

Dei potentia æternum progenita est. Per substantiam autem Sermonis intellexisse Tertullianum ipsam Sermonis hypostasin sive personam, infra evidentissime demonstrabimus. Erat ergo Sermo Dei substantia, sive hypostasis, ab æterno in Deo subsistens. Atqui, inquies, quomodo igitur dicit Tertullianus, Rationem, ut Sermonis substantiam, ipso priorem fuisse? an persona fuit Sermo, priusquam Sermo fuerit? Imo certe, ex mente Tertulliani; hoc ipsum Tertullianus omnino voluit; erat Sermo in substantia sive hypostasi sua, priusquam Sermo factus fuerit, hoc est, antequam cum voce et sono ex Deo processerit ad constituendum hanc rerum universitatem. Sexto, haud minus clare docet Tertullianus, Sermonem, etiam ante missionem illam suam et processionem ex Deo Patre, extitisse apud Patrem, ut distinctam ab ipso personam. Illud quidem sequitur ex observatione nostra prima et secunda. Cum enim hac ratione probat Tertullianus, Deum Patrem ante constitutionem mundi solum non fuisse, quia etiam tum secum habuit τὸν λόγον, manifeste significat, λόγον illum etiam tum alium fuisse, etsi non aliud, a Deo Patre, cujus λόγος erat. Nam is tantum proprie solus non esse dicitur, cui adsit alius. Et si per omnem illam æternitatem, ut ita dicam, quæ rerum creationem antecessit, Deus erat μονοπρόσωπος, neque in divina essentia alius atque alius fuit; sane solus dicendus est tum fuisse Deus omnino, non modo extrinsecus, quia aliud non erat extra ipsum, quod concedit Tertullianus; sed etiam intrinsecus, quia alius non erat in ipso, quod idem Tertullianus districte negat. Sed non opus est ut consequentiis agamus. Nam mox Tertullianus expresse docet, Sermonem ante mundi constitutionem, adeoque ante

missionem suam, alium fuisse a Deo Patre, cujus Sermo erat. Quod explicat similitudine ducta ab homine, Dei imagine; qui dum cogitat, antequam 239
sermonem suum efferat et producat, eum intus habet in animo veluti conlocutorem; idque ita ut sermo ille videatur ab ipso homine quodammodo alius et secundus. "Secundus," inquit, "quodammodo in "te est sermo, per quem loqueris cogitando, et per "quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est." Continuo vero subjungit, "Quanto ergo plenius "hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago et simi- "litudo censeris [z] ?" q. d. Id, cujus umbra quædam in te homine conspicitur, reipsa in Deo reperitur; sermo hominis interior quasi alius est ab ipso homine; at Sermo Dei plane prorsus et revera alius est a Deo Patre, cujus est Sermo. Quæ autem hucusque de Sermone Dei disseruerat, ea omnia ad ipsum Sermonem pertinere, quatenus is in Deo ante conditum mundum et æternum extitit, aperte declarat Tertullianus verbis sequentibus; "Possum itaque," inquit, "non temere præstruxisse, et tunc Deum ante uni- "versitatis constitutionem solum non fuisse." His, inquam, verbis significat, quæ ante dicta fuerant ab ipso, omnia eo spectare, ut ostendat, Deum in statu illo, si ita loqui fas sit, quo fuit adusque Sermonis ex ipso processionem ad condendas creaturas, solitarium

[z] Voluit Deus in homine conspici vestigia sua, et si hominis natura retinuisset primam lucem, speculum esset divinæ naturæ minus obscurum. Nunc in hac caligine tamen aliqua notari vestigia possunt. Mens humana cogitando mox pingit imaginem rei cogitatæ; sed nos non transfundimus nostram essentiam in illas imagines, suntque cogitationes illæ subitæ et evanescentes actiones. At Pater æternus sese intuens gignit cogitationem sui, quæ est imago ipsius, non evanescens, sed subsistens, communicata ipsi essentia. *Melanchth. Loc. Theol. de Filio.* [Op. vol. I. p. 152.]

non fuisse; utpote qui secum ex æterno habuit illum ipsum Sermonem, in se existentem, quocum conversaretur, et quasi colloqueretur.

8. Septimo, denique perspicue significat Tertullianus, Sermonem, qui ex æterno in nomine Rationis apud Deum extitit, et Sermonem, qui ex Deo, quando ipse voluit, missus sive emissus fuit, sive processit ad creationem universi, unum prorsus κατ' ὑπόστασιν esse et eundem Dei Sermonem; quæ hypothesis, ut sæpius monui, Arianæ hæresis jugulum ipsum petit. Nam ait, quemadmodum paulo ante observavi, Sermonem ex *ratione consistere*, illa scilicet, quæ ex rationali Dei virtute, sive ex mente divina æternum profluxit; eamque ipsam rationem *Sermonis*, nempe illius qui aliquando cum voce ex Deo processit ad constitutionem mundi, *substantiam* esse. Per *substantiam* vero Sermonis (quod et *corpus* vocat) significasse Tertullianum ipsam Sermonis hypostasin sive personam, rursus spondeo me suo loco clare ostensurum. Sed illud ipsum, nempe Sermonem et Rationem Dei eandem esse personam, apertissime dicit Tertullianus post ea, quæ ex capite 7. citavimus, his verbis[z]; "Filius ex sua persona "profitetur Patrem in nomine Sophiæ; *Dominus* "*condidit me initium viarum in opera sua; ante* "*omnes autem colles generavit me.* Nam si hic "quidem Sophia videtur dicere conditam se a Do- "mino in opera et vias ejus, alibi autem per Ser- "monem ostenditur *omnia facta esse, et sine illo* "*nihil factum;* sicut et rursum, *Sermone ejus cœli* "*confirmati sunt, et Spiritu ejus omnes vires eo-* "*rum,* utique eo Spiritu qui Sermoni inerat; appa- "ret unam eandemque vim esse nunc in nomine So-

[z] [Pag. 503.]

" phiæ, nunc in appellatione Sermonis, quæ initium " accepit viarum in Dei opera, et quæ cœlum con- " firmavit, per quam omnia facta sunt, et sine qua " nihil factum est. Nec diutius de isto; quasi non " de ipso sit sermo, et in Sophiæ, et in Rationis, et " in omnis divini animi et Spiritus nomine, &c." Hic, inquam, clare docet, iis in locis Scripturæ, ubi mentio fit sive Sophiæ, sive Rationis, sive Sermonis, (nam voce τοῦ λόγου et *Rationem* significari et *Sermonem* apud Joannem evangelistam i. 1. ante dixerat,) sermonem esse de ipso, nempe Filio Dei; et omnibus istis nominibus eundem divinum animum et Spiritum Dei designari. Quibus gemina sunt, quæ legas lib. de Oratione in ipso initio[a]; "Dei " Spiritus," inquit, "et Dei Sermo, et Dei Ratio, " Sermo Rationis et Ratio Sermonis et Spiritus, " utrumque Jesus Christus Dominus noster, &c." ubi verba, "Sermo Rationis, et Ratio et Spiritus " Sermonis," significant, Sermonem esse *operationem* Rationis et Spiritus; Rationem vero et Spiritum esse ipsam *substantiam* et *hypostasin* illius, qui Sermo dicitur, quemadmodum infra videbimus. Utraque vero appellatione, nempe *Rationis* sive *Spiritus* Dei, et Dei *Sermonis*, eundem Dominum nostrum designari diserte affirmat. De nomine autem *Spiritus Dei*, pro Deitate sive ipsa divina persona Filii Dei a veteribus usurpato, vide quæ diximus sect. I. cap. 2. §. 5. [p. 52.]

9. Atque in hisce omnibus catholice et orthodoxe disseruit Tertullianus. Idem tamen, tum in perioche superius recitata, tum aliis in locis libri adversus 240
Praxeam, nonnulla sparsit, quæ observationibus istis nostris repugnare omnino videantur, de quibus nunc

[a] [Pag. 129.]

agendum nobis est. Primo diserte docet cap. 6. Dei Sophiam, *secundam personam*, tum conditam fuisse, cum agitari in Deo cœperit, deinde ex Deo cum voce processerit ad condendum universa. Respondeo, Ὁ λόγος dicitur a Tertulliano per processionem secundus a Patre factus, non quasi non antea, adeoque ab æterno, distincta in divina essentia a Patre hypostasis substiterit; (nam huic commento reclamant, quæcunque hactenus disseruimus;) sed quia a processione ista distincta ejus, ut ita dicam, *personalitas* manifestata fuerit. Quippe verissima sunt, quæ ad locum Geneseos, *Dixit Deus, Fiat lux*, adnotavit doctissimus Andreas Rivetus Exercitatione tertia in Genesin, prope finem; "Quemadmodum enim," inquit, "missio visibilis Filii in tempore arguit missionem "ab æterno factam per generationem, sic locutio "Patris in tempore, id est, manifestatio per effec- "tum, arguit Verbum ab æterno genitum. Illud "ergo *dicere* in tempore, non est Filium generare, "sed per Filium, a Patre genitum ab æterno, res "non existentes producere, secundum declaratio- "nem Scripturæ, quæ Sapientiæ increatæ et æterno "Verbo tribuit omnium quæ facta sunt productio- "nem, Prov. viii. 22, 23. Joan. i. 1. quibus in locis "Verbi illius asseritur æternitas. Ergo Filius Dei "ab æterno fuit Verbum, non quod ab æterno per "illud loquutus sit Deus, sed quia semper aptum "fuit ut per illud Pater loqueretur, et quæ vel- "let fieri juberet." Ita sane se alibi explicat Tertullianus in hoc ipso libro cap. 12. "Sed," inquit, "in antecedentibus operibus mundi quomodo "scriptum est? Primum quidem nondum Filio ap- "parente, *Et dixit Deus, Fiat lux, et facta est*, ipse "statim Sermo lux vera, quæ illuminat hominem

" venientem in hunc mundum, et per illum mundia-
" lis quoque lux. Exinde autem in Sermone Christo
" adsistente et administrante Deus voluerit fieri, et
" Deus fecit;" ubi (N. B.) non dicit Filio *nondum existente*, sed *nondum apparente*. Cum vero ibidem ait, ipsum Sermonem tum factum fuisse, cum dixit Deus, *Fiat lux*, intellige, qua Sermo fuit, hoc est, quatenus ex Patre cum voce, ut arbitratus est Tertullianus, processit. Nisi enim ita Tertullianum interpreteris, nimis absurdam illi sententiam, et alibi ab ipso dictis omnino repugnantem affinxeris. Non enim dixit Deus, *Fiat lux*, antequam rudem illam rerum et indigestam molem condidisset. Primo fecit primam omnium materiam; deinde dixit, *Fiat lux*. Itaque si Sermo tum demum revera factus fuit, hoc est, in substantia et hypostasi sua existere cœpit, cum Deus dixit, *Fiat lux*, fuit prima illa materia junior ac posterior; quod tamen ubique, etiam in ipso contra Hermogenem libro, districte negavit Tertullianus; res notior est quam ut ipsa loca allegem. Atqui, inquies, quomodo tum demum Filium Dei apparuisse ait Tertullianus, cum dixit Deus, *Fiat lux?* Respondeo, Quanquam difficile admodum sit omnia obscuri hujus et vere (quod Heracliti olim cognomentum fuit) σκοτεινοῦ auctoris liquido explicare, libet tamen hic conjecturam aliquam nostram lectori proponere. Filius Dei, quatenus est æterna Dei Ratio et æterna Sophia, tunc imprimis apparere cœpit, quando materiem adhuc inconditam, et in mole confusa jacentem, sapienter et cum ratione disponere, ordinare, atque exornare aggressus fuit. Ex miscellanea ista rerum congerie, quæ Chaos dicitur, nondum eluxerat Dei Sophia et Sapientia; quæ deinceps primigenia luce (

imagine quadam Filii Dei, qui est æternæ lucis splendor) materiam illustrante, et postmodum singulis rebus specie et quasi ornatu suo vestitis, clarissime emicuit. Ita sane ipsum Geneseos locum interpretatur Rivetus ille, quem paulo ante commemoravi, in ipso fine dictæ Exercitationis. Nam ad quæstionem, cur tum primum, cum de luce agit, Deum inducat loquentem Moses, quamvis in massa illa creanda Verbum æternum cum Patre sit operatum? respondet, "De Verbo Mosen tum mentionem "fecisse, quia in rerum distinctione maxime con-"spicua sit ejus sapientia." Hinc veterum nonnulli, ut supra [b] declaravimus, Deo Patri materiæ ex nihilo creationem, Filio ejusdem exornationem proprie addixerunt; fatentes interim Patrem per Filium ipsam primam materiam condidisse, et cum Filio materiam ordinasse et exornasse. Hinc etiam ab Athenagora προέλευσις τοῦ λόγου, ob quam Dei πρῶτον γέννημα appellatur, materiæ productione posterior statuitur; utpote ob cujus exornationem ὁ λόγος ex Deo προελθεῖν dicitur. Idem tamen Athenagoras et materiam a Deo factam, et facta esse omnia διὰ τοῦ λόγου confitetur. Vide hujus sectionis cap. 5. §. 2. [p. 553.] Utut vero hæc sint, constat Tertullianum sensisse, τὸν λόγον in essentia substitisse divina, ut distinctam a Patre hypostasin, atque a Patre alium, etiam ante processionem ex Patre suam ad creaturas producendas, adeoque ab æterno; constat illud, inquam, non modo ex observationibus, quas supra lectori exhibuimus, sed et disertissimo ipsius Tertulliani testimonio, quod legere est ejusdem libri cap. 13. "Ipsum,"
241 inquit, "plus est, quod in evangelio totidem inve-"nies; *In principio erat Sermo, et Sermo erat*

[b] Vide II. 13. 10. [p. 456.]

" *apud Deum, et Deus erat Sermo.* Unus, qui " erat, et alius, penes quem erat." Certo certius est, Tertullianum verba illa Joannis, *In principio erat Sermo, et Sermo erat apud Deum,* accepisse, ut debuit, de statu illo Sermonis, in quo fuit ante suam ex Deo processionem, adeoque ab æterno; ita scilicet se explicantem Tertullianum supra audivimus. Clarius vero adhuc, si fieri id potest, sententiam suam de illo Joannis loco aperit cap. 8. "Sermo " ergo," inquit, " et in Patre semper, sicut dicit, " *Ego in Patre;* et apud Deum semper, sicut scrip- " tum est, *Et Sermo erat apud Deum.*" Jam ex horum locorum collatione manifestum est, Tertullianum credidisse, Sermonem, quatenus apud Patrem semper fuit, alium a Patre fuisse. " Apud Deum," inquit, "semper erat Sermo; unus" autem, inquit idem, " qui erat; alius, apud quem erat;" unus vero et alius, inquam ego, duos efficiunt; unde secundum a Patre fuisse, ex mente Tertulliani, τὸν λόγον semper, et ab æterno, efficitur. Ad eundem plane modum Novatianus, sive auctor libri de Trinitate inter Tertulliani opera, Tertulliani certe æmulus, exponendus est. Aperte docet ille cap. 31. Verbum in Patre ita semper fuisse, ut Pater semper fuerit Pater, et contrariam assertionem pro grandi absurditate habet; unde sequitur necessario, Filium semper fuisse Filium, siquidem uno relatorum posito, ponitur et alterum; Filium autem et Patrem certum est duas personas constituere. Idem tamen mox in eodem capite de processione Filii ad condendum universa locutus, hæc subjicit, "Deus utique procedens ex " Deo, secundam personam efficiens." Equidem post ea, quæ de Tertulliano disseruimus, Œdipo non opus est interprete, ut hæc Novatiani recte intelligamus.

Sed istud obiter; ad reliqua Tertulliani paradoxa explicandum pergo.

10. Illud deinde in Tertulliano reprehendi posse videtur, quod processionem illam τοῦ λόγου ex Patre ejusdem fuisse separationem quandam a Patre statuat. Nam cap. 6. libri adv. Prax. postquam de agitatione illa Sophiæ intra ipsum Deum, de qua superius dixi, egerat, illi applicans verba Sapientiæ apud Solomonem, *Dominus creavit me initium viarum in opera sua*, mox hæc subjungit, "Dehinc "adsistentem eam ipsa separatione cognosce, *Cum* "*pararet*, inquit, *cœlum, aderam illi simul*, &c." Concepisse mente sua videtur Tertullianus Filii, prius in Patre et intra ipsum veluti inclusi, secretionem quandam et separationem a Patre, qualis est fœtus ab utero materno. Sed antiquum hic obtinet. Cum Praxea agit, qui Filium a Patre persona distinctum esse negabat; adversus quem, ut personarum distinctionem assereret, separationem earundem inducere videtur. Num vero credidit Tertullianus, Filium a Patre unquam revera separatum fuisse? minime gentium; plurimis in locis hujus libri contrarium diserte docet; sic, ut alia omittam, cap. 8. contra Praxeam disserens, "Filius," inquit, "in "Patre semper, et nunquam separatus a Patre;" et mox ibidem, "Hæc erit probola veritatis, qua pro-"latum dicimus Filium a Patre, non separatum." Ut verbo dicam, Filius Dei, juxta Tertullianum, in substantia et hypostasi sua æternum fuit, est, eritque in Deo Patre suo; idem tamen, quando Pater voluit, ex ipso quasi exivit et egressus est, scilicet κατ' ἐνέργειαν (quam ejus egressionem tanquam separationem quandam imaginatus est Tertullianus;) hoc est, vim et virtutem suam omnipotentem ad extra,

ut schola loquitur, exeruit in rerum creatione. Ita alibi se explicat Tertullianus, ubi ait, Spiritum illum Dei, qui in Deo æternum est, *substantiam* esse Sermonis; ipsum vero Sermonem, nempe qua Sermo est, tantummodo *operationem* esse illius Spiritus; quem locum infra commodiori loco adducemus.

11. Verum, inquies, quid faciendum cum verbis illis Tertulliani, quibus diserte docet, Sermonem tum, cum ex Deo processerit ad condendas creaturas, " speciem et ornatum suum sumpsisse?" Respondeo, Tertullianum ibi quidem absurde satis locutum fuisse; attamen, si mentem et sententiam ejus attendas, absque hæresis suspicione. Nam continuo declarat, se per *speciem* et *ornatum* Sermonis nihil aliud intellexisse, quam sonum et vocem. " Tunc igitur," inquit, " etiam ipse Sermo speciem " et ornatum suum sumit, SONUM et VOCEM, cum " dicit Deus, *Fiat lux.*" Egregiam vero Sermonis speciem, ornatum egregium! sed ita nimirum visum est viro magno, in augustissimo omnium mysterio quasi ludere et nugas sectari. Interim non dicit, ut de rebus creatis, Sermonem tum substantiam suam sumpsisse; utpote qui nomine Sermonis non ipsam substantiam sive hypostasin Filii Dei, sed tantummodo ipsius operationem designari, omnino sensit, quemadmodum infra ostendetur. Neque potuit quidem credere Tertullianus, ut paulo ante notavimus, Filium Dei tum substantiam et hypostasin suam sumpsisse, cum dixit Deus, *Fiat lux;* siquidem non dixit Deus, *Fiat lux*, antequam primam rerum materiam condidisset; et notissima est Ter- 242
tulliani sententia, hypostasin Sermonis, sive Filii Dei, ipsa prima materia antiquiorem esse, [illegible]ne materiam per Filium fuisse conditam.

Sed istud obiter; ad reliqua Tertulliani dicit Tertulli- explicandum pergo. [illegible], intellige, qua Ser-

10. Illud deinde, [illegible]tus, perfecta Dei Ratio videtur, quod [illegible]demum perfectus Dei Ser- ejusdem fuisse [illegible], ut sensit Tertullianus, cum tuat. Nam [illegible] processerit ad constitutionem agitatio [illegible] potuitne æternæ Dei Rationi super- [illegible] et intrinsecæ, ut ita dicam, perfec- [illegible] accedere? minime certe. Nam, ut inquit Tertullianus cap. 6. in ipso initio, "Quid sapientius "Ratione Dei?" Dixerim ego quoque, Quid Dei æterna Ratione perfectius esse potest?

12. Ad verba illa Tertulliani quod attinet, "de "quo procedendo Filius factus est," ad eundem prorsus modum exponenda sunt, quo dicta ipsius de Filii distincta personalitate paulo ante explicavimus; scilicet processio illa τοῦ λόγου ex Deo Patre cum voce *Fiat* ad condendas creaturas manifestatio fuit æternæ ipsius filiationis et processionis ex mente divina. Qua is æterna Dei Ratio fuit, ex Deo fuit, et æternæ mentis coæterna progenies; et cum per hanc processionem ex mente divina, fatente Tertulliano, substantiam suam acceperit, sequitur æternam illam ejus processionem proprie dictam fuisse ipsius generationem, sive productionem; alteram vero processionem tantummodo prioris, ut dixi, manifestationem fuisse. Non hic longe quæsitas et coactas interpretationes, sed ipsos Tertulliani sensus genuinos proferimus. Quippe ipsius Tertulliani est axioma illud, quod alibi [c] adduximus; "Omnis origo "parens est, et omne quod ex origine profertur pro- "genies est." Certum autem est, ex mente Tertulliani, Sermonem, quatenus æterna Dei Ratio est,

[c] Vide hujus sect. cap. 5. §. 8. [p. 565.]

riginem suam secundum substantiam ex Deo habuse; fuit ergo, qua est Dei Ratio, progenies Dei, ut parens ipsius Deus. Hinc idem Tertullianus cap. ejusdem libri dicit, " Deum ex Deo" fuisse Ser..em, quatenus in primordio apud Deum (hoc est, *semper*, ipso Tertulliano, ut vidimus, alibi interprete) fuit; " Sermo," inquit, " vitæ caro factus, " qui ante carnem Sermo tantum in primordio " apud Deum Patrem, non Pater apud Sermonem. " Nam etsi Deus Sermo, sed apud Deum, quia ex " Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem." Ubi etiam Sermonem, quatenus semper apud Deum fuit, Deum ex Deo fuisse inde colligit, quod dicitur a Joanne Sermo apud Deum Patrem fuisse, non Pater apud Sermonem. Et optime quidem argumentatur; siquidem verba illa, *et Sermo erat apud Deum*, non obscure indicant, Sermonem semper et cum Deo et in Deo Patre, ut auctore ipsius ac principio, substitisse. Idem rursus cap. 21. ejusdem libri ad eadem Joannis verba ita disserit; " Nam si hæc non aliter " accipi licet, quam quomodo scripta sunt, indubi- " tanter alius ostenditur, qui fuerit a principio, alius " apud quem fuit; alium Sermonem Dei, alium Do- " minum;" (puto legendum *Deum* [d];) " licet et " Deus Sermo, sed qua Dei Filius, non qua Pater." Hic Sermonem Dei in principio apud Deum, et Deum fuisse, a Joanne dici manifeste ostendit, qua ipse, ut Filius, a Patre distinguitur. At verba illa Joannis, *Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo*, de statu illo Sermonis, in quo fuit ab æterno adusque suam ex Patre processionem ad constituendum rerum universitatem, intelligenda esse, ipse

[d] [Ed. 1664. legit *alium Sermonem esse, alium*

Tertullianus, ut supra ostendimus, aperte confessus est. Hinc in eodem capite, paucis interjectis, disertis verbis dicit, Sermonem, Dei Filium, semper fuisse; " Certe," inquit, " Filius Dei semper; sed " non ipse cujus est filius."

13. Ut hæc omnia clarius elucescant, diligentissime observandum est, duo in Filio sive Sermone Dei considerasse Tertullianum; nempe ipsam ejus substantiam sive hypostasin, quam et *corpus* vocat; et ipsius quasi τὸ accidentale. Ipsam substantiam sive hypostasin Sermonis et Filii Dei statuit *Dei Rationem* et *Dei Spiritum;* ejusdem vero tanquam accidens quiddam imaginatur externam illam prolationem, qua cum voce et sono ex Patre progressus fuerit ad exornandum universa, et propter quam Sermo Dei maxime proprie dictus est. Ac substantiam quidem et hypostasin Sermonis, qua est Dei Ratio et Spiritus, æternam esse ultro fatetur; quanquam Dei Sermonem ab aliquo initio factum fuisse ipsum affirmet. Verba ejus clara sunt in capite 8. ubi citato loco Scripturæ, *Quis enim scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus qui in ipso est?* hæc continuo subjungit, " Sermo autem Spiritu structus est, " et, ut ita dixerim, Sermonis corpus est Spiritus. " Sermo ergo et in Patre semper, sicut dicit, *Ego* " *in Patre;* et apud Deum semper, sicut scriptum " est, *Et Sermo erat apud Deum.*" Ubi ex his duabus hypothesibus, nempe Sermonis corpus esse Spiritum Dei, qui in Deo est, et Spiritum illum Dei in Deo semper et æternum fuisse, (quarum posteriorem, licet non exprimat, manifeste tamen intelligit,) infert, Sermonem semper apud Deum fuisse; idque
243 contra Valentinianos, uti mox videbimus, qui æternitatem Sermonis negabant. Spiritum autem Dei,

quem hic *corpus* Sermonis dicit, alibi *substantiam* Sermonis appellat, nempe in Apologet. cap. 21 [e]. "Nos," inquit, "Sermoni atque Rationi, itemque "Virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, "propriam substantiam Spiritum inscribimus." Per corpus vero et substantiam Sermonis intellexisse Tertullianum ipsam Sermonis hypostasin sive personam, evidentissimum ex expressis ejus verbis, locum allatum paulo antecedentibus lib. adv. Prax. cap. 7. in ipso fine; "Quis enim," inquit, "negabit Deum "corpus esse, etsi Deus Spiritus est? Spiritus enim "corpus sui generis in sua effigie. Sed et invisi- "bilia illa, quæcumque sunt, habent apud Deum et "suum corpus et suam formam, per quæ soli Deo "visibilia sunt. Quanto magis quod ex ipsius sub- "stantia missum est, sine substantia non erit? Quæ- "cumque ergo substantia Sermonis fuit, ILLAM DICO "PERSONAM, et illi nomen Filii vindico; et dum "Filium agnosco, secundum a Patre defendo." Hic per *corpus* intelligit Tertullianus substantiam solidam et per se subsistentem, ut ab iis accidentibus maxime differat, quæ fugacia sunt, et continuo fluxu et successione transeunt, quemadmodum recte observavit ipse Petavius. Sic in libro contra Hermog. cap. 35. non concedit Tertullianus esse aliquid incorporale; "cum ipsa substantia corpus sit rei cu- "jusque." Ex his vero certo cognoscas, quo sensu Tertullianus Dei Rationem, quæ semper apud Deum fuit, utpote ex mente divina æternum nata, supra dixerit Sermonis *substantiam*. Scilicet per substantiam Sermonis omnino intellexit Tertullianus (ipso sese interpretante) Sermonis hypostasin sive personam. Itaque apertissime falsum est, quod Peta-

[e] Pag. 36. [p. 19.]

vius fidenter affirmat[f], nempe Tertullianum sensisse, Deum Patrem "tum ex sese protulisse ac veluti cor-" porasse Sermonem, hoc est, propriam illi substan-" tiam ac personam attribuisse, quando res omnes " creatas e nihilo fabricatus est, ad idque Sermone " est usus." Miror quibus perspicillis in Tertulliano legendo usus sit Jesuita; sane prorsus contrarium diserte docet Tertullianus, nempe corpus, substantiam et hypostasin ipsam Sermonis esse æternam illam Dei Rationem, æternum Dei Spiritum; cui aliquando Sermonis appellatio accesserit; nempe tum, quando divina ipsa hypostasis cum voce processit ex Deo ad constitutionem universi.

14. Cæterum ut in loco citato ex libro adv. Prax. cap. 8. illum Dei Spiritum, qui est corpus et hypostasis Sermonis, æternum apud Deum fuisse asserit Tertullianus; ita alibi ipsum Dei Spiritum distinctam esse hypostasin a Deo, cujus est Spiritus, idque quatenus est Dei Spiritus, idem docet apertissime, nempe cap. 26. ejusdem libri, ubi monet, unam et eandem Filii personam sub duplici consideratione spectari posse; quatenus Dei Spiritus est, sive persona divina ex Deo, qui est Spiritus, ab æterno habens originem, et in Deo subsistens; et quatenus Sermo est: et Sermonem nihil aliud esse quam operationem illius Spiritus; Spiritum vero ipsum, substantiam et hypostasin Sermonis esse diserte dicit. Nam locum Lucæ cap. i. ubi mentio fit Spiritus Dei in beatissimam Virginem supervenientis, de Filio Dei (post Justinum et veteres alios) exponens, ita scribit; "Hic Spiritus Dei idem erit Sermo. Sicut enim, " Joanne dicente, *Sermo caro factus est*, Spiritum " quoque intelligimus in mentione Sermonis; ita et

[f] De Trinitate I. 5. 3.

" hic Sermonem quoque agnoscimus in nomine Spi-
" ritus. Nam et Spiritus substantia est Sermonis, et
" Sermo operatio Spiritus, et duo unum sunt." Ubi cum dicit Spiritum esse substantiam Sermonis, et Sermonem esse operationem Spiritus, et ambo unum, sensus manifestus est ex prædictis, Sermonem nihil aliud esse quam æternum illum Spiritum Dei, quatenus spectatur ut ex Deo progrediens cum sono ac voce ad lucem primigeniam et cætera mundi opera faciendum; hoc est, eandem personam et in Spiritus et in Sermonis nomine intelligi, cum hoc tantum discrimine, quod *Spiritus* Dei dicatur, quatenus divina *persona* est, in Deo Spiritu et ex ipso æternum subsistens; *Sermo* vero, quatenus est Spiritus *operans*, sive quatenus ex Deo, quando ipse voluit, cum voce et sono (ita nempe sensit Tertullianus) prodiit ad constituendum hanc rerum universitatem. Sermonem autem Dei, quatenus est Dei Spiritus, personam esse a Deo, cujus est Spiritus, distinctam, diserte affirmat ibidem mox post verba a nobis allata; " Sicut ergo," inquit, " Sermo Dei non est ipse, cu-
" jus est, ita nec Spiritus, etsi Deus dictus est, non
" tamen ipse est, cujus est dictus. Nulla res alicujus
" ipsa est, cujus est. Plane cum quid ex ipso est, et
" sic ejus est dum ex ipso sit, potest tale quid esse,
" quale et ipse ex quo est, et cujus est. Et ideo Spi-
" ritus Dei Deus, et Sermo Dei Deus, quia ex Deo,
" non tamen ipse ex quo est. Quod si Deus Dei tan-
" quam substantiva res, non erit ipse Deus; sed
" hactenus Deus, quia ex ipsius Dei substantia, qua
" et substantiva res est, et ut portio aliqua totius." Hic, inquam, clare docet Tertullianus, Spiritum Dei esse *rem substantivam*, hoc est τὸ ὑφιστάμενον· quin et Spiritum Dei, cum talis sit, qualis est Deus Pater,

cujus Spiritus est, id est, ejusdem cum ipso sub-
244 stantiæ, persona tamen a Patre distinctum esse. Notanda autem est distinctio in verbis illis, " Sicut " ergo Sermo Dei non est ipse, cujus est, ita nec " Spiritus ;" nam hoc tantundem est, ac si dixisset Tertullianus, Is qui Filius Dei dicitur, alius est a Deo Patre, non modo qua Sermo, sed et qua Spiritus Dei est, qualis fuit, antequam Sermo factus est, adeoque ab æterno. Quo autem sensu dixerit Tertullianus Dei Filium, Spiritum et Sermonem *portionem totius*, nempe essentiæ divinæ, supra explicavimus ad sectionem secundam cap. 7. §. 5. [p. 261.] Cæterum quæ de duplici consideratione Filii Dei, nempe qua *Spiritus* et *Ratio* Dei est, et qua Dei *Sermo* est, disseruit Tertullianus, ita attendat lector, ut genuinam obscuri illius doctoris mentem ac sententiam cupit liquido cognoscere. Nam ex hac distinctione sedulo observata facile percipiet sensum dictorum Tertulliani plurimorum, quæ alioqui certam ipsi crucem allatura sint.

15. Ut quod res est dicam, cum Valentinianis hic et reliquo Gnosticorum grege aliquatenus locutus est Tertullianus ; in re ipsa tamen cum catholicis omnino sensit. Non mihi hoc credat lector, sed ipsi Tertulliano, qui cap. 8. libri adv. Prax. et Valentinianorum de τῷ λόγῳ deliria repudiat, et orthodoxam doctrinam adserit his verbis disertis ; " Hoc " si qui," inquit, " putaverit me προβολὴν aliquam in- " troducere, id est, prolationem rei alterius ex altera, " quod facit Valentinus, alium atque alium Æonem " de Æone producens ; primo quidem dicam tibi, " Non ideo non utitur et veritas vocabulo isto, et re " ac censu ejus, quia et hæresis utitur : imo hæresis [f]

[f] [Verba *utitur : imo hæresis* ex edit. 1664 et 1675 exciderunt.]

" potius ex veritate accepit, quod ad mendacium
" suum strueret. Prolatus est Sermo Dei, an non?
" hic mecum gradum fige. Si prolatus est, cognosce
" probolam veritatis; et viderit hæresis, si quid de
" veritate imitata est. Jam nunc quæritur, quis quo-
" modo utatur aliqua re, et vocabulo ejus. Valenti-
" nus probolas suas discernit et separat ab auctore,
" et ita longe ab eo ponit, ut Æon Patrem nesciat;
" denique desiderat nosse, nec potest; imo et pene
" devoratur et dissolvitur in reliquam substantiam.
" Apud nos autem solus Filius Patrem novit, et
" sinum Patris ipse exposuit, et omnia apud Patrem
" audivit et vidit, et quæ mandatus est a Patre, ea
" et loquitur. Nec suam, sed Patris perfecit volun-
" tatem, quam de proximo, imo de initio noverat.
" Quis enim scit quæ sint in Deo, nisi Spiritus qui
" in ipso est? Sermo autem Spiritu structus est, et,
" ut ita dixerim, Sermonis corpus est Spiritus. Sermo
" ergo et in Patre semper, sicut dicit, *Ego in Patre;*
" et apud Deum semper, sicut scriptum est, *Et*
" *Sermo erat apud Deum:* et nunquam separatus
" a Patre, aut alius a Patre, quia, *Ego et Pater*
" *unum sumus.*" Senserat homo cautus, quæ in superioribus disseruerat, de vocali prolatione τοῦ λόγου, haud communem fuisse catholicorum sententiam; quin et hoc ipsum, ut dictum est, ibidem pene confessus est ipse. Præviderat fore, qui istam ipsius disputationem, tanquam heterodoxam et a Valentinianorum fabulis non abludentem, repudiaturi essent; ideoque hac defensione utitur. Ac sane vix ovum ovo similius videtur, quam dictum Tertulliani, " Deus
" Sermonalis non fuit a principio," simile est Valentini deliramento asserentis, Sigen sive silentium in principio fuisse apud Deum; postmodum vero quasi

erupisse τὸν λόγον, sonum et vocem Dei. Unde Irenæus, omnium (ipso Tertulliano fatente) doctrinarum curiosissimus explorator, Verbi Dei prolationem similem esse prolationi verbi humani per linguam factæ, tanquam meram Valentini fabulam, omnino rejicit, lib. II. 48.[f] Sed nimirum error Valentinianorum, de prolatione Verbi Dei vocali et sonante, eam habuit veri speciem, (utpote cui tum ipsa vocis τοῦ λόγου, in Scripturis Filio Dei tributæ, proprietas, tum imprimis locus ille Geneseos i. 3. favere videretur,) ut permirum non sit, quosdam ipsum Valentinianis facile concessisse, adeoque amplexos fuisse ipsos; qui interim in substantia dogmatis de Filio Dei a catholicæ traditionis semita abduci se ab ipsis haud ita facile paterentur. Horum ex numero plane censeo Tertullianum fuisse.

16. Nam is certe in loco citato palam profitetur, se in summa rei a Valentini hæreticis figmentis toto animo abhorruisse. Hoc ut ostendat, Valentinianorum sententiam exponit, suamque ipsi opponit. Valentiniani longius ponebant ac separabant plerosque suos Æonas, ac speciatim τὸν λόγον, a summo omnium Parente, tum natura, tum cognitione, tum denique ævo. Primo, natura; nam ex omnibus Æonibus a Bytho et Sige progenitis, solum Nun Æonem esse perfectum statuebant. Dicebant enim, teste Irenæo I. 1. prope initium, Sigen, suscepto semine pregnantem effectam, peperisse Nun ὅμοιόν τε καὶ ἴσον τῷ προβαλόντι, καὶ μόνον χωροῦντα τὸ μέγεθος τοῦ Πατρός· "Pa-
"renti suo similem et æqualem, et solum capientem
"magnitudinem Patris." Ad τὸν λόγον vero quod
245 attinet, quem Nu posteriorem, et tertium ordinem,

[f] [Cap. 28. 5. p. 157.]

ut Irenæus loquitur, generationis faciebant, Æonem ipsum imperfectum, quin et cœcum esse diserte affirmabant. Hoc enim idem Irenæus testatur II. 24.[g] "A recta ratione," inquit, "circumeuntes circa ve-"ritatem, in tantum uti eum qui est a Nu Propato-"ris ipsorum emissus Sermo, in deminorationem "eum emissum dicant. Nun enim perfectum, a per-"fecto Bytho progeneratum, jam non potuisse eam, "quæ ex eo est, emissionem facere perfectam, sed "obcœcatam circa agnitionem et magnitudinem "Patris; et Salvatorem symbolum mysterii hujus "ostendisse in eo qui a nativitate cœcus fuit." Et mox ibidem; "Quemadmodum, o vanissimi sophistæ, "Nus Patris, imo etiam ipse Pater, cum sit Nus et "perfectus in omnibus, imperfectum et cœcum Æo-"nem emisit suum Logon, cum possit statim et "agnitionem Patris cum eo emittere?" Secundo, et cognitione etiam consequenter plerosque suos Æonas a summo omnium Parente distare asserebant Valentiniani. Quippe docebant, unumquemque Æonem tantummodo immediatum parentem suum novisse, ac proinde summum omnium Parentem solum Nun, utpote solum ex ipso immediate progenitum, cognitione assequi posse. Ita enim Irenæus citato capite; "Dicunt," inquit, "quoniam emissi sunt "unusquisque illorum, [Æonum,] et illum tantum "cognovisse, qui se emisit, ignorans autem eum qui "ante illum est." De ignorantia autem τοῦ λόγου speciatim quid docuerint hæretici, jam ostendimus. Tertio, denique pene omnes suos Æonas et ævo separabant a summo Deo Valentiniani. Quippe primam solam Syzygiam, Bythi nempe et Siges, æternam statuebant. Ipsi Nu sive Monogeni, quem τοῦ

[g] [Cap. 17. 9. p. 139.]

λόγου Patrem dixerunt, initium tribuerunt, in hoc secuti progenitores suos, Nicolaitas nempe et Cerinthianos, ut ex Irenæo supra [h] ostendimus. Jam hæc omnia, cum Irenæo et catholicis omnibus, tanquam hæretica rejicit Tertullianus quoque, et in singulis capitibus doctrinam suam de prolatione τοῦ λόγου Valentinianorum figmentis plane contrariam esse ostendit. Nos, inquit, asserimus, 1. Sermonem sive Filium Dei natura et substantia non alium esse a Patre, sed unum cum ipso; 2. quod ad cognitionem attinet, Filium in sinu Patris esse, ac proinde solum de proximo novisse Patrem, sinumque ejus exposuisse; 3. denique, quod ævum spectat, Sermonem illum in hypostasi sua semper apud Deum Patrem fuisse; siquidem corpus, substantia et hypostasis ipsa Sermonis est Spiritus ille Dei, qui in Deo et ab ipso æternum subsistit; qui aliquando ex Deo processit cum voce *fiat* ad condendas creaturas, proptereaque Sermo Dei dictus est. Nimirum Valentiniani statuebant, τὸν λόγον voce et sono ita prolatum fuisse, ut ante prolationem istam κατ' ὑπόστασιν, si quando ὑπόστασις unquam fuit, omnino non fuerit. Contra docet Tertullianus, Sermonem habere suum corpus sive substantiam et hypostasin, eamque æternam; nempe Spiritum illum Dei, qui in Deo est, semperque fuit. Quis vero per se non animadvertat, has Tertulliani propositiones veluti totidem antitheses, Arii blasphemiis perinde atque Valentini oppositas? Hæc tria scilicet, τὸν λόγον sive Filium Dei a Patris natura et substantia alienum esse; proinde Patrem non posse perfecte cognoscere; denique apud Patrem non semper fuisse ac substitisse; hæc, inquam, primaria sunt hæresis Arianæ capita; quæ omnia cum

[h] [Pag. 488.]

ecclesia catholica Tertullianus expresse hic in Valentinianis damnavit. Itaque desinant in posterum Ariomanitæ de Tertulliano, ut de patrono suo, gloriari.

17. Porro allatis testimoniis, sane luculentissimis, duo præterea adjiciemus, quibus et huic disceptationi, (prolixæ quidem, sed perquam necessariæ,) de Tertulliani fide ac sententia, finem tandem imposituri sumus. Alterum extat ejusdem libri adv. Prax. cap. 27. "Cæterum," inquit, "Deum immutabilem "et informabilem credi necesse est, ut æternum. "Transfiguratio autem interemptio est pristini. "Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, "desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod "non erat. Deus autem neque desinit esse, neque "aliud potest esse. Sermo autem Deus." Expresse hic docet Tertullianus, Sermonem Dei, qua ipse Deus est, prorsus immutabilem esse et æternum, qui neque desiit esse quod erat, neque unquam incepit esse quod non erat. Sane autem si Filius Dei ex prærogativa (ut phrasi utar Tertullianica) immutabilitatis atque æternitatis suæ, qua Deus est, nunquam incipere potuit esse quod non erat, multo minus potuit incipere esse *simpliciter*, cum prius omnino non fuisset. Præterea si quis vim hujus testimonii eludere conetur dicendo, ejusmodi æternitatem hic intelligi, qua res existentiæ initium cum habeat, fine tamen caret, facile hinc refelli potest. De ejusmodi æternitate diserte loquitur Tertullianus, quæ necessarium est attributum naturæ divinæ, qua talis, sive quæ Deo, ut Deo, necessario tribuenda est; et hanc æternitatem Sermoni, quia ipse Deus est, addicit. "Deum," inquit, "immutabilem credi "necesse est, ut æternum——Sermo autem Deus."

At Dei æternitas omnimoda est et absoluta, qualem
246 describit Tertullianus lib. adv. Hermog. cap. 4. " Quis enim," inquit, " alius Dei census, quam æter- " nitas ?. quis alius æternitatis status, quam semper " fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius " initii et nullius finis ?" Denique argumentatio Tertulliani in loco citato manifestissime nititur hac generali hypothesi, attributa omnia divinitatis essentialia, omnia quæ Deo Patri, ut Deo, conveniunt, neque relationem ullatenus connotant Patris ad Filium, et vice versa, Patri et Filio communia esse. At nunquam non fuisse, nunquam non futurum esse, essentiæ divinæ, absolute spectatæ, attributum esse prorsus necessarium fatentur omnes. Deum vero immortalem ! quam hæc omnia rursus Arianorum placitis, in quæ consensisse dicitur a quibusdam Tertullianus, veluti ex diametro repugnant ! Cæterum hinc quoque certo cognoscimus, cum dixit Tertullianus, æternam illam Dei Rationem, æternam Sophiam et Spiritum æternum, agitari cœpisse in Deo ad opera mundi, (sicut et ipsum Deum Patrem dixit viribus enixum fuisse et laborasse in rerum creatione,) ex Deo cum voce et sono processisse et similia : hinc, inquam, constat, ista omnia ab ipso dicta fuisse sensu, qui divinæ Personæ, quam illis nominibus designavit, æternæ immutabilitati minime repugnet : hoc est, ita ut neutiquam censenda sit Ratio, Sophia et Spiritus Dei, vel desiisse esse quod fuerat, vel incepisse esse quod non fuerat, vel quicquam internæ, ut ita dicam, perfectionis aut amisisse, aut accepisse. In rerum exordio accessit quidem divinæ personæ Filii Dei Sermonis nomen, juxta Tertullianum ; quin et Filius Dei tum declaratus fuit ; accessit quoque et Deo Patri Creatoris titulus. Operatus est Filius

exterius, ut quæ non erant, esse inciperent: et cum Filio ac per ipsum Pater quoque operatus est. Nihil hinc alterutri intrinsecus sive additum, sive demptum fuit; siquidem uterque idem Deus est æternus atque immutabilis.

19. Alterum testimonium legere est in Carminum libris adversus Marcionem. Quos libros, Pamelio judice [h], Tertulliani esse certo constat; neque quicquam, quod alicujus momenti sit, contra Pamelii sententiam ab aliis objectum vidi. Consule argumentum ejusdem Pamelii in librum primum. Sane quisquis judicio valet, neque in cæteris Tertulliani scriptis plane hospes est, facile per se poterit in Carminibus illis Tertulliani et sensus et verba ubique deprehendere. Sic autem auctor Carminum in libro V. cap. 9 [i]. de Filio Dei loquitur in ipso initio:

Hic Deus, hic et homo verus, verumque locutus,
De Patre principium, genitum de lumine lumen,
Spiritus et Verbum, Patris sub imagine virtus,
Cum Patre semper erat, unitus gloria et ævo.

Hic, ut in libro adversus Praxeam, expresse dicit, Dei Spiritum et Verbum, sive Sermonem, semper cum Patre fuisse; addens, ipsum et gloria et ævo Patri unitum esse. Hoc autem testimonium, a reverendo Gardinero nostro allatum quoque, Sandius [k] in Epistola ad ipsum (quam vocat) responsoria ita conatur eludere; "Hæc," inquit, "videntur post "concilium Nicænum fuisse scripta, quia paulo ante "dixerat auctor *genitum de lumine lumen*." Num

[h] Præfat. in Oper. Tertulliani tom. IV. [sed vid. p. 629. ed. 1664. ubi argumentis vix evertendis probatur hæc Poemata Tertulliano prorsus esse indigna et ab eo prodire nequivisse.]

[i] Pag. 639. edit. Pamel. [p. 638.]

[k] Append. ad Nucl. Hist. Eccles. p. 100.

vero persuadere nobis voluit sophista, neminem ante Patres Nicænos dixisse Filium ex Patre, ut lumen de lumine, genitum? Atqui nemo fere est veterum scriptorum catholicorum, qui synodum Nicænam antecesserunt, apud quem similitudo illa non occurrat, ut ex iis, quæ ad secundam et hanc tertiam sectionem attulimus, liquet; neque hoc ignorare potuit Sandius. Tertulliano vero imprimis ea loquendi forma familiaris est. Ut alia loca omittam, sic ille in Apologet. cap. 21 [1]. "Nos etiam," inquit, "Sermoni "atque Rationi, itemque Virtuti, per quæ omnia "molitum Deum ediximus, propriam substantiam, "Spiritum inscribimus." Mox ibidem addit, "Ita "de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de "lumine accensum." Sane vel ex horum locorum collatione facile deprehendas eundem Apologetici et Carminum illorum auctorem. In Apologetico Dei Filius dicitur et Deus, et Sermo sive Verbum, et lumen, et virtus, et Spiritus, eademque nomina omnia (quæ ita in eandem Filii personam simul congesta apud alium auctorem haud facile reperias) in loco illo Carminum concurrunt. In Apologetico legis, "lumen de lumine accensum;" in Carminibus, "ge-"nitum de lumine lumen." Itaque tandem sententiam Tertulliani, de Filii æternitate, fuse et, quantum passa est auctoris obscuritas, luculenter, uti spero, explicavimus. Ex quibus omnibus liquet,
247 quam temere, ut solet, pronuntiaverit Petavius [m], "Quod ad æternitatem attinet Verbi, palam esse, "Tertullianum minime illam agnovisse." Mihi sane, atque, ut arbitror, post tot apertissima testimonia a me adducta, lectori etiam meo prorsus contrarium

[1] [Pag. 19.]

[m] De Trin. l. 5. 4.

constat; nisi vero (quod non credo) luserit Petavius in vocabulo *Verbi*. Nam Filium Dei, docet quidem Tertullianus, Verbum sive Sermonem factum ac denominatum fuisse ab aliquo initio; nempe tum, quando ex Deo Patre exivit cum voce, *Fiat lux*, ad exornandum universa. Atqui ipsam illam hypostasin, quæ Sermo sive Verbum, et Filius Dei dicitur, æternam credidisse Tertullianum, puto me abunde demonstrasse.

20. Unus restat de hac quæstione consulendus Lactantius. Cujus sententia cum haud magni facienda sit, ut jam in thesi et alibi monuimus, pauciora de eo dicenda a nobis sunt. Rhetor erat ille, non theologus, neque inter ecclesiæ doctores locum unquam obtinuit. Quin etiam, si ex ejus scriptis, qualia ad nos seros nepotes devenerunt, judicium ferre licet, sacrarum literarum et doctrinæ ecclesiasticæ valde imperitus fuit. Unde non modo in hac quæstione, sed et in aliis religionis nostræ primariis capitibus, in gravissimos et absurdissimos errores, catechumeno vix condonandos, prolapsus fuit; quorum catalogum hic recensere longum sit. Nihil itaque mirum est, si ipse metaphoricam illam Filii generationem, qua ex Patre progressus et quasi natus fuit, ad constituendum hanc rerum universitatem, (de qua scilicet nonnihil apud Christianos auctores legerat,) pro vera ejusdem productione et procreatione perperam acceperit. Præterea dicendum mihi videtur, aut loca illa Lactantii de Filii generatione lib. II. cap. 9. et lib. IV. c. 8. quæ imprimis tanquam absurda et impia Petavius et alii viri eruditi merito reprehenderunt, ab hæreticis adulterata esse; aut certe ipsum Lactantium ab hæretico aliquo deceptum fuisse. Sane in loco posteriori Lactantium

in falsarii cujusdam manus incidisse suspicatus quoque est Xystus Betuleius in suis ad caput illud annotatis in ipso fine. Saltem illud certum est, nonnulla in capite illo hodie legi, quæ cum doctrina capitis proxime sequentis, quin et cum iis quæ ex Lactantio alibi adduximus, omnino pugnant, quemadmodum infra ostendemus. In libro vero II. cap. 9. Deus bone! quam repugnantia scripsit Lactantius, si modo Lactantius sit, qui ista scripsit. In Betuleii, Genevensi et aliis editionibus prope initium capitis ista leguntur; "Sicut mater sine exemplo ge-" nuit auctorem suum; sic ineffabiliter Pater genu-" isse credendus est coæternum. De matre natus " est, qui jam ante fuit; de Patre, qui aliquando " non fuit. Hoc fides credat, intelligentia non re-" quirat; ne aut non inventum putet incredibile, " aut repertum non credat singulare." Ubi monet Betuleius, in Romana editione, quæ ante annos 70.[n] cum ista scriberet, lucem aspexerat, quamque satis caste editam dicit, pro *aliquando non fuit*, legi, *aliquando non defuit*. Hæc autem iis quæ sequuntur conciliet qui potest. Deest quidem pericope illa in codicibus quibusdam MSS. Sed non absimili modo et alibi quasi ludit in hoc mysterio Lactantius, nempe lib. IV. cap. 13. ubi nulla est interpolationis suspicio; "Ipse enim," inquit, "Pater " Deus, et origo et principium rerum, quoniam pa-" rentibus caret, ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ a Trismegisto " verissime nominatur, quod ex nullo sit procreatus. " Idcirco etiam Filium bis nasci oportuit, ut et ipse " fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nati-" vitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris " a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero

[n] Hoc est an. 1475.

" carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine Patris officio vir-
" ginali utero procreatus est."

21. Sequitur in capite illo nono libri secundi longa disputatio de duobus principiis, altero boni, mali altero, quæ Manichæismum manifeste sapit. Dicit enim illic, " Deum in principio fecisse bo-
" num et malum; fabricasse mundum, qui consta-
" ret in rebus inter se contrariis et discordibus;
" ideoque fecisse ante omnia duos fontes rerum
" sibi adversantium, inter seque pugnantium, vide-
" licet duos Spiritus, rectum et pravum, quorum
" alter est Deo tanquam dexter, alter tanquam si-
" nister; constituisse Diabolum malorum invento-
" rem, cumque ipsum faceret, dedisse illi ad mala
" excogitanda ingenium et astutiam, ut in eo esset
" et voluntas prava, et perfecta nequitia; et ab eo
" contraria virtutibus suis voluisse oriri, eumque se-
" cum contendere, utrum ipse plus bonorum daret,
" an ille plus malorum; denique bonorum suorum
" potestatem Diabolo ultro assignasse." Hæc, inquam, si non ipsum Manetis dogma continent, Manichæismum tamen manifeste sapiunt. Certus sum non didicisse hæc auctorem, quisquis fuerit, a catholicæ ecclesiæ doctore aliquo; (nam istiusmodi blasphemias catholica ecclesia semper damnavit;) sed ab hæresi desumpta hæc esse. Dic vero mihi, a qua hæresi nisi Manichæorum? Desunt quidem et hæc in quibusdam MSS. codicibus[o]; sed in omnibus codicibus ea hic reperiuntur, quæ a Manichæismo haud ita longe, a catholicæ vero ecclesiæ doctrina quam longissime recedunt. Nam postquam dixerat auctor, 248
se causam et caput malorum expositurum, hæc (consentientibus codicibus) sequuntur; " Cum esset Deus

[o] [Non admittuntur in textum in ed. 1748.]

" ad excogitandum providentissimus, ad faciendum " solertissimus, antequam ordiretur hoc opus mundi, " quoniam pleni et consummati boni fons in ipso " erat, sicut est semper, ut ab eo bonum tanquam " rivus oriretur, longeque proflueret, produxit simi- " lem sui Spiritum, qui esset virtutibus Dei Patris " præditus.——Deinde fecit alterum, in quo indoles " divinæ stirpis non permansit. Itaque suapte in- " vidia tanquam veneno infectus est, et ex bono ad " malum transcendit, suoque arbitrio, quod a Deo " illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen " adscivit. Invidit enim illi antecessori suo, qui Deo " Patri perseverando cum probatus, tum etiam ca- " rus est. Hunc ergo ex bono per se malum effec- " tum Græci διάβολον appellant, nos *criminatorem* " vocamus; quod crimina, in quæ ipse illicit, ad " Deum deferat." Deinde, omissis illis, quæ quibusdam codicibus abesse diximus, subjiciuntur ista; " Exorsus igitur Deus fabricam mundi, illum pri- " mum et maximum Filium præfecit operi universo, " &c." Hic primo docet, Filium Dei et Spiritum illum, qui mox a creatione sua malus evasit, pariter a Deo productos fuisse, antequam Deus hoc mundi opus ordiretur; quanquam Filium Dei malo illo Spiritu tam dignitate quam ævo priorem fateatur. Deinde non obscure significat, magnum illum angelum, qui Diabolus dictus est, e censu rerum per Filium conditarum exemptum esse; utrumque scilicet, et Filium Dei, et Diabolum a Deo solo productum fuisse, neutrum ab altero vel per alterum; Diabolum sui antecessorem quidem habuisse Dei Filium, non vero Creatorem. Quis vero ex catholicis doctoribus ante ipsum ita docuit? denique cum causam boni et mali expositurus dicit, primum illum Spiri-

tum a Deo, ad cogitandum prudentissimo et ad faciendum solertissimo, productum fuisse eo consilio, ut a boni fonte tanquam rivus oriretur, longeque deflueret, scil. ad creaturas; deinde alterum spiritum fecisse Deum, qui Diabolus dicitur; innuere mihi videtur, alterum illum spiritum a Deo factum fuisse contrario plane consilio, nempe ut mali quoque rivus ab ipso spiritu tanquam fonte proflueret; quem scilicet, quanquam liberum ei arbitrium dederit, novit tamen ad malum a bono deflexurum. Quid, quæso, hæc aliud sunt, quam Manichæismus, ut ita dicam, cerussatus et infucatus? Cæterum etiam ex impiis illis, quæ in MSS. quibusdam desiderari monuimus, nonnulla alibi apud Lactantium, ubi nulla est codicum dissensio, reperiuntur. Inter ista hæc legimus; " Facturus (Deus) hominem, cui virtutem ad viven- " dum proponeret, per quam immortalitatem asse- " queretur, bonum et malum fecit, ut posset esse " virtus." His vero plane gemina sunt, quæ habemus lib. de Opificio Dei cap. 20. " Noluit enim Deus " hominem ad immortalem illam beatitudinem deli- " cato itinere pervenire. Daturus ergo virtutem, de- " dit hostem prius, qui animis hominum cupiditates " et vitia immitteret, qui esset auctor errorum, ma- " lorumque omnium machinator; ut quoniam Deus " homines ad vitam vocat, ille contra, ut rapiat et " traducat ad mortem." Inter ista quoque hæc reperiuntur; " Quoniam Deo summo repugnari non " potest, bonorum suorum potestatem illi (Diabolo) " ultro assignavit." Idem vero dicitur Inst. lib. II. cap. 15. in ipso initio, Deum nempe Diabolo " ab " initio terræ dedisse potestatem." Et mox ibidem appellatur Diabolus " dominator ille terræ fallacissi- " mus."

22. In capite autem octavo libri quarti, quam insulsa, quam ridicula, quam impia leguntur! "Sanctæ," inquit, "literæ docent, illum Dei Filium Dei esse "Sermonem, itemque cæteros angelos Dei spiritus "esse. Nam sermo est spiritus cum voce aliquid "significante prolatus. Sed tamen quoniam spiritus "et sermo diversis partibus proferuntur, siquidem "spiritus naribus, ore sermo procedit, magna inter "hunc Dei Filium et cæteros angelos differentia "est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt, quia "non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministe-"rium creabantur. Ille vero cum sit et ipse Spiri-"tus, tamen cum voce ac sono ex Dei ore processit." Hic scilicet eandem docet naturam Filii et cæterorum angelorum, nempe et illum et hos Dei spiritus esse, ex ipsa substantia Dei emissos, cum hoc discrimine, quod ille ex ore, hic ex naribus Dei; ille cum voce et sono, hi taciti exierunt. Et hæc rursus Manichæismum redolent. Nam Manichæi asserebant, non modo angelos, sed etiam animas hominum, saltem bonorum, ex Dei substantia manasse, ut testatur Augustinus de Hæresibus cap. 46. Ecquis vero catholicorum doctorum ante Lactantium ita philosophatus est? certe nemo. Imo ab ipso Tertulliano, quem legerat, saniorem sententiam ediscere potuit Lactantius. Sic enim ille lib. adv. Prax. c. 3. "Si,"
249 inquit, "monarchia divina per tot legiones et exer-"citus angelorum administratur, sicut scriptum est, "*Millies millia adsistebant ei, et millies centena* "*millia apparebant ei;* nec ideo unius esse desiit, "ut desinat monarchia esse, quia per tanta millia "virtutum procuratur; quale est ut Deus divisio-"nem et dispersionem pati videatur in Filio et in "Spiritu Sancto, secundum et tertium sortitis lo-

" cum, tam consortibus substantiæ Patris, quas non " patitur in tot angelorum numero, et quidem tam " alienorum a substantia Patris°?" Docet Filium quidem et Spiritum Sanctum substantiæ Dei Patris consortes esse; angelos vero, quanticunque sint, a divina substantia esse prorsus alienos. Quare omnino, ut dixi, statuendum est, aut loca ista in Lactantii scriptis ab hæretico aliquo corrupta esse, aut hæresi infectum fuisse ipsum Lactantium. Si prius illud statueris, immerito ista Lactantio tribuuntur; sin posterius, merito rejiciendum est ejus testimonium.

23. Interim vestigia aliqua sanæ et catholicæ de Filii æternitate doctrinæ cernere licet apud Lactantium, ubi conspirantibus codicibus et impressis et MSS. omnibus ipse loquitur, nempe lib. IV. cap. 9. Ibi enim in ipso capitis initio, postquam in fine præcedentis textum S. Joannis Evangelii i. 1, 2. juxta Latinam, ut verisimile est, versionem ea ætate vulgatam, citaverat, ita porro scribit; " Sed melius " Græci λόγον dicunt, quam nos Verbum sive Sermo- " nem; λόγος enim et Sermonem significat et Ratio- " nem, quia ille est et Vox et Sapientia Dei." Hic Lactantius verba et sensus Tertulliani, in cujus scriptis, ut constat, hospes non fuit, manifeste æmulatur. Notaverat ante Tertullianus, uti vidimus, duplicem illam τοῦ λόγου significationem, quam hic observat Lactantius. Dixerat Tertullianus, in loco illo Joannis, ubi scriptum est, *In principio erat* ὁ λόγος, et ὁ λόγος *erat apud Deum*, Græcam vocem λόγος rectius Latine verti *Ratio*, quam *Sermo;* et id ipsum dicit Lactantius. Τὸν λόγον, ut est Dei Ratio, in principio adeoque ab æterno fuisse apud Deum Patrem, fate-

° [Al. *et quidem tam a substantia alienis?*]

tur Tertullianus. Quis vero non facile crediderit, idem, eadem usum distinctione, voluisse Lactantium? Est, inquit, ille Filius Dei, et Dei Sermo, et Dei Ratio, et Vox, et Sapientia Dei; et melius dicitur in loco Joannis Rationem et Sapientiam, quam Sermonem et Vocem, in principio fuisse, et apud Deum fuisse. Scilicet Vox et Sermo non erat Filius, antequam ex Patre cum voce processerit ad constituendum universa; sed Ratio et Sapientia Dei æternum erat. Pugnant autem hæc manifeste cum iis, quæ in præcedenti capite disputaverat, sive alius quispiam, sive ipse Lactantius. Si enim melius exprimit Filii nomen vox Græca λόγος, quam Latina *Verbum* sive *Sermo*, quia λόγος et *Sermonem* et *Rationem* significat; si Filius Dei sit non modo Sermo Dei, sed et Ratio Dei, non tantum Dei Vox, verum etiam Dei Sapientia; quin et potius definiendus sit Dei Ratio et Sapientia, quam Vox, aut Sermo, aut Verbum; tum sane concidit tota illa dissertatio præcedens, in qua Filius Dei describitur, ut merus Dei Spiritus vocalis, tum cum proferretur in hypostasin figuratus. Denique si ipsa Dei Patris Ratio et Sapientia sit Filius, tum æternus est, si modo ipse Deus Pater æternus dicendus sit; quia Deus Pater nunquam sine Ratione et Sapientia sua fuit; quæ argumentatio quatenus firma et valida sit, supra[p] ostendimus. Haud frustra autem dixi, "Si modo "Deus Pater æternus sit;" siquidem de ipsius Dei Patris æternitate periculose, si non impie, locutus videtur Lactantius Instit. I. 7. ubi docet, principium existentiæ Dei, omnium Parentis, a nobis quidem comprehendi non posse; principium tamen habuisse ipsum Deum, omnino statuendum esse; "Cu-

[p] Vide hujus sectionis 5. 5, 6. [p. 559.]

" jus," (Dei Patris,) inquit, " nec virtus æstimari " potest, nec magnitudo perspici, nec principium com- " prehendi; cum ad illum mentis humanæ intentio, " et acumen, et memoria pervenerit, quasi consump- " tis [q] et subductis omnibus viis, subsistit, hæret, de- " ficit; nec est aliquid ulterius, quo progredi possit. " Verum quia fieri non potest, quin id quod sit, ali- " quando esse cœperit, consequens est, ut quando " nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit " procreatus." Quis sanam prorsus de Filii æternitate sententiam ab homine expectet, qui de ipsius Dei Patris æternitate tam insulse scripserit? hæc igitur de Lactantii doctrina dixisse plusquam sufficiat.

24. Itaque tandem scriptorum, qui concilium Nicænum antecesserunt, de Filii τῷ συναϊδίῳ sententiam non indiligenter investigavimus; adeoque singulas theses, in hac tertia sectione propositas, (nisi nos vehementer fallit judicium nostrum,) abunde demonstravimus. Ex quibus omnibus tandem liquet, verissimum esse, quod de ecclesiæ doctoribus, qui ante 250
discidium in ecclesia, hoc est, ante exortam controversiam Arianam floruerunt, pronuntiavit olim doctissimus Sisinnius apud Socratem Eccl. Hist. V. 10. nempe, Ὡς οἱ παλαιοὶ ἀρχὴν ὑπάρξεως τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ δοῦναι ἀπέφυγον· κατειλήφεισαν γὰρ αὐτὸν συναΐδιον τῷ Πατρί. i. e. " Veteres studiose cavisse, ne principium existentiæ " Filio Dei tribuerent; quippe qui censerent illum " Patri coæternum esse." Quippe supra viginti catholicos et probatos doctores trium primorum sæculorum adduximus, qui omnes Filii τὸ συναΐδιον clare et aperte agnoverunt. Quin et a synodo episcoporum, in causa Dionysii Alex. Romæ congregatorum, ad-

[q] [Al. *consummatis.*]

versum dogma damnatum fuisse ostendimus. Dempto Lactantio, (cujus judicium hac in quæstione nihili faciendum esse probavimus,) reliqui scriptores Antenicæni sunt omnino hi sex; Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antiochenus, Hippolytus, Novatianus, sive auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani, et Tertullianus ipse. Ex quibus quinque priores, etiamsi progressionem Filii ex Patre ad creationem universi, ipsius quasi generationem quandam imaginati fuerint, studiose tamen et ipsi cavere, ne initium subsistentiæ Filio Dei tribuerent; omnesque τὸν λόγον æternum apud Deum Patrem fuisse palam professi sunt. Denique Tertullianus ab ecclesia ad hæresim defecit; proinde jure merito hæreticis potius, quam ecclesiæ doctoribus accensendus est. Et ipse tamen post longas ambages, variasque ac plane ineptas subtilitates, tandem in vulgi sententia, quam vocat, hoc est catholica, consedit et acquievit; et Sermonem semper apud Deum Patrem fuisse et substitisse, contra Valentinianos Arii præcursores, diserte adfirmavit[r]. Sisinnius autem ille (utpote quem præter sacrarum Scripturarum scientiam, multiplicem etiam habuisse notitiam τῶν ἱστορημένων ὑπὸ τῶν παρ' Ἕλλησι καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ φιλοσοφησάντων, "eorum quæ "tum ab ethnicis, tum ab ecclesiasticis auctoribus

[r] Testimoniis Patrum Antenicænorum pro Filii τῷ συναϊδίῳ adductis, adde verba, quæ ex Malchionis Disputatione contra Paulum Samosatenum citavit Leontius lib. III. contra Nestorium et Eutychem prope finem, sic sonantia: "Nonne ante dicebam, "quod non concedas, Filium unigenitum, qui est ex æternitate "ante omnem creaturam, in toto Salvatore οὐσιῶσθαι, id est, uni-"tum esse secundum substantiam?" GRABE. [Græca edidit Routh e MS. Bodl. in Reliq. Sacr. vol. II. p. 476. οὐ πάλαι τοῦτο ἔλεγον, ὅτι οὐ δίδως οὐσιῶσθαι ἐν τῷ ὅλῳ σωτῆρι τὸν υἱὸν τὸν μονογενῆ; τὸν πρὸ πάσης κτίσεως ὑπάρχοντα;]

" scripta erant," testatur Sozomenus Hist. Eccl. VII. 12.) procul dubio plura alia viderat et legerat priscorum doctorum monumenta, Quadrati nempe, Aristidis, Miltiadis, Melitonis, &c. quæ hodie interciderunt. Qui vero tam multiplici veterum lectione instructus fuit, idem contra Arianos fidenter asseruit, quod et probare paratus fuit, veteres illos communiter docuisse, Filium Dei Patri suo coæternum esse. Ac de his hactenus: ad reliqua nunc, æterno Dei Verbo ac Filio adjuvante, progrediamur.

DE SUBORDINATIONE FILII AD PATREM, UT AD SUI ORIGINEM AC PRINCIPIUM.

CAP. I.

Proponitur thesis prima, de subordinatione Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium. Quæ et unanimi veterum consensu confirmatur. Ostenditur, locutionem illam quorundam Neotericorum, qua Filium dicunt αὐτόθεον, hoc est, a seipso Deum, *sententiæ synodi ipsius Nicænæ, adeoque catholicorum doctorum omnium, tum qui ante, tum qui post istam scripsere synodum, prorsus repugnare.*

1. DE subordinatione Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium, non pauca quidem obiter et aliud agentes diximus ad sectiones præcedentes; sed non indignum est argumentum, quod seorsim et separata sectione accuratius explicetur; præsertim cum ipsum in operis nostri initio, tanquam distinctum caput doctrinæ in symbolo Nicæno traditum, et veterum testimoniis a nobis confirmandum proposuerimus. De illa igitur subordinatione hæc esto thesis prima:

THESIS PRIMA.

Decretum illud synodi Nicænæ, quo statuitur, Filium Dei esse Θεὸν ἐκ Θεοῦ, Deum de Deo, suo calculo comprobarunt doctores catholici, tum qui ante, cum qui post synodum illam scripsere. Nam illi omnes

uno ore docuerunt, naturam perfectionesque divinas Patri Filioque competere non collateraliter aut coordinate, sed subordinate; hoc est, Filium eandem quidem naturam divinam cum Patre communem habere, sed a Patre communicatam; ita scilicet ut Pater solus naturam illam divinam a se habeat, sive a nullo alio, Filius autem a Patre; proinde Pater divinitatis, quæ in Filio est, fons, origo ac principium sit.

252 2. Ad partem thesis nostræ probandum, quæ doctores spectat, qui synodum Nicænam antecessere, non est quod multum operæ impendamus; quippe quæ plerisque testimoniis, quæ de generatione Filii ad sectionem secundam et tertiam ex ipsis adduximus, jam satis confirmetur. Quid? quod voces ipsæ *Filii* et *generationis*, quibus iidem utuntur passim, primo suo conceptu manifeste innuant subordinationem Filii ad Patrem generantem. Certe communem veterum illorum sententiam expressit Novatianus, sive auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani, in loco supra non semel a nobis citato ex cap. 31. " Quicquid," inquit, " est Filius, non ex se est, quia " nec innatus est; sed ex Patre est, quia genitus " est; sive dum Verbum est, sive dum virtus est, " sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum " Filius est, et quicquid horum est, non aliunde est " quam ex Patre, Patri suo originem suam debens." Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone [8] expresse dicit Patrem esse Filio αἴτιον τοῦ εἶναι, *Causam ut sit.* Hinc eidem Justino et cæteris scriptoribus Antenicænis solenne est, Deum Patrem διακριτικῶς appellare

[8] Pag. 358. [§. 129. p. 222.]

nunc Deum absolute, nunc unum illum Deum, nunc Deum et Patrem omnium, (juxta Scripturas 1 Cor. viii. 4. Eph. iv. 6. Joan. xvii. 3.) quia scilicet solus Pater a se Deus est, Filius autem Deus de Deo. Quam etiam ob causam scriptores isti, quoties Patrem et Filium simul nominant, nomen Dei Patri fere attribuunt; alteram personam titulo vel Filii Dei, vel Servatoris, vel Domini, vel alia simili appellatione designantes. Qua de re præclare Tertullianus adv. Prax. cap. 13. " Apostolum," inquit, " sequar, " ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, " Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Do- " minum nominem. Solum autem Christum potero " Deum dicere, sicut idem apostolus, *Ex quibus* " *Christus, qui est* (inquit) *Deus super omnia bene-* " *dictus in ævum omne.* Nam et radium solis seor- " sum solem vocabo; solem autem nominans, cujus " est radius, non statim et radium solem appellabo."

3. Cæterum, ut dixi, ad doctores quod attinet, qui concilio Nicæno anteriores fuere, nemini dubium esse potest, quin ipsi subordinationem, qua de loquimur, agnoverint. Restat ut ostendam, eandem doctrinam tradidisse Patres qui post synodum Nicænam scripsere, fideique in ipsa definitæ et statutæ propugnatores fuere constantissimi; ne quis scilicet existimet, nos verba symboli Nicæni perperam accepisse. Illi igitur intrepide quoque Patrem dicunt *principium, causam, auctorem* Filii, ipsumque adeo Patrem *unum* illum Deum appellant. Primo ἀρχὴν Filii Patrem dicunt; nempe quatenus vox ista significat principium, a quo aliquid oritur, quocunque id modo fiat, hoc est, sive in tempore, sive ab æterno; non vero quatenus principium denotat initium existendi, quando res, quæ antea non erat, esse jam

incipit. Athanasius Orat. V. contra Arianos[t], haud longe ab initio, illa Joannis, ***In principio erat Verbum***, sic enarrat, tanquam scripserit evangelista, ***In Patre erat Filius***; Κατὰ γὰρ (inquit) τὸν Ἰωάννην, ἐν ταύτῃ τῇ ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν· Θεὸς γάρ ἐστιν ἡ ἀρχὴ, καὶ ἐπειδὰν ἐξ αὐτῆς ἐστι, διὰ τοῦτο καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. i. e. "Nam secundum Joannem "in hoc principio erat Verbum, et Verbum erat "apud Deum. Deus enim principium est; et quo- "niam ex principio Verbum est, ideo quoque Ver- "bum erat Deus." Notionem vero vocis ***principii***, et quomodo ἀρχὴν habeat Patrem Filius, quomodo vero ἄναρχος idem sit, accurate explicat Gregorius Nyssenus libro primo contra Eunomium[u]; Ἀλλ' ἐπειδὴ (inquit) πολύσημος ὁ τῆς ἀρχῆς λόγος, καὶ εἰς πολλὰ ταῖς ὑπονοίαις φερόμενος, ἔστιν ἐν οἷς φαμὲν καὶ τῷ μονογενεῖ υἱῷ μὴ ἀπεμφαίνειν τὴν τοῦ ἀνάρχου προσηγορίαν. ὅταν μὲν γὰρ τὸ μὴ ἐξ αἰτίου τινὸς ὑπόστασιν ἔχειν ἐκ τῆς φωνῆς τοῦ ἀνάρχου νοῆται, τοῦτο μόνον τοῦ Πατρὸς ἴδιον ὁμολογοῦμεν. ὅταν δὲ κατὰ τὰ λοιπὰ τῶν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς σημαινομένων ἡ ἐξέτασις ᾖ, ἐπειδὴ καὶ κτίσεώς τινος ἐπινοεῖται ἀρχὴ, καὶ χρόνου, καὶ τάξεως, κἂν τούτοις καὶ τῷ μονογενεῖ προσμαρτυροῦμεν, τὸ ὑψηλότερον ἀρχῆς εἶναι· ὡς ὑπὲρ πᾶσαν κτίσεως ἀρχὴν, καὶ χρόνου ἔννοιαν, καὶ τάξεως ἀκολουθίαν εἶναι πιστεύειν τὸν δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· ὥστε τὸν τῷ λόγῳ τῆς ὑποστάσεως μὴ ἄναρχον, ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ὁμολογούμενον ἔχειν τὸ ἄναρχον· καὶ τὸν μὲν Πατέρα καὶ ἄναρχον, καὶ ἀγέννητον· τὸν δὲ υἱὸν ἄναρχον μὲν κατὰ τὸν εἰρημένον τρόπον, οὐ μὴν καὶ ἀγέννητον. i. e. "Cum "vox ἀρχῆς in magno sit significationum ambitu, in- "terdum τοῦ ἀνάρχου appellationem non abhorrere ab "unigenito Filio dicimus. Nam quando in voce ἀνάρ- "χου nihil intelligitur aliud, nisi quod ex nullo peni-

[t] [Orat. IV. 1. vol. I. p. 617.]

[u] Edit. Grets. p. 118. [vol. II. p. 382.]

" tus principio habet ut existat, hoc ipsum solius
" esse Patris proprium confitemur. Cum autem de
" reliquis principii significatis inquisitio sit; quoniam
" et creationis principium est, et temporis, et ordi-
" nis; etiam in iis unigenitum Filium omni principio
" superiorem esse testamur; ut supra omne creatio-
" nis principium, et temporis notionem, et ordinis
" consecutionem illum esse credamus, per quem om-
" nia facta sunt. Itaque quem ratione subsistentiæ 253
" non expertem esse principii putamus, in reliquis
" omnibus carere principio fatemur; et Patrem qui-
" dem principio carentem, et ingenitum; Filium vero
" principio quidem eo, quem diximus, modo caren-
" tem, non tamen ingenitum esse dicimus." Sic etiam Gregorius Nazianzenus in Oratione XXXV. quæ Prima de Filio dicitur, quatenus tres personæ divinæ omnes pariter ἄναρχοι sint, quatenus vero solus Pater sit ἄναρχος, his verbis explicat [d]; Πῶς οὖν οὐ συνάναρχα, εἰ συναΐδια; ὅτι ἐκεῖθεν, εἰ καὶ μὴ μετ' ἐκεῖνον. τὸ μὲν γὰρ ἄναρχον, καὶ ἀΐδιον· τὸ δὲ ἀΐδιον οὐ πάντως ἄναρχον, ἕως ἂν εἰς ἀρχὴν ἀναφέρηται τὸν πατέρα. οὐκ ἄναρχα οὖν τῷ αἰτίῳ. i. e. " Quomodo igitur non sunt" (Filius et Spiritus S.) " simul cum Patre principii expertes, siquidem æterni " sunt? quia inde procedunt, etsi non post illum " sunt. Quod enim principio caret, etiam æternum " est; quod autem æternum est, non protinus omni " caret principio; quamdiu ad Patrem, velut ad " principium, refertur. Ergo illi, quantum ad causam, " non carent principio." Et Oratione XXXVI.[e] Ἴδιον δὲ (inquit) τοῦ μὲν ἀνάρχου, πατήρ· τοῦ δὲ ἀνάρχως γεννηθέντος, υἱός. i. e. " Proprium ejus, qui principio caret, " nomen est *Pater;* ejus autem, qui citra ullum

[d] Pag. 562. [Orat. XXIX. 3. p. 525.]
[e] Pag. 590. [Orat. XXX. 19. p. 553.]

" principium genitus est, *Filius*." Denique Cyrillus Alexandrinus, sub initium libri primi Commentariorum in Joannem, docet Patrem esse Filii principium κατὰ μόνον τὸ ἐξ οὗ λέγεται, " solum quatenus est id, " ex quo."

4. *Principii* voci affinis est vox αἴτιος, vel αἰτία, quam Latini *causam* appellant. Justinum Martyrem dixisse, causam esse Filii Patrem, paulo ante observavimus. Similiter autem loquuntur auctores catholici, qui post exortam controversiam Arianam scripsere. Nam et illi unam in Trinitate personam, Deum scilicet Patrem, causam esse dicunt; duo vero causata, Filium nempe et Spiritum Sanctum. Sic Constantinus Magnus in Oratione ad sanctorum cœtum apud Eusebium[f]; Αἰτία μὲν (inquit) υἱοῦ ὁ Πατήρ· αἰτιατὸν δὲ ὁ υἱός· i. e. " Pater quidem Filii " causa est; Filius vero est causatum." Sic Athanasius (sive quispiam alius, certe in hoc dogmate catholicus) in quæstionibus secundis cap. 11. et 12.[g] Ὁ δὲ υἱὸς οὐκ ἔστιν αἴτιος, ἀλλ' αἰτιατός. i. e. " Filius " vero non est causa, sed causatum." Basilius[h] in libro primo contra Eunomium; Ἡμεῖς δὲ (inquit) κατὰ μὲν τὴν τῶν αἰτίων πρὸς τὰ ἐξ αὐτῶν σχέσιν, προτετάχθαι τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα φαμέν. i. e. " Nos autem secun- " dum causarum habitudinem ad ea, quæ ex illis " oriuntur, Patrem collocari ante Filium asserimus." Et in eodem libro[i], Τὸ δὲ Πατὴρ, (ait,) τί ἄλλο σημαίνει, ἢ οὐχὶ τὸ, αἰτία εἶναι καὶ ἀρχὴ τοῦ ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντος;

[f] Pag. 581. edit. Valesii. [c. 11. p. 688.]

[g] [Op. Athanas. vol. II. p. 339. de quibus ita ed. Benedict. " Nemo erit, qui Athanasium tantarum nugarum patrem esse " suspicetur."]

[h] Basil. tom. I. p. 720. [§. 20. vol. I. p. 232.]

[i] Pag. 724. [§. 25. p. 236.]

i. e. "Vox ipsa *Patris* quid aliud significat, nisi hoc, "quod causa est et principium ejus, qui ex ipso "genitus est?" Itidem Gregorius Nazianzenus in Oratione XXIX. quæ est de Dogmate, non semel Patrem causam esse Filii et Spiritus Sancti asserit [k]; Μικρῶν γὰρ (inquit) ἂν εἴη καὶ ἀναξίων ἀρχὴ, μὴ θεότητος ὢν αἴτιος τῆς ἐν υἱῷ καὶ πνεύματι θεωρουμένης. i. e. "Parvorum enim ipsoque indignorum principium fuerit "(Pater,) nisi Deitatis ejus, quæ in Filio et Spiritu "Sancto consideratur, causa sit." Et mox ibidem, Εἷς μὲν Θεὸς, εἰς ἓν αἴτιον καὶ υἱοῦ καὶ πνεύματος ἀναφερομένων. i. e. "Unus quidem est Deus, siquidem Filius "et Spiritus Sanctus ad unam causam referuntur." Et paucis interjectis ait, Deum Patrem ἀρχὴν *principium* esse, ὡς αἴτιον, καὶ ὡς πηγὴν, καὶ ὡς ἀΐδιον φῶς. "ut causam, et ut fontem, lumenque sempiternum [l]." Damascenus quoque lib. III. de Orthod. Fide cap. 5.[m] sic scribit; Διαφορὰν τῶν ὑποστάσεων ἐν μόναις ταῖς τρισὶν ἰδιότησι, τῇ ἀναιτίῳ καὶ πατρικῇ, καὶ τῇ αἰτιατῇ καὶ υἱϊκῇ, καὶ τῇ αἰτιατῇ καὶ ἐκπορευτῇ ἐπιγινώσκομεν. i. e. "Hypostaseon differentiam in his solis tri"bus proprietatibus agnoscimus, causæ experte et "paterna; causata et filiali; causata et processiva." Idem in libro I. de Imaginibus non procul ab initio [n]; "Imago," inquit, "Dei invisibilis est ipse Filius,

[k] Tom. I. p. 490. [Orat. XX. 60. p. 379.]

[l] Confer eundem Orat. XXIV. p. 429. A. [Orat. XXXIV. 10. p. 624.] et Orat. XXXVII. p. 601. B. [Orat. XXXI. 14. p. 565.] GRABE.

[m] [Vol. I. p. 210.]

[n] [Nescio cur Græca verba non hic citantur, quæ ita se habent, Εἰκὼν τοίνυν ξῶσα, φυσικὴ, καὶ ἀπαράλλακτος τοῦ ἀοράτου Θεοῦ ὁ υἱὸς, ὅλον ἐν ἑαυτῷ φέρων τὸν πατέρα, κατὰ πάντα ἔχων τὴν πρὸς αὐτὸν ταυτότητα, μόνῳ δὲ διαφέρων τῷ αἰτιατῷ. αἴτιον μὲν γὰρ φυσικὸν ὁ Πατὴρ, [illegible] δὲ ὁ υἱός. Orat. I. 9. vol. I. p. 311.]

" qui in seipso Patrem gerit, et in omnibus idem
" cum illo est, præter unum id quod ab eo tanquam
" a causa est. Naturalis enim causa est Pater, ex
" quo Filius proficiscitur." Ex Latinis vero Marius Victorinus in libro primo adversus Arium perinde locutus est [o]; " Sed major," inquit, " Pater;
" quod ipse dedit ipsi omnia, et causa est ipsi Filio
" ut sit, ut isto modo sit." Supra autem idem Victorinus dixerat, Filium quidem causam esse principalem omnium rerum, sed Patrem præcausam esse, eo quod Filii causa sit. Hilarius de Trin. lib. XI. [p] " causam nativitatis" Filii Patrem appellat. Et in XII. [q] de æterna Filii generatione verba faciens;
" Et ex causa," inquit, " licet perfecta atque inde-
" mutabili nascens, necesse est ex causa in causæ
254 " ipsius proprietate nascatur." Denique ad eundem modum loquitur Augustinus quoque lib. LXXXIII. Quæstionum, Quæst. XVI. [r] " Deus," inquit, " om-
" nium quæ sunt causa est. Quod autem omnium
" rerum causa est, etiam Sapientiæ suæ causa est;
" nec unquam Deus sine sua Sapientia. Igitur sem-
" piternæ suæ Sapientiæ causa est sempiterna; nec
" tempore prior est, quam sua Sapientia."

5. Ejusdem significationis est *Auctoris* nomen, quod etiam doctores Latini Deo Patri frequenter tribuunt, quatenus ad Filium refertur. Hilarius in nono de Trinitate ad locum Joannis v. 19. ita scribit [s]; " Si paternæ in se naturæ auctoritate quod
" gerit, gerente Patre agit, qui usque modo operatur
" in Sabbato; extra crimen operis est Filius, in quo
" paternæ operationis præfertur auctoritas. Non

[o] [I. 13. Bibl. Patr. Galland. vol. VIII. p. 156.]
[p] [§. 11. p. 1089.] [q] [§. 8. p. 1116.]
[r] [Vol. VI. p. 4.] [s] [IX. 45. p. 1014.]

" enim ad infirmitatem retulit, *non potest*; sed ad " auctoritatem." Atque in eodem libro, " Cum enim " innascibilis Deus ad perfectam divinæ beatitudinis " nativitatem unigenito Deo auctor sit, auctorem " nativitatis esse, sacramentum paternum est. Cæ- " terum non habet contumeliam, qui se auctoris sui " esse imaginem genuina nativitate consummat." Quin idem alibi passim *Auctoris* nomen adhibet, ut in quarto libro [t], ista de Psal. xlv. explicans, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*; " *Tuus*," inquit, " relatum est ad auctorem; *te* vero ad ejus, qui ex " auctore est, significationem. Est enim Deus ex " Deo." Item in septimo [u], " Ita," inquit, " imago " est, ut non differat genere, sed significet aucto- " rem." Sic in libro de Synodis [x], quem locum jam alibi adduximus; " Patri subjectus est, ut auctori." Et argute, pro more suo, Augustinus Serm. XI. de Verb. Domini secund. Matth. [y] " Insinuatur nobis " in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu " Sancto Patris Filiique communitas, in tribus æ- " qualitas." Eandem vim habent vocabula, *radix, fons, caput*; quæ itidem Deo Patri, quatenus ad Filium et Spiritum Sanctum refertur, veteres catholici attribuunt. Ita Basilius Homil. XXVII. cont. Sabell. [z] Ἔστι μὲν γὰρ ὁ Πατὴρ τέλειον ἔχων τὸ εἶναι, καὶ ἀνενδεὲς, ῥίζα καὶ πηγὴ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. i. e. " Est quidem Pater perfectum habens esse, et " nullius egens, radix et fons Filii et Sancti Spi- " ritus." Similiter Ambrosius libro X. in Lucam [a]; " Dominus," inquit, " Pater, quia radix est Filii:"

[t] [IV. 35. p. 848.] [u] [VII. 37. p. 941.] [x] [69. p. 1189.]
[y] [Serm. LXXI. 18. vol. V. p. 392.]
[z] Tom. I. p. 606. ed. 1618. [Hom. XXIV. 4. vol. II. p. 193.]
[a] [X. 5. vol. I. p. 1505.]

et in quarto de Fide, capite 5.[b] "Fons Pater Filii "est; radix Pater Filii est." *Caput* vero Filii Patrem vocat Ruffinus in Symbolum; "Et cum ipse "sit omnium caput," inquit, "ipsius tamen caput[c] "est Pater."

6. Denique veteres Deum Patrem, eo quod principium, causa, auctor et fons Filii sit, unum illum et solum Deum appellare non sunt veriti. Sic enim ipsi Patres Nicæni exordiuntur suum symbolum; "Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, "&c." deinde subjungunt, "Et in unum Jesum "Christum——Deum de Deo." Et magnus Athanasius, quo nemo melius intellexit synodi Nicænæ mentem ac sententiam, in Oratione contra Sabellii gregales haud longe ab initio[d], concedit Patrem jure dici μόνον Θεὸν, "solum Deum," ὅτι μόνος ἀγέννητος καὶ μόνος πηγὴ θεότητος. "quod solus ingenitus sit, et so-"lus fons Deitatis." Cui, prætermissis aliis, quos citare poteram, unum Hilarium adjungam; qui libro III.[e] de Trinitate locum Joannis evangelistæ xvii. 3. enarrans, ubi Pater dicitur *solus verus Deus*, ita scribit; "Debitus Patri a Filio honor "redditur, cum dicit, *Te solum verum Deum;* non "tamen se Filius a Dei veritate secernit, cum ad-"jungit, *Et quem misisti Jesum Christum.* Non "habet intervallum confessio credentium, quia in "utroque spes vitæ est. Nec Deus verus ab eo de-"ficit, qui in conjunctione succedit. Cum ergo di-"citur, *ut cognoscant te solum verum Deum, et*

[b] [IV. 10. 126. vol. II. p. 545.]

[c] ["Ipsius tamen *auctor* est Pater" legit editor Benedict. Cypriani operum, ad quorum calcem p. cxcvii. hæc expositio exhibetur. v. p. cciv.]

[d] [Vol. II. p. 37.] [e] [§. 14. p. 815.]

" *quem misisti Jesum Christum*, sub hac signifi-
" catione, id est, mittentis et missi, non Patris et
" Filii veritas et divinitas sub aliqua aut significa-
" tionis aut dilationis diversitate discernitur; sed ad
" gignentis et geniti confessionem fides religionis in-
" struitur." His vero omnibus testimoniis illud coronidis loco adjiciam; unicum esse in Trinitate principium, principii expers, nempe Patrem, dogma fuisse in primæva ecclesia tam fixum, ratum ac stabilitum, ut in quadragesimo nono canonum, qui dicuntur apostolorum, damnetur, quisquis baptizaverit εἰς τρεῖς ἀνάρχους, " in tres principii expertes." Ad quem canonem hæc adnotavit Zonaras[f]; Ἕνα γὰρ ἄναρχον ἡ ἐκκλησία σέβειν παρέλαβε, τὸν πατέρα, διὰ τὸ ἀναίτιον· καὶ ἕνα υἱὸν, διὰ τὴν ἄῤῥητον γέννησιν· καὶ ἕνα παράκλητον, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, διὰ τὴν ἐκπόρευσιν. i. e. " Unum
" quidem principii expertem ecclesia accepit adoran-
" dum, nempe Patrem, propterea quod causam non
" habeat; et unum Filium, propter ineffabilem ge-
" nerationem; et unum Paracletum, Spiritum Sanc-
" tum, propter processionem."

7. Hæc autem thesis notatu imprimis digna est propter neotericos quosdam, qui Filium proprie dici posse αὐτόθεον, h. e. *a seipso Deum*, pertinaci studio contendunt. Hæc sententia tum ipsorum hypothesibus, qui illam defendunt, tum catholico consensui repugnat. Aiunt scilicet illi, Filium a Deo Patre esse, qua Filius est, non qua Deus est; personam, non essentiam, sive naturam divinam, a Patre accepisse. Atqui hoc sibi ipsi contrarium est; nam, ut recte Petavius[g], " non potest Filius Dei a Patre
" gigni, nisi ab eo naturam ac Deitatem accipiat."

[f] [Vol. I. p. 33. ed. Oxon. 1672.]

[g] De Trinit. III.

Quid enim aliud est generari, quam nasci ex altero in similitudinem naturæ? ita naturam ab illo communicatam habeat necesse est ille qui gignitur, ut in ea gignenti sit similis. Nisi vero Christus, qua Filius est Dei, Deus non est, aut sine Deitate solam a Patre relationem excipit. Addo ego, personam hic sine essentia concipi non posse; nisi statueris personam in divinis nihil aliud esse, quam merum τρόπον ὑπάρξεως, quod plane Sabellianum est. Hinc idem Petavius[h] alibi errorem illorum, qui Filium a seipso Deum esse statuunt, merito pronuntiat, "non "verbi solum et locutionis, ut Bellarmino placet, "sed prorsus rei esse, et quidem gravissimum." Rationem hanc subjungit, quod "id in Trinitate fundi- "tus delet et evertit, quod alioquin aperte profiteri "videatur; generari a Patre Filium. Neque enim," inquit, "generatio sine alicujus rei communicatione "potest animo concipi; rei porro non alterius, quam "naturæ, essentiæ, substantiæ; cum sit οὐσιώδης, id "est, *substantialis* productio; in eoque ab reliquis "propagationibus, quæ secundum qualitatem et "quantitatem fiunt, generatio discrepet. Cæterum "si generatione communicatur essentia Filio, utique "hic a Patre essentiam habet, non a se. Alioquin "aut non gigneretur, aut non ab alio gigneretur. "Hinc recte Damascenus de Orthod. Fide I. 10. "Πάντα οὖν, inquit, ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ "Πατρὸς ἔχει, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι. i. e. *Omnia, quæcun-* "*que habet Filius et Spiritus Sanctus, a Patre* "*habet, etiam ipsum esse*[i]."

[h] De Trinit. VI. 11. 10.

[i] [Petavius et post hunc Bullus hæc Damasceni verba vix satis expenderunt. Damascenus enim hic de Spiritu S. speciatim agit, et post distinctionem notatam inter *generationem* et *processio-*

8. Quomodo autem ista sententia catholico consensui repugnet, paulo superius ostendi. Certe ipsa synodus Nicæna decrevit, Filium esse Deum de Deo; qui vero Deus de Deo est, dici non potest a seipso Deus sine manifesta contradictione. Sed quorsum ego Nicænæ synodi auctoritate constringere eos annitar, qui synodi illius auctoritatem ne flocci quidem facere videntur? Nam primipilus et antesignanus eorum, qui istam sententiam propugnarunt, non veritus est sanctissimos et venerandos Nicæni concilii Patres *fanaticos* appellare, et formulam Confessionis illorum, "Deum de Deo, lumen de lumine, Deum "verum de Deo vero," *duram* vocare, in qua manifesta sit *βαττολογία*, quin et carmen potius cantillando aptum, quam confessionis formulam. Horresco hæc referens, adeoque piam ac studiosam juventutem serio hortor, ut a spiritu sibi caveat, ex quo talia profecta fuerint. Multum quidem debemus viro illi, ob operam egregiam in purganda ecclesia Christi a papisticis superstitionibus navatam; absit tamen, ut pro magistro illum habeamus, aut in verba ejus juremus, aut denique errores ejus manifestos, et novitia placita, a catholico consensu abeuntia, libere, ubi res postulaverit, notare reformidemus. Quisquis, quantuscunque alioqui sit, veteris ecclesiæ catholicæ auctoritatem contempserit, eatenus nullam ipse apud nos fidem aut auctoritatem merebitur [k]. Certe carmen illud, quod tantopere risit vir magnus,

nem ita concludit, "Omnia igitur quæ Filius habet, Spiritus etiam "a Patre habet, atque adeo hoc ipsum quod est." Ita enim in ed. 1712. hic locus melius vertitur.]

[k] Similiter Saravia in Prologo Defensionis contra Bezam: "Hoc libere dico, Quisquis Patribus omnem authoritatem adimit, "ipse sibi nullam relinquit." GRABE.

cantillarunt episcoporum circiter trecentorum et innumerorum presbyterorum ac diaconorum sacer chorus, in primo et augustissimo conciliorum œcumenicorum congregatus. Eandem cantilenam mira harmonia cecinerunt doctores catholici, qui synodum istam antecessere, ut ex iis, quæ ad sectionem secundam et tertiam attulimus, manifestum est. Ut verbo dicam, Filium Dei Deum esse de Deo, vox et cantio est (si qua alia) totius ecclesiæ Christi catholicæ, Dei ipsius voci in sacris oraculis consonans, cui nemo citra ingens sui periculum occinuerit.

9. Unum illud præterea ex Petavio[1] adjiciam, illam sententiam primorum etiam reformatorum, Lutheri nempe et Melanchthonis, doctrinæ manifeste contrariam esse. Nam " Lutherus libro de Captivit. " Babylon.[m] inter alia multa perperam ab ecclesia " corrupta determinata, istud Lateranensis synodi " decretum enumerat, *Essentiam divinam nec ge-* " *nerari, nec generare.*" (Quis igitur dubitat, quin idem pro manifesto errore habuisset illorum sententiam, qui aperte negant Deum de Deo nasci, docentque Filium non a Patre, sed a seipso Deum esse?) " Philippus Melancthon in Enarratione Symboli Ni-
256 " cæni vere dici putat *nasci essentiam, quæ Filius* " *est; sicut in symbolo dicitur, Deus de Deo, lu-* " *men de lumine.* Tum huic argumento, quod op- " ponitur, *Idem seipsum non gignere, quare cum* " *essentia sit eadem, non posse essentiam gignere* " *essentiam,* respondet: *Idem, quatenus est in-* " *communicabile, non gignere se; sed idem, quod* " *est communicabile, communicari genito. Est au-*

[1] De Trinit. VI. 12. 1.

[m] Tom. II. Op. fol. 70. [Hic, ut in toto libro, citata verba frustra quæruntur. Bullus Petavium sequitur.]

" *tem essentia communicabilis, ideo communicatur* " *genito* [n]." Interim perridicule ibidem Petavius de conflictu inter se hæreticorum, quos vocat, sibi adblanditur; quasi scilicet nullus esset inter theologos Romanæ ecclesiæ conflictus. Imo in hoc ipso negotio inter Sententiarum Magistrum et Richardum Victorinum (ut de Joachimo abbate nihil dicam) manifesta est ἀντιλογία· hoc dicente, (cum Augustino cæterisque Patribus,) " substantiam gignere substan-" tiam, et sapientiam sapientiam;" illo contra asserente, " essentiam non gignere essentiam." Frustra enim in capite isto Petavius prorsus repugnantes sententias componere adnititur. Fatetur ipse, " ple-" rosque omnes scholasticos et theologos sentire, ad-" versus Richardi doctrinam pro Magistri dogmate " Lateranensem præjudicasse synodum." Ignoscat vero nobis Jesuita, si plerisque omnibus scholasticis et theologis potius, quam uni Petavio assentiamur. Dicam amplius, Iisdem argutiis, quibus Magistri et Lateranensis concilii sententiam dealbare nititur Petavius, potuisse ipsum Calvini etiam errorem, in quem tam acriter invehitur, excusare; quod cuivis rem pressius consideranti facile patebit. Utinam vero hic tandem utrinque, ex augustissimi mysterii reverentia, a tricis scholasticis prorsus abstineretur, atque ecclesiæ catholicæ sententiam, quæ statuit, Filium Deum esse de Deo, Deum verum de Deo vero, sancta fidei simplicitate amplecteremur omnes.

10. Cæterum quod nonnemo obtendit [o] Filium ab

[n] [Hic quoque in citando Melancthonis verba parum fideliter agit Petavius, ut videre licet in Enar. Symb. Nic. vol. I. Op. p. 398.]

[o] Chamier. Corp. Theolog. III. 19. p. 106.

Origene contra Celsum lib. III.[p] dici αὐτοσοφίαν, αὐτοαλήθειαν, αὐτοδικαιοσυνήν, (quem locum supra[q] citavimus,) id prorsus nullius est momenti. Certum est enim, in istis vocibus pronomen αὐτὸ significare tantum ipsissimam rei veritatem, non causam aut originem; ut nihil aliud voluerit Origenes, quam Filium esse ipsissimam, hoc est, perfectissimam sapientiam, veritatem ac justitiam, qualis est ipse Pater; haud interea negans, Filium hasce omnes naturæ divinæ perfectiones aliunde, hoc est, a Patre suo, accepisse. Nempe sic alibi idem Origenes Christum appellat non modo αὐτοσοφίαν, sed et αὐτουιὸν, Comment. in Joannem tom. XXXII.[r] ubi manifestum est, αὐτουιὸν dici non qui a seipso Filius; (quid enim ista locutione magis absurdum esse possit?) sed qui ipsissimus, hoc est, verus, genuinus ac germanus Dei Filius sit. Quo sensu etiam Athanasius voces easdem Filio Dei addicit loco supra [p. 329.] itidem a nobis recitato; atque isto sensu Filium αὐτοθεὸν, hoc est, verum atque ipsissimum Deum dici posse ac debere, inficias iverit catholicorum nemo. Hinc ipse Eusebius, qui subordinationem Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium, (si quisquam alius,) agnovit, non dubitavit tamen dicere, [s]Servatorem οἷα τοῦ καθόλου Θεοῦ παῖδα γνήσιον καὶ αὐτοθεὸν προσκυνεῖσθαι, καὶ εἰκότως· tan- " quam summi Dei genuinum Filium et αὐτοθεὸν ado- " rari, atque id jure merito." Ubi voce αὐτοθεὸς non eum, qui a seipso Deus, sed qui vere Deus est, denotari constat, tum ex eo quod hic αὐτοθεὸς vocetur *Fi-*

[p] [41. p. 473-4.] [q] II. 9. 6. [p. 294.]

[r] Pag. 416. edit. Huetii. [§. 18. p. 449. vol. IV.]

[s] Orat. habita in dedicat. ecclesiæ Tyri, inserta Hist. Eccles. X. 4. edit. Vales. p. 375. [p. 468.]

lius Dei, tum hinc quod eodem spiritu Pater dicatur *summus Deus*; tum inde etiam quod vox αὐτοθεὸς sit manifeste exegetica ejus quod præcesserat, *genuinus Filius*; tum denique ex iis, quæ in eadem Oratione sequuntur. Nam paulo post[s] Eusebius de regno et summo imperio Servatoris nostri locutus, ait, Τί γὰρ καὶ ἔμελλε τοῦ παμβασιλέως, καὶ πανηγεμόνος, καὶ αὐτοῦ Θεοῦ λόγου ἐνστήσεσθαι τῷ νεύματι; i. e. "Quid "enim obsistere poterat nutui ac voluntati Verbi, "omnium Regis, ac Principis, et Dei ipsissimi?" scilicet Filius ab Eusebio dicitur αὐτοθεὸς, quia sit αὐτὸς Θεὸς, vere Deus, seu Deus ipse. Fortasse autem operæ pretium fuerit obiter recitare quæ ad locum adnotavit præstantissimus Valesius[t]; "Notandus "est," inquit, "inprimis hic locus, in quo Eusebius "Christum vocat αὐτοθεὸν, id est, per se ac vere "Deum. Hic enim unicus locus, meo quidem judi- "cio, sufficit ad repellendas omnes calumnias eorum, "qui Eusebium nostrum Ariani dogmatis labe asper- "sum fuisse crediderunt." Abunde igitur purgatur 257
Pater doctissimus ab Arianismi criminatione illustrioribus illis testimoniis, quæ supra[v] ex ipso adduximus. Sed ad Origenem redeo. Is Patrem solum αὐτόθεον, hoc est, *a seipso Deum*, dici posse ac debere disertis verbis affirmat Commentar. in Joan. tom. II.[u] ubi iis, qui, ne unum Deum negasse viderentur, vel Patrem et Filium eandem esse personam, vel alienum a Patris essentia Filium esse statuerunt, sic occurrit; Λεκτέον γὰρ αὐτοῖς, ὅτι τότε μὲν αὐτόθεος ὁ Θεός ἐστι· διόπερ καὶ ὁ σωτὴρ φησιν ἐν τῇ πρὸς τὸν Πατέρα εὐχῇ, Ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. πᾶν δὲ τὸ

[s] Pag. 376. [p. 469.] [t] In Notis ad Euseb. p. 191.
[v] Vide III. 9. 11. [p. 627.]
[u] Pag. 47. edit. Huetii [§. 2. p. 50.]

παρὰ τὸ αὐτόθεος μετοχῇ τῆς ἐκείνου θεότητος θεοποιούμενον. i. e. "Dicendum est illis, quod αὐτόθεος quidem (hoc "est *a se Deus*) Deus ille est cum articulo; propter "quod et Servator in precatione ad Patrem inquit, "*Ut cognoscant te illum solum verum Deum.* "Quicquid vero est præter hunc, qui αὐτόθεος dici- "tur, participatione et communione divinitatis illius "deificatum est." Interim eo ipso in loco diserte damnat Origenes ἀρνουμένους τὴν θεότητα τοῦ υἱοῦ, τιθέντας δὲ αὐτοῦ τὴν ἰδιότητα καὶ τὴν οὐσίαν κατὰ περιγραφὴν τυγχάνουσαν ἑτέραν τοῦ Πατρός· "Eos qui negant Filii di- "vinitatem, ponentes ipsius proprietatem et substan- "tiam per descriptionem existere aliam a Patre." Confessus est igitur Adamantius, Patrem et Filium ejusdem esse substantiæ, proinde Filium verum Deum esse perinde ac Patrem; hoc, inquam, confessus est eodem spiritu, quo Patrem solum αὐτόθεον, *a seipso Deum*, dici posse pronuntiavit; ut frustra hanc Origenis sententiam carpserit Petavius. Videsis Huetium in locum; nos ad alia progrediemur.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD §. 10.

LOCIS Origenis, Athanasii et Eusebii, allegatis pro phrasi, qua Filius Dei αὐτόθεος dicitur, addi potest auctoritas Epiphanii Hæres. LXXVII. Ὁ Θεὸς λόγος ἐν ἑαυτῷ ἔχων τὴν πᾶσαν τελειότητα, αὐτοτέλειος ὢν, αὐτόθεος ὢν, αὐτοδύναμις, αὐτονοῦς, αὐτοφῶς. "Deus Verbum in se ipso omnem ha- "bens perfectionem, per se perfectus existens, per se Deus "existens, per se potentia, per se mens, per se lux." Quo sensu autem hæc ab illis dicta, et a nobis accipienda sint, optime declaratur verbis Athanasii prope finem Protreptici pag. 51. tom. I. edit. Paris. 1627.[x] Οὐ κατὰ μετοχὴν ταῦτα

[x] [§. 46. p. 46. Locus a Bullo citatus fuit supra, p. 329.]

ὢν, οὐδὲ ἔξωθεν ἐπιγινομένων τούτων αὐτῷ, κατὰ τοὺς αὐτοῦ μετέχοντας καὶ σοφιζομένους δι' αὐτοῦ, καὶ δυνατοὺς, καὶ λογικοὺς ἐν αὐτῷ γινομένους, ἀλλ' αὐτοσοφία, αὐτολόγος, αὐτοδύναμις ἰδία τοῦ Πατρός ἐστιν. "Non participatione talis existens, aut quod "talia extrinsecus ei accidant, sicuti res se habet in iis, "qui illius participes sunt, et per ipsum sapientes, ac in "ipso potentes, atque rationales efficiuntur; sed quod ipsa "sit sapientia, ipsa ratio, ipsa potentia propria Patris sit." Nimirum αὐτὸ nominibus præfixum plerumque significat, rem nomine significatam proprie, essentialiter, et vi naturæ suæ talem esse; sicuti Suidas docet in Lexico his verbis; Αὐτὸ ἔλεγον οἱ φιλόσοφοι τὸ κυρίως λεγόμενον· καὶ τὴν ἰδέαν διὰ τοῦ Αὐτὸ ἐδήλουν, αὐτοάνθρωπος λέγοντες· καὶ αὐτοδοξαστὸν τὸ κυρίως καὶ μᾶλλον δοξαστόν. "Vocem αὐτὸ philosophi usur- "pant de eo quod proprie dicitur; et per hoc αὐτὸ ideam "rerum designabant, dicentes αὐτοάνθρωπος, (*ipse homo*, sive "idea hominis;) et αὐτοδοξαστὸν appellant, quod præcipue et "magis est opinabile." Atque hac ratione Christum αὐτόθεον dici, nemo catholicus negaverit, ut clariss. auctor noster recte observat; nec minus recte negat αὐτόθεον appellandum, quatenus præfixum αὐτὸ denotat, hoc vel illud a se ipso tale esse, non vero ab alio derivatam habere substantiam vel qualitatem. Certum enim est, Christum Deitatem et attributa divina a Patre accepisse.

CAP. II. 258

Proponitur et confirmatur thesis secunda, qua ostenditur, veteres uno ore docuisse, tum Deum Patrem, eo quod origo et principium ipsius sit, Filio majorem esse, tum κατὰ φύσιν *æqualem esse Patri Filium.*

1. SUBORDINATIONEM Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium, communiter agnovisse veteres, in superiori capite satis luculenter, ut

opinor, demonstravimus; nunc quid consequenter iidem statuerint ostensuri, hanc thesin illustrandam et confirmandam proponimus:

THESIS SECUNDA.

Catholici doctores, tum qui synodo Nicæna anteriores fuere, tum qui postmodum vixerunt, unanimi consensu Deum Patrem etiam secundum divinitatem Filio majorem esse statuerunt; nempe, non natura quidem, aut perfectione aliqua essentiali, quæ in Patre sit, et non in Filio; sed auctoritate sola, hoc est origine; quoniam a Patre est Filius, non a Filio Pater.

Duo in hac Thesi asserimus, primo statuisse priscos, Deum Patrem etiam secundum divinitatem Filio majorem esse; deinde docuisse ipsos nihilo minus, Patrem sola origine Filio majorem esse; secundum naturam vero ambos esse æquales. Hoc utrumque consentiente suffragio tradidisse veteres ostendemus, ab iis Patribus, qui ante Arianam controversiam scripserunt, initium facientes.

2. Ex quibus Justinus, omnium pene antiquissimus, ordinem quendam, et dignitatis quasi gradus in SS. Trinitate manifeste statuit. Nam in Apologia, quæ in vulgatis editionibus Secunda dicitur[y], ait Christianos Filium Dei ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντας, "in "secundo loco habentes, cum ratione venerari." Et continuo ibidem iterum dicit, Christianos jure merito Jesu Christo δευτέραν χώραν μετὰ τὸν ἄτρεπτον καὶ ἀεὶ ὄντα Θεὸν καὶ γεννήτορα τῶν ἁπάντων διδόναι· "Secundas post "incommutabilem et sempiternum Deum ac Paren-

[y] Pag. 60. [Apol. I. 13. p. 51.]

" tem omnium deferre." Idem in eadem Apologia [z], Ἡ δὲ πρώτη δύναμις μετὰ τὸν πατέρα πάντων καὶ δεσπότην Θεὸν, καὶ υἱὸς, ὁ λόγος ἐστίν. i. e. " Prima autem Pote-
" stas post Parentem et Dominum universorum
" Deum, et Filius, Verbum est." Cui geminum est quod in eadem rursus Apologia [a] Filium appellat τὴν μετὰ τὸν πρῶτον Θεὸν δύναμιν, " proximam post primum
" illum Deum Potestatem." Denique in Dialogo cum Tryphone [b] Filium nuncupat Θεὸν ὑπηρέτην ὄντα τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ, " Deum, qui administer est Dei
" universorum creatoris." Idem tamen Justinus alibi, nempe in Epistola ad Diognetum, Filium Dei ὑπηρέτην esse diserte negat, ipsum Opificem et Creatorem omnium illum appellans. Locum illustrissimum integre citatum reperies supra II. 4. 7. [p. 191.] Quomodo autem, inquies, componi hæc possint? facile, inquam ego. Cum Filius dicitur proximus et secundus post Patrem, et minister Patris, hæc personarum subordinationem, quatenus altera ex altera originem habet, non differentiam aut inæqualitatem naturæ in personis divinis significant. Pater, ut Pater, in sacrosancta Triade primus est; Filius post Patrem secundus. In operationibus divinis omnibus minister est Patris Filius, quatenus hic a Deo Patre, (qui est fons et origo ut essentiæ, ita operationum divinarum omnium,) operatur, et Deus Pater per ipsum; non ab ipso Deus Pater, aut per Patrem ipse. Unde Clemens Alexandrinus, quo nemo magis catholice de hoc articulo sensit, non dubitavit tamen ita de Filio Dei scribere [c]; Πᾶσα δὲ ἡ τοῦ κυρίου ἐνέργεια ἐπὶ τὸν παν- 259
τοκράτορα τὴν ἀναφορὰν ἔχει, καὶ ἔστιν, ὡς εἰπεῖν, πατρική τις

[z] Pag. 74. [§. 32. p. 63.]
[a] Pag. 93. [§. 60. p.
[b] Pag. 279. [§. 57. p. 154.]
[c] Strom. VII. p. 703.

ἐνέργεια ὁ υἱός. i. e. "Omnis autem Domini operatio "relationem habet ad Omnipotentem; et est Filius "paterna quædam, ut ita dicam, operatio." Interim Justinus plerisque in locis, ubi Filium Patris ministrum vocat, οἰκονομίαν illam respicit, quam ipse Filius non ab incarnatione sua primum, sed ab ipso lapsu humani generis sponte suscepit, ob hominum salutem procurandam, ut postmodum docebo. Cæterum minister Dei Patris esse merito negatur Filius, respectu divinæ ejusdem naturæ, quam cum Patre communem, etsi a Patre communicatam, habet; hoc est, quatenus ex creaturis Dei neutiquam est, quæ proprie supremo Deo ministrare et servire dicuntur, sed Deus verus, perinde ac Pater. Merito quoque ipse Opifex et Creator omnium dicitur Filius, perinde ac Pater, quatenus cum a Patre naturam atque omnipotentiam divinam acceperit, non aliena tamen, sed sua, hoc est sibi insita et naturali virtute et omnipotentia universa condidit. Sane veteres nonnulli dixerunt etiam Patrem per Filium, ut *instrumentum*, hunc mundum condidisse; intelligentes nimirum instrumentum non *extraneum*, sed *connaturale*, ut bene alicubi monuit Grotius. Hinc Irenæus ministrare dixit Patri Filium[c], etiam in ipsa rerum creatione; qui tamen, si quisquam alius, ἰσότητα Patris et Filii κατὰ φύσιν spectatorum agnovit: quemadmodum jam supra luculenter ostendi, et paulo inferius adhuc clarius ostensurus sum. Rem totam plene et accurate complexus est paucis verbis ipse alibi Justinus, nempe in Dialogo ad Tryphonem[d]; ubi ad locum Geneseos, *Pluit Dominus ignem a Domino de cœlo*, hæc annotat; Δύο ὄντας ἀριθμῷ μηνύει ὁ λόγος ὁ προφητικός· τὸν μὲν ἐπὶ γῆς ὄντα, ὅς φησι καταβε-

[c] [Vide supra, p. 225.] [d] Pag. 358. [§. 129. p. 222.]

βηκέναι ἰδεῖν τὴν κραυγὴν Σοδόμων· τὸν δὲ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπάρχοντα, ὃς καὶ τοῦ ἐπὶ γῆς κυρίου κύριός ἐστιν, ὡς Πατὴρ καὶ Θεὸς, αἴτιός τε αὐτῷ τοῦ εἶναι, καὶ δυνατῷ, καὶ κυρίῳ, καὶ Θεῷ. i. e. "Duos propheticus sermo numero esse in-
" dicat; alterum in terris, quem descendisse ait ad
" clamorem Sodomorum inspiciendum; alterum in
" cœlis, qui etiam Dominus est Domini in terra ap-
" parentis, nempe quatenus ejus Pater et Deus est,
" atque auctor ipsi ut sit [e], et quidem præpotens, et
" Dominus, et Deus ut sit." Dico, ex hac una brevi sententia clavim nobis porrigi, ad sensum Justini aperiendum iis in locis ubi minus honorifice de Filio Dei loqui videatur. Docet hic, Deum Patrem esse Deum ac Dominum Filii sui; quomodo? quatenus est fons divinitatis, et causa Filio, ut sit. Idem tamen eodem spiritu haud minus aperte docet, Filium esse Deum ac Dominum, perinde ac Patrem; sive Patrem dedisse Filio ut sit quod ipse est, nempe Deus ac Dominus. Patre igitur minor est Filius κατ' αἰτίαν· æqualis vero est Patri Filius κατὰ φύσιν· Deus ac Dominus est Filius æque ac Pater; et in hoc solo discrepat a Patre Filius, quod Deus et Dominus sit a Patre Deo ac Domino; hoc est, Deus licet de Deo sit, de vero tamen Deo Deus verus est, ut definivit synodus ipsa Nicæna. Atque hanc ipsam Justini mentem esse (siquid forte in verbis tam disertis obscurum videri cuiquam possit) hinc certius colligimus, quod in proxime præcedentibus generationem Filii ex Patris essentia describens dixerat, Filium ex Patre genitum esse non per dispertitionem paternæ essentiæ, sed per simplicem communicationem, qualis est inter ignem accendentem

[e] [Male post εἶναι Bullus interpunxit: verte, *auctor ipsi ut* [illegible] *potens sit et Dominus et Deus.*]

et ignem accensum. Ignis accensus natura plane idem est quod ignis a quo accenditur, sicut alibi[e] expresse monet ipse Justinus; neque ulla in re ab ipso differt, nisi communicatione illa. Ita nimirum Filius verum lumen est divinum, perinde ac Pater; neque ipsi ulla ratione inferior est, nisi quod sit *lumen de lumine*, ut rursus decrevit synodus Nicæna. Ac sane, ut semel illud lectori suggeram, quisquis Filium Patri ὁμοούσιον esse agnoscit, (quod agnoverunt cum Justino primævi Patres ad unum omnes, ut in superioribus ostendi,) is eo ipso consequenter Filium Patri κατὰ φύσιν æqualem esse necessario confitetur. Quomodo enim, te obsecro, credere aliquis potest, eandem divinam naturam Filio cum Patre communem esse, qui putat, essentiali aliqua divinæ naturæ proprietate Filium carere, ac propterea Patre inferiorem esse? si Christus Dei Filius est, et quidem verus, nempe ex ipsa essentia paterna progenitus, necesse est æqualis genitori suo sit, quod ad naturam spectat, hoc est, in iis, quæ Patri, qua est Deus, competunt. Id quod in animantium omnium, et hominum speciatim, propagatione cernimus; quippe omnes homines natura pares et æquales sunt, atque accidentibus tantum differunt, quæ in naturam divinam nulla cadunt. Imo nulla substantia magis et minus admittit: quæ autem magis ac minus non recipiunt, nulla potest dissimilitudinis aut majoris ac minoris perfectionis inter illa fieri contentio. Sed illud obiter. Ab Justino ad alios Patres transeo.

3. Irenæus Patrem Filio majorem esse diserte
260 pronuntiat lib. II. cap. 49.[f] " Solus," inquit, " verax " magister est Dominus, ut discamus per ipsum,

[e] Vid. II. 4. 3, [p. 181.] [f] [c. 28, 8. p. 158.]

" super omnia esse Patrem. Etenim *Pater*, ait, *ma-*
" *jor me est.*" Sed ibi humanam imprimis Christi naturam respexisse sanctum scriptorem, supra [p. 227.] ostendi. Verum in lib. III. cap. 8.[g] præcepisse ait Patrem Filio, ut mundum faceret; et IV. 17.[h] Filium ministrare Patri in omnibus dicit; quæ ἐξοχὴν quandam Patris supra Filium, etiam qua maxime proprie Dei Filius est, manifeste significant. Idem tamen Irenæus alibi (nempe lib. IV. cap. 8.) dicit " immensum Patrem in Filio mensuratum, mensura " enim Patris Filius, quoniam et capit eum." Quo in loco Patris et Filii æqualitatem, quod ad naturam attinet, perspicue declarari, in superioribus[i] abunde demonstravimus. Itaque juxta Irenæum, idem Filius, qui suæ respectu ex Patre originis, et susceptæ οἰκονομίας, ipso minor est, ratione naturæ divinæ, quam cum Patre communem habet, ipsi æqualis est; ita scil. ut ipsum immensum Patrem, quantus quantus sit, totum capiat comprehendatque. Itidem in celebri illo loco lib. II. cap. 43.[k] ubi comparationem instituit inter Verbum et creaturas, hoc præcipuum discrimen expresse notat, quod nulla creatura *æqualis sit Factori*, hoc est Deo Patri; eo ipso manifeste significans, Verbum et Filium Dei Deo Patri prorsus æqualem esse. Locum Irenæi integrum videas adductum sect. II. 5. 5. [p. 219.] Sed quid multis opus est? legat, quisquis hac de re dubitat, Irenæi II. 24.[l] Ibi in eo totus est vir sanctus, ut ostendat contra Valentinianos, non nisi perabsurde, neque absque blasphemia statui posse, τὸν λόγον imperfectum a Patre perfecto emissum esse. Acriter ibidem reprehendit

[g] [§. 3. p. 183.] [h] [c. 7, 4. p. 236.] [i] Vid. II. 5. 4. [p. 215.]
[k] [c. 25, 3. p. 153.] [l] [c. 17, 7. p. 139.]

eosdem hæreticos, qui cum Nun suum, perfectum Æonem et Parenti omnium prorsus æqualem statuerent, τὸν λόγον tamen, Nu progeniem, imperfectum, et in deminoratione, ut interpres loquitur, positum esse crediderint. Ex multis quæ in capite illo eo spectant, hæc pauca recitabimus: "Non enim," inquit, "ut compositum animal quiddam est omnium Pater, "præter Nun, quemadmodum præostendimus; sed "Nus Pater, et Pater Nus. Necesse est itaque et "eum qui ex eo est Logos, imo magis autem ipsum "Nun, cum sit Logos, perfectum et impassibilem "esse." Et mox, "Non igitur jam Logos, quasi "tertium ordinem generationis habens, ignoravit "Patrem, quemadmodum docent hi. Hoc enim in "hominum quidem generatione fortasse putabitur "verisimilius [m] esse, eo quod sæpe ignorant suos "parentes; in Logo autem Patris omnimodo impos-"sibile est." Postmodum ibidem fidenter pronuntiat, "a recta ratione cœcutientes esse, qui Sermo-"nem in deminorationem emissum dicunt." Certo itaque certius est, Irenæum Dei Patris et τοῦ λόγου seu Filii ipsius æqualitatem, quod naturam utriusque spectat, agnovisse.

4. Clemens Alexandrinus Filium Dei post Patrem suum proximam esse potestatem nonnullis visus est docuisse Strom. VII. quem locum adduximus sect. II. 6. 6. [p. 247.] Sed idem Clemens Pædag. I. 6. (cujus etiam loci verba supra ibidem [p. 243.] attuli,) Filium dicit esse "Verbum per-"fectum, ex perfecto Patre natum:" hoc est, Filium Patri suo, a quo progenitus est, nullo perfectionis genere inferiorem. Disertius vero loquitur in loco antea [n] itidem a nobis citato ex admo-

[m] [Al. *verisimile.*] [n] [II. 6, 3. p. 243.]

nitione ad gentes[o]: Ὁ θεῖος λόγος, ὁ φανερώτατος ὄντως Θεὸς, ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθείς· ὅτι ἦν υἱὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ Θεῷ. i. e. "Verbum divinum, qui re-"vera est Deus manifestissimus, et universorum "Domino exæquatus; quoniam erat ejus Filius, et "Verbum erat in Deo." En! Verbum seu Filium Dei, quem respectu originis Patri proximum et secundum alibi dixerat, hic Patri exæquatum esse diserte pronuntiat; idque eo nomine, quod ipsius Filius sit, hoc est, ex ipso natus, ejusdemque cum ipso naturæ et essentiæ; quodque in Deo sit Verbum, id est, in ipsa essentia divina, in qua nihil imperfectum est, subsistat. Apprime autem notandum est, Clementem eodem quasi spiritu, quo Filium Patri æqualem statuit, ἐξοχὴν tamen quandam et prærogativam Patris præ Filio agnoscere, dum Patrem appellat universorum Dominum. Scilicet Deus Pater διακριτικῶς dicitur Dominus universorum, quia causa est et origo non modo creaturarum omnium, sed et ipsius Filii sui, diversa licet ratione; hujus nempe causa est per æternam ex ipsa essentia sua generationem; illarum per productionem ex nihilo, quæ in tempore facta est. Salva igitur hac Patris prærogativa, qua Pater est et origo τοῦ ὄντος *entis universi*, docet Clemens, Filium ipsi æqualem esse; nempe quatenus eandem naturam divinam cum Patre communem habet. Mira vero sunt, quæ ad illustrem hunc Clementis locum respondet Sandius[p]; "Apparet," inquit, "corruptum esse." Itane vero? proferat igitur Sandius vel unum codicem, in quo locus aliter legatur? non potest. Sed nimirum antiquum hic obtinet sophista. Quotiescunque veteris

[o] [11. p. 86.] [p] Append. ad Nucl. H. E. p. 99. et 19[illegible]

alicujus testimonio premitur, cujus vim alia ratione nequit eludere, nodum, quem solvere non potest, secare solet; impudenter asserens, reclamante licet omnium codicum consensu, depravatum esse locum,
261 auctorem aliter sensisse et scripsisse. Quis autem nugatori jus illud dedit in veteres scriptores, ut quicquid in iis ipsi displicet, tanquam spurium rejiceret? " Atqui," inquit, " ex ratione producta apparet esse " corruptum; immediate enim subjungit Clemens, " *Quoniam erat ejus Filius.* Ex qua ratione con- " trarium omnino gentibus elicere pronum erat, qui- " bus nunquam in mentem venerat, Filium statuere " Patri æqualem et coævum." Sed quorsum hic addidit Sandius vocem *coævum?* nimirum in loco citato vocabulum illud non habetur, neque in eo directe agit Clemens de Filii τῷ συναϊδίῳ, (illud aliis in locis asseruit, quæ alibi adduximus,) sed de eo quod natura æqualis sit Patri; quod rectissime inde colligit, quod Patris sit verus et genuinus filius, ex ipsius substantia progenitus, atque in ipso subsistens. Hæc, inquam, illatio omnium judicio firma et solida est. Nam Pater homo et Filius homo, respectu ejusdem humanæ naturæ utrique communis, pares et prorsus æquales sunt, ut paulo ante dixi. Cæterum si Clemens Filium esse Patri etiam coævum ex eadem ratione collegisset, a scopo non aberrasset. Filii τὸ συναΐδιον ex ejus τῷ ὁμοουσίῳ necessario sequitur, quemadmodum alibi ostendimus. Quanquam enim in hominum genere necesse sit, Filius Patre suo tempore sit posterior; de Deo tamen prorsus aliter statuendum esse, ipsa ratio suadet. Non potest persona aliqua ex et in ipsa divina essentia incipere existere, quæ prius non fuit, salva naturæ divinæ immutabilitate. Atqui immutabilem esse Deum, est κοινὴ om-

nium hominum ἔννοια. Itaque si Filius sit verus et genuinus Dei Patris Filius, hoc est, ex substantia Patris ortum habens, et in ipso subsistens, necesse est, Patri suo ut natura æqualis, ita coævus et coæternus sit. Responsionem suam sic demum claudit Sandius: "Qua ratione," inquit, "Clemens Filium "Patri æqualem statuere potuerit, non video, qui "eum *patriæ voluntatis ministrum* dicit." Verum si nondum, dum ista scriberet, hoc vidit Sandius, videat illud tandem ex iis, quæ in hoc capite disseruimus. Profecto, ut libere dicam, quæ hic et in sequentibus disputat enucleator, hominem sapiunt, qui non modo a fide catholica alienus sit, sed et recto judicio destitutus. Det ipsi Deus mentem saniorem [p].

5. Clementi subjungendus est Tertullianus; qui multis in locis Patri præ Filio ὑπεροχὴν manifeste tribuit; quod per Petavium, Sandium et alios jam pene omnibus notum est; ut in locis ipsis citandis operam et oleum frustra impenderem. Sed idem Tertullianus, quod fere siluerunt isti, sæpe etiam, nec minus aperte et expresse, Filium Patri natura æqualem esse statuit. Docet enim lib. IV. cont. Marc. c. 25.[q] Patrem "Filio se non minori tradidisse omnia, quæ "per eum condidit." Quem ad locum quæ respondit Sandius, risu potius quam refutatione digna sunt; nodum scilicet in scirpo quærit. Idem Tertullianus diserte dicit, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum *unius* non modo *substantiæ*, sed et *potestatis* esse; omnia Patris *nomina* et *attributa* in Filium etiam *competere*; Filium *pariari*, ut loquitur, et *parem*

[p] [Vid. hæc Clementis verba denuo ab auctore examinata et explicata in Resp. ad G. Clerke. §. 7.]

[q] [Pag. 440.]

esse Deo Patri; Deum Patrem et Filium *jungi et æquari*. Expressa loca, quæ nullum effugium patiantur, recitavimus ad II. 7. 4. [p. 260.] Locis vero istis et hæc adjicias. Tertullianus libro de Pudicitia c. 21.[r] agnoscit, quod et supra observavimus, "Trinitatem "unius divinitatis, Patrem, et Filium, et Spiritum "Sanctum." Quibus verbis omnes tres personas divinitatis natura prorsus æquales esse, significare voluisse Tertullianum constat. Sic enim ipse adversus Hermogenem cap. 7.[s] "Neque enim," inquit, "proximi "erimus opinionibus nationum, quæ si quando co- "guntur Deum confiteri, tamen et alios infra illum "volunt. Divinitas autem gradum non habet, ut- "pote unica." Et mox, "Minor se (divinitas) nus- "quam poterit esse." Unde et idem in eodem libro c. 18. expresse docet, Deum ab æterno habuisse Sophiam suam sibi coexistentem, tanquam "non sibi "subditam, non statu diversam." Ubi Sophiam, sive Filium Dei, æqualem et parem esse Deo, cujus est Sophia, ex eo aperte colligit, quod non statu ab ipso diversa, hoc est, ipsi ὁμοούσιος illa sit. Quando igitur lib. adv. Prax. c. 2.[t] Tertullianus dicit, Patrem, Filium, et Spiritum S. tres esse "non statu, sed gradu;" omnino per *gradum* intelligit *ordinem*, non autem majorem, aut minorem divinitatem. Quos enim gradu tres esse fatetur, hos statu diversos esse negat. Tertulliano autem, uti vidimus, aliquid statu ab altero diversum non esse, idem valet atque illud ipsi non esse subditum, sed par et æquale. Unde ibidem mox expresse dicit Tertullianus, tres personas sacræ Triados omnes esse *unius potestatis*; et consequenter neutram altera potentiorem, aut præstantio-

[r] [Pag. 574.] [s] [Pag. 235.] [t] [Pag. 501.]

rem esse. Itaque divinitas gradum non habet, hoc est, nusquam se minor est, ut seipsum Tertullianus diserte interpretatur; in divinitate tamen gradus sunt, hoc est, ordo quidam personarum est, quarum altera ab altera originem suam trahit; ita ut Pater sit prima persona, a seipso existens; Filius a Patre secundus; tertius vero Spiritus Sanctus, qui a Patre 262
per Filium, sive a Patre et Filio procedit. Quare immerito viri quidam docti Tertulliano dicam impegerunt hæresis Apollinaris, qui in divinis personis statuebat *βαθμοὺς τῶν ἀξιωμάτων*, ut Græci theologi loquuntur; et dicebat, referente Theodoreto[u] in Trinitate esse *τὸ μέγα, μεῖζον, μέγιστον· ὡς μεγάλου μὲν ὄντος τοῦ πνεύματος, τοῦ δὲ υἱοῦ μείζονος, μεγίστου δὲ τοῦ Πατρός.* i. e. "Magnum, majus, maximum; tanquam mag-"nus quidem foret Spiritus, Filius major, maximus "Pater." Sane deliramentum istud apertissime rejecit scriptor doctissimus. Cum Tertulliano autem concinit Novatianus, sive scriptor libri de Trinitate, Tertulliani operibus inserti. Nam et ille Filium Patre minorem esse dum statuit, ita se explicat, ut minoritatem istam, (si ita loqui liceat,) ad solum originis respectum referat. Verba ejus expressa sunt cap. 31.[x] "Necesse est," inquit, "ut Filius Patre "minor sit, dum in illo esse se scit, habens origi-"nem, quia nascitur." Ad ipsam vero divinam naturam quod attinet, unum esse Patrem et Filium, idem diserte docet. Quippe cap. 23. prope finem illa Domini nostri verba ad Judæos explicans, *Ego et Pater unum sumus*, sic scribit; "Ita quod ad "crimen blasphemiæ pertinet, Filium se non Pa-

[u] Theodoret. de Hær. fab. f. 107. [IV. 8. vol. IV. p. 240.]
[x] [Pag. 729.]

" trem dicit; quod autem ad divinitatem spectet " ipsius, *Ego et Pater unum sumus* dicendo, Fi- " lium se esse et Deum probavit. Deus est ergo, " Deus autem sic, ut Filius sit, non Pater." Sensus auctoris manifestus est; Christus in sermone suo ad Judæos et Patris ἐξοχὴν ac prærogativam, et suam simul divinitatem veram, paternæ æqualem, sartam tectam conservavit; illam eo, quod Patrem agnoverit, se vero Filium confessus fuerit; hanc, se et Patrem unum esse dicendo. Unde infert auctor, verum Deum esse Filium, perinde ac Patrem, cum hoc solo discrimine, quod hic Pater, ille Filius sit.

6. Origenes Patris prærogativam, ad Filium comparati, ex professo tuetur lib. VIII. contra Celsum [y]; Ἔστω δὲ, inquit, τινὰς ὡς ἐν πλήθει πιστευόντων, καὶ δεχομένων διαφωνίαν, διὰ τὴν προπέτειαν ὑποτίθεσθαι, τὸν σωτῆρα εἶναι τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεόν· [z] ἀλλ' οὔτι γε ἡμεῖς τοιοῦτον, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι, Ὁ Πατὴρ, ὁ πέμψας με, μείζων μου ἐστί. i. e. " Esto autem non deesse quosdam in tam nu- " merosa credentium multitudine, qui discrepantes " ab aliis temere affirment, quod Servator sit Deus " ille universorum Dominus; nos certe hoc non faci- " mus, qui credimus ipsi dicenti, *Pater qui misit* " *me, major me est.*" Noetianos, ut supra observavimus, perstringit, qui dicebant Servatorem esse ipsum Deum Patrem, qui universorum Dominus appellatur. Adversus quos ostendit, ita alium a Patre Servatorem esse, ut hic quadam ratione illo etiam minor sit. Et hanc professionem suam tanquam communem ecclesiæ doctrinam tradit, eos qui aliter docerent, in heterodoxorum numero reponens. Paulo

[y] [§. 14. p. 752.]

[z] [Ed. Benedict. leg. τὸν μέγιστον ἐπὶ πᾶσι Θεὸν, ut supra monuimus ad II. 9. 12. p. 325.]

post ibidem Celso, hæreticum Marcionis dogma, qui docuit, Jesum, qui est a Deo Patre, super mundi Fabricatorem Deum esse, (teste Irenæo I. 29.[a] et Justino Apol. II. p. 70.[b] et Tertul. adv. Marc. I. 14. et Theodoret. I. de Hær. Fab. in Marcione[c],) Christianis tanquam communem ipsorum sententiam objicienti, ita respondet; Σαφῶς γὰρ ἡμεῖς, οἱ λέγοντες τοῦ πάντα κτίσαντος καὶ τὸν αἰσθητὸν κόσμον εἶναι, φαμὲν τὸν υἱὸν οὐκ ἰσχυρότερον τοῦ Πατρὸς, ἀλλ' ὑποδεέστερον· καὶ τοῦτο λέγομεν, αὐτῷ πειθόμενοι εἰπόντι τὸ, Ὁ Πατὴρ, ὁ πέμψας με, μείζων μου ἐστί. i. e. "Manifeste enim nos, qui dici-"mus, etiam visibilem hunc mundum ejus esse qui "universa condidit, prædicamus," (ita enim Græca Origenis vertenda sunt, non ut reddidit Gelenius, sensum loci minime intelligens,) "Filium non esse "fortiorem Patre, sed inferiorem. Id quod ipsius "auctoritate affirmamus dicentis, *Pater qui misit* "*me, major me est.*" Denique idem Origenes V. cont. Celsum[d], Filium appellat τὸν δεύτερον Θεὸν, *secundum illum Deum*. Verumtamen hic ipse Origenes non uno in loco, Filium Patri æqualem et parem esse, manifeste docet. Quippe in libro VI. cont. Celsum[e], affingenti Epicureo Christianis verba ista, "Quoniam magnus est Deus et contemplatu "difficilis, ideo proprio Spiritu immisso in corpus "nostro simile, demisit eum huc, ut ex ipso posse-"mus audire atque discere;" ita respondet; Οὐ μόνος δὲ μέγας καθ' ἡμᾶς ἐστὶν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς καὶ Πατήρ· μετέδωκε γὰρ ἑαυτοῦ καὶ τῆς μεγαλειότητος τῷ μονογενεῖ καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως· ἵν' εἰκὼν αὐτὸς τυγχάνων τοῦ ἀοράτου Θεοῦ καὶ ἐν τῷ μεγέθει σώζῃ τὴν εἰκόνα τοῦ Πατρός. οὐ γὰρ

[a] [c. 27. 2. p. 106.] [b] [I. 26. p. 59.] [c] [I. 24. p. 209.]
[d] Pag. 258. [§. 39. p. 608.] [e] Pag. 323. [§. 69.

οἱόντε ἦν, εἶναι σύμμετρον, ἵν' οὕτως ὀνομάσω, καὶ καλὴν εἰκόνα τοῦ ἀοράτου Θεοῦ, μὴ καὶ τοῦ μεγέθους παριστᾶσαν τὴν εἰκόνα. i. e. "Juxta nostram autem doctrinam non solus "universorum Deus et Pater magnus est; commu- "nicavit enim etiam suam magnitudinem cum uni- "genito et primogenito omnis creaturæ; ut cum "ipse sit invisibilis Dei imago, magnitudinis quoque "ratione servaret imaginem Patris. Neque enim "potuit esse proportionata, ut ita dicam, et pulchra "imago invisibilis Dei, nisi etiam magnitudinis ejus "exhiberet imaginem." Ubi vides illum Origenem,
263 qui alibi dicit, Filium esse Patre minorem, hic diserte affirmantem, Patrem cum Filio etiam magnitudinem suam communicasse, ita ut Filius Patri suo magnitudine prorsus respondeat. Qua ratione hæc secum invicem concilies? Res manifesta est; Filius Patre minor est, suæ respectu originis; Patris vero magnitudinem exæquat, quatenus ex ipso natus eandem divinam naturam cum ipso communem habet. Tantus est Filius, quantus est Deus Pater; sed hoc ipsum ut tantus sit, Patri acceptum refert. Quin et idem Origenes loco paulo ante citato ex libro V. cont. Celsum ita Filium prædicat δεύτερον Θεὸν, ut hanc cautionem expressam subjiciat, ne id de perfectione aliqua divina, quæ in Patre sit et non in Filio, intelligatur. Verba sunt; Κἂν δεύτερον οὖν λέγωμεν Θεὸν, ἴστωσαν ὅτι τὸν δεύτερον Θεὸν οὐκ ἄλλο τι λέγομεν, ἢ τὴν περιεκτικὴν πασῶν ἀρετῶν ἀρετήν. i. e. "Ergo "etiamsi secundum Deum dicamus, sciant, quod se- "cundum illum Deum nihil aliud dicimus, quam vir- "tutem in se universas virtutes complectentem." Continuo ibidem Christi divinam personam vocat τὸν αὐτολόγον, καὶ τὴν αὐτοσοφίαν, καὶ τὴν αὐτοδικαιοσύνην· "ip- "sissimum illud Verbum, et ipsissimam illam Sapien-

" tiam, et ipsissimam illam justitiam." Significat igitur manifestissime Origenes, se aliosque Christianos catholicos, Filium Dei secundum Deum dicentes, neutiquam voluisse imperfectam divinitatem Filio ascribere; sed contra agnovisse, Filium ita secundum Deum esse, ut ipse Deus sit ipsissimus, neque ulla divinitatis perfectione illo minor, qui summus Deus dicitur, nempe Deo Patre; proinde hac tantum ratione secundum Deum dici Filium, quod Deus sit de Deo, hoc est, a Deo Patre originem suam habeat. Verbo dicam, Origenes Filium non alia ratione secundum Deum appellavit, quam eundem τάξει δεύτερον τοῦ Πατρὸς, " ordine secundum a Patre" dixit Basilius loco, quem mox adducemus. Hæc autem dum apud Origenem lego, quam piget me calumniatorum, qui doctissimo sanctissimoque Patri hanc hæresim tribuerunt, quod docuerit, " Filium collatum " cum Patre esse perparvum Deum!" Certe enim ex Patribus primævis vix quisquam est, qui blasphemiam istam apertius rejecerit.

7. Dionysius Alexandrinus in Responsionibus Epistolæ ad Paulum Samosatenum subjectis, Resp. ad Quæst. 4.[e] sic Christum ex Jeremia inducit loquentem; " Ego Christus persona semper existens, æqua- " lis Patri, quod ipsi in nullo sim dissimilis." Locum integrum, Græce quoque citatum, legas III. 4. 3. [p. 541.] Quid vero his verbis clarius? Filium Patri æqualem expresse dicit; quod et hac ratione probat, quod Filius in nullo sit Patri dissimilis, hoc est, eandem divinam naturam cum Patre communem habeat. Hoc scil. illud ipsum est, quod asserimus, veteres nempe doctores, qui concilium Nicænum antecesserunt, Filium Patri κατὰ φύσιν æqualem esse

[e] [Pag. 232.]

agnovisse. Idem Dionysius in iisdem Responsionibus[f], Αὐτός ἐστιν, inquit, ᾧ ὑπετάγη τὰ πάντα παρὰ τοῦ Πατρὸς, οὐκ ὢν ἐλάττων τοῦ Πατρὸς, ὑπὲρ ἡμῶν προσηύξατο. i. e. "Ipse est, cui omnia subjecta sunt a Patre, qui "cum non esset minor Patre, pro nobis precabatur." Hic diserte negat, Filium Patre minorem esse. Denique idem in Apologia apud Athanasium confitetur ἀμείωτον τὴν Τριάδα, *indiminutam Trinitatem*. Quo nihil aliud significare potest, quam divinitatem non esse in una SS. Trinitatis persona imminutiorem aut minorem, quam in altera; sed unicuique hypostasi integram, plenam ac perfectam divinitatem inesse. Vide locum integre citatum II. 11. 5. [p. 398.] in ipso fine[g]. Gregorii itidem Thaumaturgi symbolum ut coæternam, ita coæqualem quoque Trinitatem aperte prædicat. Nam clare asserit "Trinitatem perfectam, "quæ gloria, regno atque imperio non dividitur "neque abalienatur." Speciatim vero ad Filium quod attinet, docet eadem Confessio, Deum Patrem esse "perfectum perfecti genitorem." Deinde Spiritum Sanctum vocat "Imaginem Filii, perfecti perfec-"tam." Vide II. 12. 1. [p. 416.] Idem Gregorius in Panegyrica Oratione ad Origenem, quæ omnium confessione opus ejus genuinum est, ut Filium docet Patrem honorare ac laudare, (quod tum Patris ἐξοχὴν, qua Pater est, tum susceptam a Filio οἰκονομίαν ostendit,) ita Patrem quoque "honorasse Filium virtute suæ usquequaque æquali," ac Filio infinitam suam majestatem *circumscripsisse* expresse dicit. Vide ejusdem sectionis et capitis §. 4. [p. 423.] His concinunt sex episcopi, qui nomine totius synodi Antiochenæ ad Paulum Samosatenum scripsere Epistolam. Quippe

[f] Bib. Patr. tom. XI. p. 300. [Resp. ad Quæst. ult. p. 275.]

[g] Confer Annotata ad dictum caput. GRABE.

hæc ipsorum in Epistola illa[h] de Filio Dei verba sunt expressa; Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πάσῃ πεπίστευται Θεὸς μὲν, κενώσας ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἄνθρωπος δὲ καὶ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ τὸ κατὰ σάρκα. i. e. "In universa ecclesia, quæ sub cœlo est, creditur "Deus esse, qui seipsum exinanivit ab eo statu, in "quo Deo æqualis fuit; et homo simul, idque ex "semine Davidis, quod ad carnem attinet." Ubi 264 ecclesiæ catholicæ consensum se tradidisse profitentur, et nobilem Pauli apostoli locum Epist. ad Philipp. ii. 6. plane quemadmodum hodierni catholici, interpretantur. Porro ipsum Luciani martyris symbolum, quod tantopere venditarunt Ariani, expresse docet, Filium esse non modo Deum de Deo, sed et "totum de toto, et perfectum de perfecto;" quæ verba partiariam et imperfectam Filii divinitatem, qualem somniarunt hæretici, omnino excludunt. Vide II. 13. 5. [p. 442.] Denique Arnobii[i] ejusdem, qui sæpius Filium Dei verum atque ipsissimum Deum prædicat, expressa est sententia, quam supra[k] citavimus; "Deus ab altero, in eo quo Deus est, nulla "in re differt; nec quod unum est genere, suis esse "in partibus minus aut plus potest, qualitatis pro-"priæ uniformitate servata." Itaque juxta Arnobium Filius Dei, in eo quod Deus est, a Deo Patre nulla in re differt; neque plus est in Patre, quam in Filio; sed in utraque divina persona uniformis est divinitas; hoc est, Deus Pater et Filius κατὰ φύσιν prorsus æquales sunt. Nempe sensit cum Tertulliano Arnobius, "Divinitatem gradum non habere, neque "usquam se minorem esse posse." Idem tamen Arnobius non uno in loco Deum Patrem *summum*

[h] Bib. Patr. tom. XI. p. 300. [Reliq. Sacr. vol. II. p. 473.]
[i] [Lib. VII. p. 212.] [k] III. 4. 9. [p. 547.]

Deum appellat, ea scil. ratione, quam sæpius explicavimus.

8. Hactenus veterum sententiam, qui intra tria prima sæcula floruerunt, exposuimus. Cum his conspirasse doctores catholicos, qui post exortam controversiam Arianam scripsere, fideique a Nicænis Patribus sancitæ propugnatores fuere constantissimi, nunc ostendendum est. Alexander episcopus Alexandriæ, qui primus subnascentem Arii impietatem repressit, in Epistola, quam ad cognominem suum Constantinopolitanum antistitem scripsit[1], catholicam de Patris ἐξοχῇ ad Filium comparati doctrinam accurate explicat his verbis; Οὐκοῦν τῷ μὲν ἀγεννήτῳ Πατρὶ οἰκεῖον ἀξίωμα φυλακτέον, μηδένα τοῦ εἶναι αὐτῷ τὸν αἴτιον λέγοντας. τῷ δὲ υἱῷ τὴν ἁρμόζουσαν τιμὴν ἀπονεμητέον, τὴν ἄναρχον αὐτῷ παρὰ τοῦ Πατρὸς γέννησιν ἀνατιθέντας, καὶ ὡς ἐφθάσαμεν, αὐτῷ σέβας ἀπονέμοντες, μόνον εὐσεβῶς καὶ εὐφήμως τὸ ἦν, καὶ τὸ ἀεὶ, καὶ τὸ πρὸ αἰώνων λέγοντες ἐπ' αὐτοῦ· τὴν μέντοι θεότητα αὐτοῦ μὴ παραιτούμενοι, ἀλλὰ τῇ εἰκόνι καὶ τῷ χαρακτῆρι τοῦ Πατρὸς ἀπηκριβωμένην ἐμφέρειαν κατὰ πάντα ἀνατιθέντες· τὸ δὲ ἀγέννητον τῷ Πατρὶ μόνον ἰδίωμα παρεῖναι δοξάζοντες, ἅτε δὴ καὶ αὐτοῦ φάσκοντος τοῦ σωτῆρος, ὁ Πατήρ μου μείζων μου ἐστί. i. e. " Itaque Patri quidem inge-
" nito propriam dignitatem servare oportet, nullam
" eum habere existentiæ suæ causam dicendo. Filio
" vero congruus honor tribuendus est, principio ca-
" rentem ex Patre generationem ei adsignando, cul-
" tumque ei, sicut diximus, exhibendo; ita ut tan-
" tummodo *erat*, et *semper*, et *ante sæcula*, pie et
" religiose de illo prædicemus; divinitatem quidem
" ejus nequaquam rejicientes, sed imagini et exem-
" plari Patris exacte respondentem in omnibus simi-

[1] Apud Theodorit. E. H. I. 4. p. 18. edit. Valesii. [p. 19.]

" litudinem ei adscribentes; solum vero ingenitum " Patris proprium esse dicamus, cum et ipse Ser- " vator dixerit, *Pater major me est.*" Verba commentario non indigent. Alexandro autem concinit ejus successor in sede Alexandrina Athanasius, qui verba Servatoris, *Pater major me est*, exponens in Oratione secunda contra Arianos [m] ita scribit; Ὁ *υἱὸς οὐκ εἴρηκεν, ὁ Πατήρ μου κρείττων μου ἐστὶν, ἵνα μὴ ξένον τις τῆς ἐκείνου φύσεως αὐτὸν ὑπολάβοι· ἀλλὰ μείζων εἶπεν, οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ Πατρὸς γέννησιν.* i. e. " Non dixit Filius, Patrem se " meliorem esse, ne quis ipsum externum alienum- " que a Patris natura existimaret; sed *Pater*, in- " quit, *major est;* non quidem magnitudine aliqua, " aut ætate, sed propter generationem ex ipso " Patre."

9. Basilius M. in primo contra Eunomium [n] rem luculenter explicat his verbis; Ἐπειδὴ *γὰρ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς ἡ ἀρχὴ τῷ υἱῷ, κατὰ τοῦτο μείζων ὁ Πατὴρ, ὡς αἴτιος καὶ ἀρχή. διὸ καὶ ὁ Κύριος οὕτως εἶπεν· ὁ Πατήρ μου μείζων μου ἐστὶ, καθὸ Πατὴρ δηλονότι. τὸ δὲ, Πατὴρ, τί ἄλλο σημαίνει, ἢ οὐχὶ τὸ αἰτία εἶναι, καὶ ἀρχὴ τοῦ ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντος; ὅλως δὲ οὐσία οὐσίας καὶ κατὰ τὴν ὑμετέραν σοφίαν μείζων καὶ ἐλάττων οὐ λέγεται.* i. e. " Quoniam enim a Patre " principium est Filio, ideo major est Pater, ut causa " et principium. Quapropter etiam Dominus sic " dixit, *Pater meus major me est;* quatenus vide- " licet est Pater. Vox autem ista, *Pater*, quid aliud " significat, nisi quod causa sit et principium ejus " qui a se genitus est? Prorsus autem substantia " major substantia, vel minor, etiam secundum sa- " pientiam vestram non dicitur." Idem in libro tertio

[m] Oper. tom. I. [Orat. I. 58. p. 462.]

[n] Oper. tom. I. p. 724. [§. 25. vol. I. p. 236.]

haud longe ab initio [o], Ὁ υἱὸς, inquit, τάξει μὲν δεύτερος τοῦ Πατρὸς, ὅτι ἀπ' ἐκείνου· καὶ ἀξιώματι, ὅτι ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτοῦ ὁ Πατήρ [p]. i. e. "Filius ordine qui- "dem secundus est a Patre, quoniam est ab illo; et "dignitate, quoniam principium et causa ut sit ipse, "Pater est." Similiter Gregorius Nazianzenus Orat. XXXVI.[q] Τὸ μεῖζον μὲν, inquit, ἐστὶ τῆς αἰτίας· τὸ δὲ ἴσον, τῆς φύσεως. i. e. "Majoris ratio ad causam perti- "net, æqualis ad naturam." Et mox ibidem interpretationem eorum, qui majorem Filio homine Patrem
265 dici volunt, refellit hac non contemnenda ratione; Τὸ γὰρ δὴ λέγειν, ὅτι τοῦ κατὰ τὸν ἄνθρωπον νοουμένου μείζων, ἀληθὲς μὲν, οὐ μέγα δέ· τί γὰρ θαυμαστὸν, εἰ μείζων ἀνθρώπου Θεός; i. e. "Nam dicere, illud *major* ratione naturæ "humanæ esse intelligendum, verum id quidem est, "sed non magnum; quid enim mirum, si major est "homine Deus?" Denique idem in Oratione quadragesima [r] sic scribit; Οὐ γὰρ κατὰ τὴν φύσιν τὸ μεῖζον· τὴν αἰτίαν δέ. οὐδὲν γὰρ τῶν ὁμοουσίων τῇ οὐσίᾳ μεῖζον ἢ ἔλαττον· "Majus enim non ad naturam refertur, sed ad cau- "sam; neque enim quidquam eorum, quæ eandem "habent substantiam, substantia majus aut minus "est." Quem ad locum hæc annotat Nicetas; "Quo- "niam Filius a Patre causam habet, hac ratione "Pater major est, utpote causa. Nullo autem modo "essentia unius essentia alterius major aut minor "est." Chrysostomus Homil. LXXII.[s] in Joan. Εἰ δὲ, inquit, λέγοι τις μείζονα εἶναι τὸν πατέρα, καθ' ὃ αἴτιος τοῦ υἱοῦ, οὐδὲ τοῦτο ἀντεροῦμεν. i. e. "Si quis dixerit, ma-

[o] [Pag. 272.]
[p] [Ed. Bened. legit τῷ εἶναι αὐτοῦ πατέρα.]
[q] Pag. 582. [Orat. XXX. 7. p. 544.]
[r] Pag. 669. [Orat. XL. 43. p. 725.]
[s] [LXXV. 4. vol. VIII. p. 448.]

" jorem esse Patrem, qua causa est Filii, neque in " eo contradicimus." Item Cyrillus Alexandrinus in Thesauris, lib. XI.[t] majorem, quatenus causa est, appellari Patrem affirmat his verbis; Ἴσος τοιγαροῦν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον ὑπάρχων ὁ υἱὸς τῷ Πατρὶ, καὶ ὅμοιος κατὰ πάντα, μείζονα αὐτόν φησιν, ὡς ἄναρχον, ἔχων ἀρχὴν κατὰ μόνον τὸ ἐξ οὗ, εἰ καὶ σύνδρομον αὐτῷ τὴν ὕπαρξιν ἔχει. i. e. " Cum igitur secundum substantiæ rationem æqualis " sit Patri Filius, et per omnia similis, majorem " ipsum dicit, tanquam principio carentem, cum ha- " beat ipse principium, eo ipso duntaxat, quod ex " Patre est, tametsi concurrentem cum eo existen- " tiam habeat." Denique Joannes Damascenus de Orthod. Fide I. 6.[u] Εἰ δὲ, inquit, λέγομεν τὸν Πατέρα ἀρχὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ μείζονα, οὐ προτερεύειν αὐτὸν τοῦ υἱοῦ χρόνῳ ἢ φύσει ὑποφαίνομεν· δι' αὐτοῦ γὰρ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν· οὐδὲ καθ' ἕτερόν τι, εἰ μὴ κατὰ τὸ αἴτιον· τουτέστιν ὅτι ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐγεννήθη, καὶ οὐχ' ὁ Πατὴρ ἐκ τοῦ υἱοῦ· καὶ ὅτι ὁ Πατὴρ αἴτιός ἐστι τοῦ υἱοῦ φυσικῶς. i. e. " Quod si " dicimus Patrem esse principium Filii, eoque majo- " rem, non priorem illum esse Filio significamus " tempore, vel natura, (nam per ipsum fecit sæcula,) " aut alio quopiam, præterquam ratione causæ; ni- " mirum quia Filius a Patre genitus est, non Pater " a Filio; et quia Pater naturaliter est causa Filii."

10. Latinorum paucos ex compluribus testes adducemus. Marii Victorini ad eandem sententiam dicta ex libro primo contra Arium in præcedenti capite[x] recitavimus. Hilarius in nono libro[y] argute locum Joannis, *Pater major me est*, enarrat his verbis; " Aut nunquid Pater major non est? Major " utique Pater est, dum Pater est; sed Filius, dum

[t] [Vol. V.] p. 85.
[u] [I. 8. p. 136.]
[x] §. 4. [p. 692.]
[y] [IX. 56. p. 1022.]

" Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem " constituit majorem; minorem vero Filium esse, " nativitatis natura non patitur." Et paulo ante[z], " Major itaque Pater Filio est, et plane major, cui " tantum donat esse, quantus ipse est; qui innasci- " bilitatis esse imaginem sacramento nativitatis im- " pertit; quem ex se in formam suam generat." Idem libro undecimo[a], " In eo quod in sese sunt, " Dei ex Deo divinitatem cognosce. In eo vero " quod Pater major est, confessionem paternæ auc- " toritatis intellige." Auctor Quæstionum utriusque Testamenti, quæ in calce tomi quarti operum Augustini positæ sunt, Quæst. CXXII. sub finem[b]; " Nihil plane differt," inquit, " in substantia, quia " verus Filius est; differt autem in causalitatis gra- " du, quia omnis potentia a Patre in Filio est; et " in substantia minor non est Filius; auctoritate " tamen major est Pater." Et Augustinus ipse non modo propter humanam naturam a Filio assumptam, sed etiam ob æternam generationem, majorem eo dici Patrem asserit in libro de Fide et Symbolo cap. 9.[c] ubi illum Joannis locum " partim propter " administrationem suscepti hominis" dici ait; " par- " tim propterea, quia Filius Patri debet quod est; " hoc etiam utique debens Patri, quod eidem Patri " æqualis aut par est; Pater autem nulli debet quic- " quid est." Sed quorsum ego doctorum sententias singillatim percenseam? concilium catholicum Sardicense, ex episcopis orientalibus et occidentalibus circiter ducentis (juxta Theodoritum ducentis et quinquaginta) conflatum, eandem doctrinam aperte

[z] [§. 54. p. 1020.] [a] [§. 12. p. 1089.]
[b] [Vol. III. part. 2. Append. p. 132.]
[c] [§. 18. tom. VI. p. 159.]

tradidit in Epistola synodica[d]; Οὐδέ τις (inquiunt Patres) ἀρνεῖταί ποτε τὸν Πατέρα τοῦ υἱοῦ μείζονα· οὐ δι' ἄλλην ὑπόστασιν, οὐ δι' ἄλλην διαφοράν· ἀλλ' ὅτι αὐτὸ τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς μεῖζόν ἐστι τοῦ υἱοῦ. i. e. "Nec quis- "quam negat Patrem Filio majorem esse, non prop- "ter aliam substantiam, aut aliam differentiam; sed "quia ipsum Patris nomen majus est illo Filii."

11. Itaque antiquitatis catholicæ hæc fuit constans sententia; Deo quidem Patri, tanquam soli ingenito, οἰκεῖον ἀξίωμα, *propriam dignitatem*, (ut Alexandrum Alexandrinum paulo superius audivimus loquentem,) religiose servandam esse; ita tamen ut ne Filii vera divinitas ullatenus labefactetur. Quippe etiam ad Dei Patris gloriam pertinet, ut de Filio ipsius digne sentiamus; et contra injuriam et contumeliam revera Patri facit, qui Filium imperfectum genuisse ipsum imaginatur, aut in Dei natura quicquam diminutum statuit. Prius illud egregie ex- 266
plicat Hilarius de Trinitate lib. IV. his verbis[e]; "Dicturi autem de absolutissima majestate et de "plenissima divinitate unigeniti Dei Filii, non ex- "istimamus quenquam arbitraturum, omnem hunc "sermonem, quo usuri erimus, ad Dei Patris con- "tumeliam pertinere, quasi ex ejus dignitate dece- "dat, si quid eorum referatur ad Filium; cum po- "tius honor Filii dignitas sit paterna; et gloriosus "auctor sit, ex quo is, qui tali gloria sit dignus, ex- "titerit. Nihil enim nisi natum habet Filius, et "geniti honoris admiratio in honore generantis est. "Cessat ergo opinio contumeliæ, cum quicquid in- "esse Filio majestatis docebitur, id ad amplifican- "dam potestatem ejus, qui istiusmodi genuerit, re-

[d] Apud Theodorit. E. H. II. 8. p. 82. edit. Valesii.

[e] Pag. 35. [§. 10. p. 832.]

" dundabit." Posterius haud minus luculenter exponit Zeno Veronensis, seu quisquis auctor fuit Sermonis de eo quod scriptum est, *Cum tradiderit regnum Deo et Patri*, Zenonis inscripti[f]; " Totum," inquit, " Pater, totum possidet Filius; unius est, " quod amborum est; quod unus possidet, singulo- " rum est, Domino ipso dicente, *Omnia quæcunque* " *habet Pater, mea sunt;* quia Pater in Filio, et " Filius manet in Patre. Cui affectu, non condi- " tione, charitate, non necessitate, decore subjicitur; " per quem Pater semper honoratur. Denique in- " quit, *Ego et Pater unum sumus;* unde non di- " minutiva, sed religiosa, ut dixi, subjectione est " Filius Patri subjectus; cum quo originalis per- " petuique regni una possessio, coæternitatis omni- " potentiæque una substantia, una æqualitas, una " virtus majestatis augustæ, unito in lumine una " dignitas retinetur. Si quid enim Filio detraxeris, " ad Patris, cujus habet totum, injuriam pertinebit; " nec est in illo aliquid, quod sit inferius; quia sicut " Pater, nec plus potest habere, nec minus; alter " enim in alterius plenitudinem infusus est. Ut sit " omnia in omnibus Deus benedictus, Pater in Filio, " Filius in Patre, cum Spiritu Sancto, Amen."

12. Quæ Zenonis illustris sententia mihi in memoriam revocat historiam non ignobilem, quæ apud Sozomenum legitur Hist. Eccl. VII. 6. qua hoc caput claudam. Imperante Theodosio Magno ac Constantinopolim visente, episcopi, qui in illa urbe erant, palatium ingressi sunt, imperatorem, ut solet, salutaturi. Inter quos senex quidam fuisse dicitur, obscuræ urbis antistes; simplex quidem, nec in civili-

[f] Bibl. Patr. tom. II. coll. 424.

bus negotiis exercitatus; sed rerum divinarum intelligentia præditus. Ac cæteri quidem episcopi candide admodum ac pie imperatorem salutarunt; pari modo senex quoque episcopus imperatorem salutavit: imperatoris autem filium, qui una cum Patre residebat, haudquaquam simili honore prosecutus est, sed propius accedens, velut ad puerum, *Salve*, inquit, *fili*; eumque digito demulcere cœpit. Tum vero imperator commotus, et tanquam ob injuriam filio factam indignatus, quod non pari, quo ipse, honore affectus fuisset, senem contumeliose expelli jussit. Qui dum exturbaretur, conversus dixit, Οὕτω δὴ νόμισον, ὦ βασιλεῦ, καὶ τὸν οὐράνιον πατέρα ἀγανακτεῖν πρὸς τοὺς ἀνομοίως τὸν υἱὸν τιμῶντας, καὶ ἧττονα τολμῶντας ἀποκαλεῖν τοῦ γεννήσαντος. i. e. "Pari modo, im-" perator, cœlestem quoque Patrem succensere iis " existima, qui Filium ipsius dispari cultu veneran-" tur, et Genitore suo minorem appellare audent." Quo dicto vir pius perstrinxit Arianos, qui cum adhuc multitudine abundarent ob Constantii ac Valentis imperatorum patrocinium, liberius in unum convenientes, de Deo deque ejus substantia disserebant, et fidei suæ fautoribus, quos in palatio habebant, suaserunt, ut imperatoris animum tentarent, referente Sozomeno in ipso initio capitis citati. Dictum autem miratus imperator sacerdotem revocavit, veniaque ab ipso petita, vera illum dixisse confessus est.

267

CAP. III.

Objectioni adversus ea, quæ in præcedenti capite disputata sunt, ex iis veterum locis, in quibus Filii Dei immensitatem atque invisibilitatem negasse videantur, petitæ, late respondetur.

1. DE Patris et Filii natura prorsus æquali, salva Patris ἐξοχῇ qua Pater est, clarissima quidem sunt, quæ in superiori capite recitavimus, veterum testimonia. Dicta autem priscorum, quæ istis repugnare videantur, pleraque omnia notavimus et explicavimus, dum ad sectionem secundam de Filii consubstantialitate, et tertiam de ejusdem æternitate, doctrinam ipsorum singillatim exponeremus. Nodus, si bene memini, unicus jam restat expediendus, isque vindice dignissimus; cujus solutionem ideo hucusque reservavimus, quod is non in uno tantum et altero scriptore veteri occurrat, sed primævorum Patrum pene omnium monumenta percurrat. Fateor me ad istum lapidem olim offendisse, quem proinde ut ab aliis amovere adnitar, officii mei esse arbitror. Veteres igitur catholici pene omnes, qui Arium præcessere, Filii Dei invisibilem atque immensam naturam ignorasse videntur. Scilicet de Filio Dei ita aliquoties loquuntur, quasi is etiam secundum divinam ipsius naturam finitus esset, visibilis, et certo aliquo in loco inclusus, ac veluti cancellis quibusdam circumscriptus. Nam cum probare volunt, eum qui patriarchis et viris sanctis sub Vet. Test. olim apparuit ac locutus est, Jehovæ nomine insignitus, ipsum Dei Filium fuisse, hoc fere utuntur disjunctivo argumento; quod vel Dei Filius fuerit, qui conspectus est, vel angelus creatus, vel Deus Pater. Creatum non fuisse angelum inde colligunt, quod Jehova ac

Deus a Spiritu Sancto dicatur. Patrem vero non fuisse ex eo probant, quod is sit immensus, loca replens omnia, nullo inclusus; ac proinde ipsum certo aliquo in loco atque exiguo terræ angulo apparuisse, vel cogitatu nefas sit; quasi scilicet id ipsum de Filio Dei jure ac sine periculo dici posset. Pari ratione Filium Dei visibilem esse iidem docent.

2. Ita sane Patrum fere antiquissimus Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone [g]. Ubi Tryphoni neganti, Angelum, qui in rubo ardente Mosi apparuit, fuisse Deum ipsum, atque asserenti, Angelum quidem in ignis flamma apparuisse, Deum autem, Patrem scilicet, cum Mose collocutum esse, ita ut et Angelus et Deus, duo simul, tum in visione extiterint, sic respondet Justinus, Εἰ καὶ τοῦτο γέγονε τότε, κ. λ. i. e. "Esto, tametsi hoc tum factum sit, O amici, ut et Angelus et Deus simul in visione Mosi "oblata fuerint, pro eo atque demonstratum vobis "est per verba supra scripta; tamen non Conditor "universitatis hujus Deus is fuerit, qui Mosi dixit, "se Deum esse Abrahæ, et Deum Isaaci, et Deum "Jacobi; sed idem, quem vobis prius demonstravi "Abrahamo et Jacobo conspectum fuisse; is nempe, "qui Factoris rerum omnium voluntati ministrat, et "in judicio Sodomorum consilio et voluntati ejus itidem ministraverit. Adeo ut quamvis sic, uti affirmatis, res habeat, duos scilicet fuisse, Angelum et "Deum, nemo tamen, cui vel minimum mentis sit, "Auctorem et Parentem universi supercœlestia omnia reliquisse, et in pusilla terræ parte se exhibuisse, dicere sit ausurus." Quibus gemina legas apud eundem Justinum alibi in eodem Dialogo. Ea-

[g] [§. 60. p. 157.]

dem quoque ratiocinatione usus est Theophilus Antiochenus in libro II. ad Autolycum[h]; et similiter argumentantur Irenæus, Origenes, et sex episcopi, qui e synodo Antiochena ad Paulum Samosatenum scripserunt Epistolam, locis, quæ infra adducemus.

3. Ex Latinis vero eadem habet Tertullianus lib. adv. Prax. cap. 16.[i] "Cæterum quale est," inquit, "ut Deus omnipotens ille invisibilis, quem nemo vi-"dit hominum, nec videre potest, ille, qui inaccessi-"bilem lucem habitat, ille, qui non habitat in manu
268 "factis, a cujus conspectu terra contremiscit, montes "liquescunt ut cera, qui totum orbem manu adpre-"hendit velut nidum, cui cœlum thronus, et terra "scabellum, in quo omnis locus, non ipse in loco, "qui universitatis extrema linea est, ille Altissimus, "in paradiso ad vesperam deambulaverit, quærens "Adam, et arcam post introitum Noe clauserit, et "apud Abraham sub quercu refrigeraverit? &c. Sci-"licet et hæc nec de Filio Dei credenda fuisse, si "scripta non essent; fortasse non credenda de Pa-"tre, licet scripta; quem isti in vulvam Mariæ de-"ducunt, et in Pilati tribunal imponunt, et in mo-"numento Joseph concludunt. Hinc igitur apparet "error illorum; ignorantes enim a primordio om-"nem ordinem divinæ dispositionis per Filium de-"cucurrisse, ipsum credunt Patrem et visum, et con-"gressum, et operatum, &c." Hunc sequitur, ut solet, Novatianus, sive auctor libri de Trinitate inter Opera Tertulliani cap. 25.[k] sub finem; "Quod si "idem Moyses," inquit, "ubique introducit Deum "Patrem immensum atque sine fine, non qui loco "cludatur, sed qui omnem locum cludat; nec eum,

[h] Pag. 100. [§. 22. p. 365.] [i] [Pag. 510.] [k] [Pag. 723.]

" qui in loco sit, sed potius in quo omnis locus sit;
" omnia continentem et cuncta complexum, ut me-
" rito nec descendat, nec ascendat, quoniam ipse
" omnia et continet et implet; et tamen nihilomi-
" nus introducit Deum descendentem ad turrim,
" quam ædificabant filii hominum, considerare quæ-
" rentem, et dicentem, *Venite*, et mox, *descendamus*,
" &c. quem volunt hic Deum descendisse ad tur-
" rim illam, et homines tunc illos visitare quæren-
" tem? Deum Patrem? ergo jam loco clauditur; et
" quomodo ipse omnia complectitur? aut numquid
" Angelum cum angelis dicit descendentem, et dicen-
" tem, *Venite*, &c. Sed enim in Deuteronomio ani-
" madvertimus, retulisse Deum hæc, &c. Neque ergo
" Pater descendit, ut res indicat; neque Angelus ista
" præcepit, ut res probat. Superest ergo, ut ille
" descenderit, de quo apostolus Paulus, *Qui descen-*
" *dit, ipse est qui ascendit*, &c. hoc est, Dei Filius,
" Dei Verbum."

4. Ad mira ista Patrum dicta quis non plane obstupescat? adeone hebetes sibique minime constantes fuisse scriptores istos, ut Dei Filium, quem Deum verum ex Deo vero ubique alias prædicant, unius atque exigui loci angustiis circumscriptum unquam fuisse, ipsave sua natura visibilem esse crederent? Absit, ut de viris maximis id cogitemus. Quo igitur, inquies, σοφῷ φαρμάκῳ istiusmodi ipsorum dicta sanari possunt? ego ita plane censeo, veteres istos, qui durius hac de re locuti sunt, sententiam alioqui verissimam incommode ac minus recte expressisse. Quippe ipsis certamen fuit cum adversariis, qui distingui a Patre Filii personam præfracte negarent; quibus contradicendi nimio studio abrepti, in parum cautas locutiones inciderunt. Sane hujus monet

esse dicta Justini, Tertulliani, et Novatiani, quæ integre recitavimus, cuivis ipsos auctores inspicienti patebit. Tam hi vero quam reliqui, quos commemoravi, istiusmodi locutionibus revera nihil aliud voluerunt, quam Filium Dei, qui cum Patre quidem suo ubique adsit, et natura sua perinde ac Pater invisibilis sit, *κατ' οἰκονομίαν* tamen certis quibusdam in locis visum fuisse, hoc est, per externa quædam suæ præsentiæ symbola sese hominibus conspiciendum præbuisse, jussa ad eos ac voluntatem ipsius Dei Patris referentem. Atqui, inquies, si, cum Patres isti affirmant, vel certe satis aperte innuunt, Filium Dei loci cujusdam angustiis conclusum aliquando fuisse atque hominibus visum, nihil aliud voluerunt, quam ipsum certis quibusdam in locis sensibilia sua præsentiæ symbola ac signa exhibuisse; quorsum id ipsum a Deo Patre, tanquam summa ipsius majestate indignum, tam sollicite removerent? Videtur enim potuisse et Deus Pater eodem prorsus modo, sine ulla majestatis suæ demissione, sese hominibus manifestasse. Respondeo, secus plane judicasse primævos doctores; quippe, ex ipsorum sententia, Deus Pater a nemine unquam, ne per assumptas quidem species, visus est, aut videri potest. A nullo ille ortus principio, nulli subjectus est; neque magis ab alio missus, quam ab alio natus dici potest. Contra Filius Dei, qua ex Deo Patre natus, eo certe nomine Patri suam omnem auctoritatem acceptam refert; neque minus ipsi honorificum a Patre mitti, quam ex Patre nasci. Ex Patre est ipse; per ipsum Pater, in mundo quæ sunt, universa condidit; quin et per ipsum se deinceps mundo patefecit. In sacrosancta Triade, cum nulla sit inter Patrem et Filium naturæ disparitas, ordo tamen certe quidam est, juxta quem

Pater principium et caput est Filii; qui ordo inverteretur, si a Filio per Patrem, non a Patre per Filium rerum administratio fieret. Ut propius ad propositam objectionem accedam, primævi Patres apparitiones illas Dei, quæ viris sanctis olim factæ fuerunt, omnes ad οἰκονομίαν, sive dispensationem salutis humanæ referebant; quam dispensationem, non tum primum, cum in carne veniret, sed ab ipso primi hominis lapsu, suscepisse Dei Filium existimarunt, ut supra[1] ostensum est; ipsam vero illam dispensationem a Deo Patre alienam esse, omnino censuerunt. Quippe qua ratione incarnationem, quam Filius subiit, Deum Patrem haud decuisse, contra 269
Patripassianos agnovit semper catholica Christi ecclesia; eadem prisci illi non Patri, sed Filio convenisse ἐπιφανείας istas asserebant; utpote quæ incarnationis revera præludia fuerunt. Hanc fuisse ipsissimam veterum illorum mentem ac sententiam, duo evincunt; primo quod omnes alibi multis in locis fateantur, Filium perinde ac Patrem natura quidem sua immensum esse atque invisibilem; deinde, quod eorum plerique de οἰκονομίᾳ dicta illa sua diserte ipsi interpretentur. Responsionem autem nostram confirmabimus, dicta veterum, quæ commemoravimus, singillatim examinando, et cum aliis ipsorum expressis sententiis conferendo.

5. Justinus Martyr, qui in Dialogo ad Tryphonem personam Mosi in rubo apparentem Filium Dei fuisse contendit hoc argumento, quod dictu absurdum sit, Deum Patrem in exiguo terræ angulo apparuisse; quasi scilicet id ipsum de Filio Dei sine absurditate dici posset; idem, inquam, Justinus alibi de

[1] Vide I. 1. 12. [p. 27.]

illa ipsa persona perquam honorifice loquitur. Nam in Paræneticа Oratione ad Græcos[m] sic scribit; Ἔδει γὰρ, οἶμαι, τὸν ἄρχοντα καὶ στρατηγὸν τοῦ τῶν Ἑβραίων γένους ἔσεσθαι μέλλοντα, πρῶτον ἁπάντων τὸν ὄντα γινώσκειν Θεόν· διὸ καὶ τούτῳ πρώτῳ φανεὶς, ὡς ἦν δυνατὸν ἀνθρώπῳ φανῆναι Θεὸν, ἔφη πρὸς αὐτὸν, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. i. e. "Oportuit namque, ut opinor, principem et imperatorem futurum, primum omnium cognoscere existentem ipsum Deum. Quam ob causam primo huic apparens, QUATENUS QUIDEM POSSIBILE ERAT HOMINI DEUM APPARERE, ad eum dixit, *Ego sum existens ille.*" Deus igitur, qui Mosen e rubo ardenti allocutus est, non aliter apparuit, quam Deum decuit; hoc est, non de loco in locum transeundo, aut ita ut loci alicujus angustiis clauderetur; sed speciem visibilem atque audibilem vocem efformando, sese prophetæ sancto manifestavit. Paulo post ibidem dicit, ut supra notavimus, descriptionem illam, qua persona in rubo apparens se Mosi designavit, *Ego sum ille existens*, τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ προσήκειν, *semper existenti Deo convenire.* Deum vero semper existentem, natura sua immensum atque invisibilem esse quin Justinus agnoverit, nemini dubium esse potest. Quæ igitur alibi dixit Justinus de persona illa divina Mosi conspecta, quod apparuerit in exiguo terræ angulo veluti inclusus, ad οἰκονομίαν, quam dixi, a Filio susceptam referenda sunt. Clarius autem rem explicat idem Justinus in Apologia pro Christianis, quæ inscribitur Secunda[n]; ubi rursus contendit Servatorem nostrum fuisse, qui in specie ignis e rubo cum Mose collocutus est, dicens, *Solve calceamenta tua, et accedens audi.* Quin et

[m] Pag. 20. [§. 21. p. 22.] [n] Pag. 95. [Apol. I. 62. p. 80.]

paulo post [o] ibidem Christum in sua persona dixisse verba illa, *Ego sum existens ille, Deus Abrahami,* &c. clare docet; Τὸ δὲ εἰρημένον, inquit, ἐκ βατοῦ τῷ Μωσεῖ, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακὼβ, καὶ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων σου, σημαντικὸν τοῦ καὶ ἀποθανόντας ἐκείνους μένειν, καὶ εἶναι αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ἀνθρώπους. i. e. "Eo autem quod Mosi e rubo est dictum, *Ego sum* "*existens ille, Deus Abrahami, et Deus Isaaci, et* "*Deus Jacobi, et Deus Patrum tuorum,* significa- "tum est, mortuos quoque illos extare, et ipsius "Christi homines esse." Quæ autem ἐπιφανείας ratio Dei Filio, cum sit semper existens ille, Deus Abrahami, &c. convenire potuit, quæ Deum Patrem dedeceret? Nodum solverat ibidem ipse Justinus. Scilicet Christus, cum sit, ut Dei genuinus Filius, semper ille existens et Deus Abrahami, &c. perinde ac Pater; est tamen etiam Dei Patris angelus [p] et apostolus, ut Justinus loquitur, ad hoc constitutus a Patre, ut ipsius voluntatem hominibus annuntiaret. Quo officio dum defungitur, nihil se indignum facit; neque enim, ut supra dixi, Filio minus honorificum est a Patre mitti, quam ex Patre nasci. Verba Justini sunt [q], Ὁ λόγος δὲ τοῦ Θεοῦ ἐστὶν ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ὡς προέφημεν καὶ ἄγγελος δὲ καλεῖται, καὶ ἀπόστολος. αὐτὸς γὰρ ἀπαγγέλλει ὅσα δεῖ γνωσθῆναι, καὶ ἀποστέλλεται μηνύσων ὅσα ἀγγέλλεται. i. e. "Verbum autem Dei est Filius "ejus, sicut antea diximus. Vocatur vero et angelus, "et apostolus. Ipse enim quæcunque cognitu neces- "saria sunt, annuntiat; et mittitur, ut quæcunque "annuntiantur, indicet." Hæc autem omnia ad οἰκο-

[o] Pag. 96. [§. 63. p. 82.]

[p] Confer quæ ex Novatiano descripsimus, infra §. 8. et ex Hilario §. 14.

[q] Pag. 95. [p. 81.]

νομίαν illam pertinere, quam a nascente ecclesia suscepit Dei Filius, ac demum per suam ἐνσάρκωσιν complevit, paulo post[r] aperte significat martyr beatissimus; Ἀλλὰ (inquit) εἰς ἀπόδειξιν γεγόνασιν οἵδε οἱ λόγοι, ὅτι υἱὸς Θεοῦ καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστι, πρότερον λόγος ὢν, καὶ ἐν ἰδέᾳ πυρὸς ποτὲ φανείς, ποτὲ δὲ καὶ ἐν εἰκόνι ἀσωμάτων, νῦν δὲ διὰ θελήματος Θεοῦ ὑπὲρ τοῦ ἀνθρωπείου γένους ἄνθρωπος γενόμενος. i. e. "Verba autem hæc feci-
"mus, ut probaremus, Filium Dei et apostolum esse
"Jesum istum Christum; qui prius Verbum exis-
270 "tens, cum aliquando in forma ignis, aliquando au-
"tem in imagine etiam incorporeorum apparuisset,
"nunc porro de voluntate Dei, humani generis causa,
"homo factus, &c." Quo etiam spectat quod idem Justinus in Dialogo cum Tryphone[s], postquam nomina et appellationes, Servatori nostro in Scripturis tributas, nempe gloriam Domini, Filium, Sapientiam, Angelum, Deum, Dominum ac Verbum enumeraverat, continuo subjungit, Ἔχει γάρ πάντα προσονομάζεσθαι ἔκ τε τοῦ ὑπηρετεῖν τῷ πατρικῷ βουλήματι, καὶ ἐκ τοῦ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς θελήσει γεγενῆσθαι. i. e. "His enim nominibus
"omnibus appellari habet tum ex Paternæ voluntа-
"tis administratione, tum ex voluntaria Patris gene-
"ratione." Procul dubio autem nomen Angeli ad paternæ voluntatis administrationem, hoc est ad οἰκονομίαν, sicut appellationes Gloriæ Domini, Filii, Dei, Sapientiæ, Verbi, ad divinam ex Patre generationem retulit. Cæterum agnovisse Justinum Filii Dei omnipræsentiam, constat tum aliis ex locis, tum ex verbis ipsius expressis in Apologia, quæ dicitur Prima; Λόγος (inquit,) ἦν καί ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν. i. e. "Verbum
"fuit et est in universitate rerum existens." Ubi

[r] Pag. 96. [p. 81.] [s] Pag. 284. [§. 61. p. 158.]

docet, τὸν λόγον, qui et Filius Dei dicitur, universum rerum creatarum ambitum quasi permeare ac pervadere, et in omnibus præsentem esse; neque igitur loco aliquo, nedum exiguo terræ angulo circumscribi posse. Nimirum eodem sensu et ipse Deus Pater in Scripturis dicitur ὁ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν, Eph. iv. 6. Filium vero Dei, qua maxime proprie Dei Filius est, sensit idem Justinus adeo sub oculorum conspectum non cadere, ut neque mente quidem vel humana vel angelica comprehendi possit. Nam in illustri loco, quem supra[t] ex Epistola ad Diognetum adduxi, ipsum Dei Filium dicit τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸν λόγον τὸν ἅγιον καὶ ἀπερινόητον, "Veritatem, et Verbum sanctum "illud atque comprehensibile." Ac de Justino hactenus.

6. Ex Irenæo res clarius adhuc patebit. Is lib. IV. 37.[u] "Verbum," inquit, "Dispensator paternæ gra-"tiæ factus est ad utilitatem hominum, propter quos "fecit tantas dispositiones; hominibus quidem osten-"dens Deum, Deum (lege *Deo*[x]) autem exhibens "hominem; et invisibilitatem quidem Patris custo-"diens, ne quando homo fieret contemptor Dei, et ut "semper haberet ad quod proficeret; visibilem au-"tem rursus hominibus per multas dispositiones "ostendens Deum, ne in totum deficiens a Deo "homo cessaret esse." Quibus verbis docet nos, animadvertente ipso Petavio, Patrem quidem nunquam, ne specie quidem externa dissimulatum, apparuisse; Verbum autem non per se, ac secundum propriam substantiam, sed sub imagine aliqua veteribus ostendisse se. Addo ego, Irenæum hic diserte dicere, in omnibus Dei Patris manifestationibus per

[t] II. 4. 7. [p. 191.] [u] Pag. 371. [c. 20. 7. p. 255.]
[x] [Ita legit edit. Benedict.]

Verbum suum, Verbum factum fuisse Dispensatorem paternæ gratiæ ad utilitatem hominum; hoc est, ἐπιφανείας Filii Dei omnes ad οἰκονομίαν illam, ut dixi, pertinuisse, quam ab initio suscepit ipse ob hominum salutem. Quibus gemina sunt, quæ in capite eodem[y] leguntur; " Igitur," inquit, " si neque Moyses vidit " Deum, nec Helias, nec Ezechiel, qui multa de cœ- " lestibus viderunt; quæ autem ab his videbantur, " erant similitudines claritatis Domini, et prophetiæ " futurorum; manifestum est, quoniam Pater qui- " dem invisibilis, de quo et Dominus dixit, *Deum* " *nemo vidit unquam;* Verbum autem ejus, quem- " admodum volebat ipse, et ad utilitatem videntium, " claritatem monstrabat Patris, et dispositiones ex- " ponebat; quemadmodum et Dominus dixit, *Uni-* " *genitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarra-* " *vit.*" Præludia vero et quasi specimina futuræ incarnationis fuisse omnes illas Filii Dei apparitiones sub Veteri Testamento, atque ad humanæ salutis dispensationem a Filio susceptam spectasse, ipse alibi Irenæus diserte monet, nempe ejusdem libri quarti cap. 26.[z] " Ipse est," inquit, " qui dicit Moysi, *Vi-* " *dens vidi vexationem populi mei qui est in Æ-* " *gypto, et descendi ut eruam eos;* ab initio assuetus " Verbum Dei ascendere et descendere, propter sa- " lutem eorum qui male haberent." Cæterum Filium Dei natura sua, perinde ac Patrem, invisibilem esse, idem Irenæus aperte asserit ejusdem rursus libri cap. 41.[a] Nam ait per religionem Christianam doceri, " esse unum Deum, qui est *super omnem prin-* " *cipatum, et dominationem, et potestatem, et omne* " *nomen quod nominatur;* et hujus Verbum, natu-

[y] Pag. 372. [§. 11. p. 256.] [z] [c. 12. 4. p. 241.]
[a] Pag. 379. [c. 24. 2. p. 260.]

" raliter quidem invisibilem, palpabilem et visibilem " in hominibus factum, et *usque ad mortem* descen- " disse, *mortem autem crucis.*" Ubi etiam Irenæus (quod obiter notasse operæ fortasse pretium fuerit) in verbis illis, " Verbum naturaliter quidem invisi- " bilem, palpabilem et visibilem in hominibus fac- " tum, et usque ad mortem descendisse," mihi respexisse omnino videtur insignem locum Ignatii in Epistola ad Polycarpum [b], Irenæi magistrum; in quo vir apostolicus Christum Filium Dei dicit *τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν, τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητόν.* i.e. " Invisibilem propter nos visibilem; " impalpabilem, impassibilem, propter nos passibi- " lem." Ignatii locum integrum legas sect. III. 1. 3. [p. 475.] Ego pergo. Dicti libri cap. 14.[c] Irenæus rem totam clare explicat, docens, Patrem quidem et Filium creaturis pariter esse incomprehensibiles, sibi invicem perinde comprehensibiles; omnem tamen 271
Patris manifestationem per Filium fieri; proinde Patrem mittere, Filium mitti. Verba sunt; " Sed " quoniam ab uno Deo, qui et hunc mundum fecit, " et nos plasmavit, et omnia continet, et administrat, " unigenitus Filius venit ad nos, suum plasma in " semetipsum recapitulans, firma est mea ad eum " fides, et immobilis erga Patrem dilectio, utraque " Deo nobis præbente [d]. Neque enim Patrem cog- " noscere quis potest, nisi Verbo Dei, id est, nisi " Filio revelante; neque Filium, sine Patris bene- " placito. Bonum autem placitum Patris Filius per- " ficit, mittit enim Pater; mittitur autem et venit " Filius. Et Patrem quidem invisibilem et indeter-

[b] [§. 3. p. 40.] [c] [c. 6. 2. p. 234.]

[d] [Usque ad h. l. verba sunt Justini M. e libro suo contra Marcionem ab Irenæo prolata.]

" minabilem, quantum ad nos est, cognoscit suum " ipsius Verbum, et cum sit inenarrabilis, ipse enar- " rat eum nobis. Rursum autem Verbum suum solus " cognoscit Pater. Utraque autem hæc sic se ha- " bere manifestavit Dominus; et propter hoc Filius " revelat agnitionem Patris per suam manifestatio- " nem; agnitio enim Patris est Filii manifestatio; " omnia enim per Verbum manifestantur." Hæc sane satis evincunt, sensum Irenæi sanum prorsus et catholicum fuisse.

7. Omni vero luce clariora sunt, quæ hac de re disseruit Clemens Alexandrinus. Namque is Filii Dei immensitatem atque omnipræsentiam cum œconomia ab ipso suscepta clare simul conjungit in illustrissima sententia, quam legere est Strom. VII.[e] Οὐ γὰρ (inquit) ἐξίσταταί ποτε τῆς αὐτοῦ περιωπῆς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· οὐ μεριζόμενος, οὐκ ἀποτεμνόμενος, οὐ μεταβαίνων ἐκ τόπου εἰς τόπον, πάντῃ δὲ ὢν πάντοτε, καὶ μηδαμῇ περιεχόμενος· ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς πατρῷον, ὅλος ὀφθαλμὸς, πάντα ὁρῶν, πάντα ἀκούων, εἰδὼς πάντα, δυνάμει τὰς δυνάμεις ἐρευνῶν. τούτῳ πᾶσα ὑποτέτακται στρατιὰ ἀγγέλων τε καὶ θεῶν, τῷ λόγῳ τῷ πατρικῷ τὴν ἁγίαν οἰκονομίαν ἀναδεδεγμένῳ[f] διὰ τὸν ὑποτάξαντα. i. e. " Nunquam ex sua excedit spe- " cula Dei Filius; ut qui non dividatur, non disse- " cetur, non transeat a loco ad locum; sit autem " semper ubique et contineatur nuspiam; tota mens, " tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, " omnia audit, potestate scrutatur potestates. Ei " subjecta est universa militia angelorum et deorum; " Verbo, inquam, paterno, quod sanctam suscepit " dispensationem propter eum, qui subjecit." En! Verbum, sive Filium Dei, non dividi, non dissecari,

[e] Pag. 702. [p. 831.] [f] [Ex conjectura pro vulg. ἀναδεδειγμένῳ.]

non transire a loco ad locum, semper ubique esse, nuspiam contineri clare docet. Nihilominus concedit, suscepisse ipsum Dei Filium dispensationem sanctam, a Patre sibi impositam; nempe tum sub Veteri Testamento, quando prophetis virisque sanctis, simulata specie, vel humana vel corporea aliqua alia, apparebat; tum imprimis sub Novo, cum, assumpto in unitatem personæ vero homine, in terris cum hominibus conversatus est. Certe his nihil disertius. Perfrictæ autem frontis scriptor Sandius, dum contra omnium codicum fidem impudenter negat scripsisse hæc Clementem [g], responsione sane indignus est, sibilo potius ab omnibus excipiendus.

8. Tertullianus, quem audivimus in libro adversus Praxeam ita disserentem, Filium fuisse, non Deum Patrem, qui olim sanctis viris apparuit, et in plenitudine temporis incarnatus est; quod hic invisibilis sit, neque loco includi possit; idem, inquam, Tertullianus postmodum ejusdem libri capite 23. expresse monet, hoc haudquaquam intelligendum esse de dispari Patris et Filii natura, cum sint ab invicem inseparabiles, et uterque pariter immensus, et omnipræsens, sed de œconomia, quam non Pater, sed Filius suscepit. Nam ad locum Matt. xvii. 5. ita ibidem scribit [h], "Habes Filium in terris, habes Pa-
"trem in cœlis; non est separatio ista, sed dispo-
"sitio divina. Cæterum scimus, Deum etiam intra
"abyssos esse, et ubique consistere, sed vi et po-
"testate; Filium quoque ut individuum cum ipso
"ubique. Tamen in ipsa οἰκονομίᾳ Pater voluit Fi-
"lium in terris haberi, se vero in cœlis; quo et ipse
"Filius suspiciens et orabat, et postulabat a Patre,

[g] Vide Append. ad Nucl. Histor. Eccles. p. 99.

[h] [Pag. 513.]

" quo et nos erectos docebat orare, *Pater noster*,
" *qui es in cœlis*, cum sit et ubique." Par autem
ratio est divinæ οἰκονομίας, quæ Filii incarnationem
præcessit, adeoque apparitionum Dei omnium, quæ
sub Veteri Testamento factæ sunt. Nam, ut ipse
Tertullianus optime monuerat loco ante citato ex
ejusdem libri capite 16.[i] " a primordio omnis ordo
" divinæ dispositionis per Filium decucurrit." Si-
militer Novatianus, cum (ubi supra) probasset, Fi-
lium fuisse, qui descenderet ad turrim Babel, &c.
272 hac ratione, quod Deus Pater immensus sit, neque
loco claudatur; quasi scilicet non pariter immensus
sit et omnipræsens Filius; alibi tamen in eodem
libro Dei Filio immensitatem atque omnipræsen-
tiam, quæ divinæ naturæ propria est, expresse tri-
buit. Nam cap. 14.[k] ita veram Christi divinitatem
contra hæreticos adstruit; " Si homo," inquit, " tan-
" tummodo Christus, quomodo adest ubique invoca-
" tus? cum hæc hominis natura non sit, sed Dei,
" ut adesse omni loco possit?" Quomodo igitur ap-
paritiones illæ Dei, viris sanctis olim factæ, Filio
quidem convenire censendæ sunt, Patri vero non
item? Non obscure mihi hunc nodum solvere vide-
tur ipse auctor capite 26. ubi de angelo, qui Saræ
apparuit ancillæ, ita disserit, " Quærant, quid in
" præsenti loco hæretici tractent; Pater fuit iste,
" qui ab Agar visus est, an non? quia Deus positus
" est. Sed absit Deum Patrem Angelum dicere, ne
" alteri subditus sit, cujus Angelus fuerit. Sed An-
" gelum dicent fuisse; quomodo ergo Deus erit, si
" Angelus fuit, quum non sit hoc nomen angelis un-
" quam concessum? nisi quoniam ex utroque latere

[i] [Pag. 510.] [k] [Pag. 715.]

" nos veritas in istam concludit sententiam, quia in-
" telligere debeamus, Dei Filium fuisse; qui quo-
" niam ex Deo est, merito Deus, quia Dei Filius
" dictus sit; quoniam Patri subditus et adnuntiator
" paternæ voluntatis est, *magni consilii Angelus* pro-
" nuntiatus est." Ubi summa disputationis huc redit: Is qui ab Agar visus est, aut Angelus creatus fuit, aut Deus increatus. Angelum creatum non fuisse inde probat, quod Deus et Jehova vocetur; quod nomen incommunicabile est, neque ulli creaturæ, ne ipsis quidem angelis, rerum creatarum supremo ordini, concessum unquam fuit. Deum verum igitur fuisse, qui apparuit, constat; quem vero, ut ita dicam, Deum? Patremne an Filium? Patrem non fuisse inde confirmat, quod Angeli nomen missionem ab altero, ac proinde subjectionem quandam innuat; Deus vero Pater nulli sit subditus, utpote a nullo ortus. Restat igitur, ut is qui apparuit, Filius Dei fuerit; qui quod a Deo Patre originem habet, eo certe nomine Patri subjectus est; neque Angeli, sive annuntiatoris paternæ voluntatis, officium ipsum dedecet. Verbo, Angelus fieri non potuit Deus Pater, salva Patris prærogativa; nam ab alio missus tum fuisset, qui nulli auctoritatem suam acceptam refert. Filio vero Dei et nomen Dei omnino convenit, utpote Deo verissimo; et Angeli appellatio, quippe qui ita sit Deus verus, ut Deus sit de Deo, ac proinde a Deo, ex quo sit, missionem atque οἰκονομίαν ipsi commissam, salva personæ suæ dignitate, accipere suscipereque potuerit. Quod ipsum dubio procul voluerunt Patres, qui ex Antiochena synodo ad Paulum Samosatenum Epistolam synodicam scripserunt; qui Filium esse contendunt eum, qui in Veteri Testamento identidem Patribus in

conspectum ac colloquium venit[1]; Ποτὲ μὲν ὡς ἄγγελος, ποτὲ δὲ ὡς Κύριος, ποτὲ δὲ Θεὸς μαρτυρούμενος. τὸν μὲν γὰρ Θεὸν τῶν ὅλων ἀσεβὲς ἄγγελον νομίσαι καλεῖσθαι. ὁ δὲ ἄγγελος τοῦ Πατρὸς ὁ υἱός ἐστιν, αὐτὸς Κύριος καὶ Θεὸς ὤν. γέγραπται γὰρ, Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. i. e. "Qui "alias Angelus, alias Dominus, alias Deus Scriptura- "rum testimonio declaratur; nam Deum universo- "rum impium sit Angelum dici credere; Angelus "vero Patris est Filius; qui et ipse Dominus ac "Deus est; scriptum est enim, *magni consilii An- "gelus.*" Ubi clare docent præsules sancti, Dei quidem ac Domini nomen Patri et Filio proinde competere; *Angeli* vero appellationem, utpote missionem ab altero significantem, neutiquam Patri, qui ab altero non magis dici potest missus, quam natus, convenire; Filio vero ex Patre genito recte tribui posse; qui proinde in Scripturis[m] *magni consilii Angelus* vocatur.

9. Ad eundem modum exponendus est Tertullianus, cum in eodem libro adversus Praxeam cap. 14.[n] Filium a Patre hac nota discernit, quod Filius visibilis, Pater invisibilis sit. Quem sequitur, ut solet, Novatianus, sive auctor libri de Trinitate cap. 26. Quid enim? quisquamne est, qui suspicetur, Tertullianum ejusque æmulum, (viros sane haud prorsus stupidos,) credidisse, Filium Dei, qua Deus est et ex invisibili Deo natus, visu esse perceptibilem? Visibilem dubio procul dixerunt Filium non ipsa natura sua divina, sed κατ' οἰκονομίαν istam, quam explicavimus; qua scilicet ipse a primordio per externa quædam et visibilia suæ præsentiæ symbola sese hominibus identidem exhibuit. Si dubitas, audi iterum

[1] [Vid. Reliq. Sacr. vol. II. p. 470.]

[m] Esaiæ ix. 6. juxta τὼς ἰ. GRABE. [n] [Pag. 507, 508.]

Tertullianum ipsum, idque eo ipso in libro et capite, (nempe libro advers. Prax. cap. 14.) ita sese verbis disertissimis explicantem, " Dicimus enim," inquit, " et Filium suo nomine eatenus invisibilem, qua " Sermo et Spiritus Dei ex substantiæ conditione, " jam nunc et qua Deus et Sermo et Spiritus; visi- " bilem autem fuisse ante carnem eo modo, quo dicit " ad Aaron et Miriam, *Et si fuerit prophetes in* " *vobis, in visione cognoscar illi*, &c." Quid clarius? itaque pudeat Sandium aliosque Tertulliano absurdam hanc sententiam tam fidenter tribuisse, quod Verbum et Filium Dei natura sua divina finitum ac visibilem crediderit. Nam si librum Tertulliani, unde illud collegerunt, attente unquam perlegissent, nescire non potuissent, istam sententiam disertis verbis rejecisse scriptorem doctissimum. Quod si hoc 273
sciverint, et nihilominus Tertulliano istiusmodi blasphemiam affingere voluerint, pro egregiis sophistis et prævaricatoribus merito habendi sunt. Sin nunquam librum perlegerunt, aut non nisi oscitanter et perfunctorie, certe ex eo de Tertulliani sententia temere pronuntiarunt.

10. Ad Origenem tandem venio. Is in libro V. contra Celsum[o] docet, Deum Patrem ad homines condescendere non τοπικῶς, *localiter*, sed προνοητικῶς, *per providentiam*; Filium vero etiam τοπικῶς *localiter* in terris versatum fuisse, ut olim per simulatas species, sic postremis temporibus in assumpto vero homine; verum ita tamen, ut neque ipse loco unquam includeretur, sed perinde ac Pater ubique semper adfuerit, et adsit. Verba Origenis sunt, Θεὸς οὖν κατὰ τὴν χρηστότητα αὐτοῦ οὐ τοπικῶς, ἀλλὰ προνοητικῶς συγκαταβαίνει τοῖς ἀνθρώποις· καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς οὐ τότε

[o] Pag. 239. [§. 12. p. 586.]

μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ μετὰ τῶν ἰδίων μαθητῶν ἐστι, πληρῶν τὸ, Ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. καὶ εἴπερ κλῆμα καρπὸν οὐ δυνάται φέρειν, ἐὰν μὴ ἐμμείνῃ τῇ ἀμπέλῳ, δῆλον ὅτι καὶ οἱ τοῦ λόγου μαθηταὶ, τὰ νοητὰ τῆς ἀληθινῆς ἀμπέλου τοῦ λόγου κλήματα, οὐ δύνανται φέρειν τοὺς καρποὺς τῆς ἀρετῆς, ἐὰν μὴ μένωσιν ἐν τῇ ἀληθινῇ ἀμπέλῳ, τῷ Χριστῷ τοῦ Θεοῦ, καὶ μεθ' ἡμῶν τοπικῶς κάτω ἐπὶ γῆς τυγχάνοντι· ὃς μετὰ τῶν πανταχοῦ προσπεφυκότων αὐτῷ ὢν, ἤδη δὲ καὶ μετὰ τῶν οὐκ εἰδότων αὐτὸν πανταχοῦ ἐστι. καὶ τοῦτό γε ὁ τὸ εὐαγγέλιον γράψας Ἰωάννης ἐκ προσώπου τοῦ βαπτιστοῦ Ἰωάννου δηλοῖ, λέγοντος, Μέσος ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, αὐτός ἐστιν ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. i. e. " Deus igitur pro sua bonitate non lo-
" caliter, sed per providentiam condescendit homini-
" bus; et ejus Filius non solum tunc," (nempe cum caro factus habitaret inter homines,) " sed et semper
" cum suis est discipulis, juxta promissionem illam,
" Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad
" consummationem sæculi. Et siquidem palmes non
" potest fructum ferre, nisi in vite maneat; liquet
" quod etiam Verbi discipuli, intelligibiles veræ vitis,
" nempe Verbi, palmites, non possunt proferre fruc-
" tus virtutis, nisi maneant in vera vite, Christo Dei,
" etiam localiter nobiscum infra in terris versante;
" qui cum adnatis sibi ubique præsens est, quin et
" nescientibus ipsum adest ubique. Atque hoc
" Joannes evangelista ex persona Joannis Baptistæ
" declarat dicentis, *In medio vestrum stat, quem vos*
" *nescitis; ipse est, qui post me venit.*" Hinc continuo ibidem infert Origenes, non soli, lunæ et astris, sed Deo Patri et Filio, utpote ubique præsentibus, preces et vota facienda esse. Sic in libro II.[p] (quem

[p] Pag. 63. [§. 9. p. 393.]

locum supra commemoravimus,) iisdem Scripturæ testimoniis probat, Filium Dei nequaquam circumscriptum fuisse corpore, quod assumpsit; sed *φθάνοντα πανταχοῦ*, *præsentem ubique* esse. Sed luculentissime descensus Filii Dei ad homines cum ipsius immensitate et omnipræsentia conciliat in libro IV. cont. Celsum: ubi Celso contra Dei Verbi incarnationem objicienti, quod si Deus ad homines descendat, metuendum, ne solium suum deserat; ita (non solum suo, sed Christianorum omnium nomine) respondet Origines [q], *Οὐ γὰρ οἶδε δύναμιν Θεοῦ, καὶ ὅτι πνεῦμα Κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνῶσιν ἔχει φωνῆς· οὐδὲ συνιέναι δύναται τὸ, Οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; λέγει Κύριος. οὐδὲ βλέπει ὅτι κατὰ τὸν Χριστιανῶν λόγον οἱ πάντες ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καί ἐσμεν· ὡς καὶ Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους δημηγορίᾳ ἐδίδαξε. Κἂν ὁ Θεὸς τοίνυν τῶν ὅλων τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει συγκαταβαίνῃ τῷ Ἰησοῦ εἰς τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον, κἂν ὁ ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν λόγος, Θεὸς καὶ αὐτὸς ὤν, ἔρχηται πρὸς ἡμᾶς, οὐκ ἔξεδρος γίνεται, οὐδὲ καταλείπει τὴν ἑαυτοῦ ἕδραν· ὥς τινα μὲν τόπον κενὸν αὐτοῦ εἶναι, ἕτερον δὲ πλήρη, οὐ πρότερον αὐτὸν ἔχοντα. ἐπιδημεῖ δὲ δύναμις καὶ θεότης Θεοῦ δι' οὗ βούλεται, καὶ ἐν ᾧ εὑρίσκει χώραν, οὐκ ἀμείβοντος τόπου, οὐδ' ἐκλείποντος χώραν αὐτοῦ κενὴν, καὶ ἄλλην πληροῦντος.* i. e. "Non enim novit Dei potentiam, quod *Spiritus Domini repleat orbem terrarum, et qui continet omnia, scientiam vocis habeat;* nec illa verba intelligit, *Nonne cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus?* nec videt, quod juxta sententiam Christianorum, omnes *in eo vivimus, movemur et sumus*, sicut Paulus docet in concione ad Athenienses habita. Itaque sive hujus universitatis Deus potentia sua descendat cum

[q] Pag. 164. [§. 5. p. 504.]

" Jesu in vitam hominum, sive Dei Verbum, quod " erat in principio apud Deum, quodque ipsum Deus " est, ad nos veniat; non carebit sede, neque ipsam " deseret, ut alius locus eo sit vacuus, plenus alius, " qui ante vacaverat. Sed Dei potentia et Deitas " proficiscitur, quo vult, et apud quemcunque inve- " nit locum, absque migratione, nec relicto loco per " absentiam vacuo, repletoque alio per præsentiam." An dicet Sandius, quemadmodum de Clemente modo cavillatus est, ὑποβολιμαῖα hæc esse, neque ab ipso Origene scripta? dicat. Certe nemo sanæ mentis temerarii homuncionis judicium vel flocci fecerit. Præsertim cum eandem doctrinam tradat Adamantius in illo ipso libro quarto et alibi passim [r]. Discat vero tandem misellus ex ipso Origene, quem per
274 errorem ut Arii ὁμόδοξον præ aliis omnibus laudat atque admiratur, suam ipsius inscitiam, palam profitentis[s], sibi persuaderi non posse, Filium Dei in terras descendisse absque migratione a loco in locum, ita ut etiam tum, cum inter homines homo factus versaretur, in cœlis, adeoque ubique præsens fuerit; quin et hoc ipsum dogma ut impium ac blasphemum damnantis. Nimirum vir sanctus ipsum in Celso Epicureo divinæ potentiæ prorsus ignarum pronuntiat.

11. Illud mantissæ loco addam; ex locutionibus scriptorum Christianorum, qui docuerunt apparitiones Dei, in Veteri Testamento commemoratas, haudquaquam de Patre intelligendas, ut qui a nemine videri possit, sed ad Filium referri debere; et Filio, non Patri ἐνσάρκωσιν convenisse; ex his, inquam, locutio-

[r] Vide p. 168, 169, 170, 324, 325. [p. 509-511. 686, 687.]

[s] Append. ad Nucl. H. E. p. 99.

nibus, perperam intellectis, verisimillimum esse, ansam arripuisse Celsum objiciendi Christianis, quod docerent, Deum Patrem, cum ipse esset *μέγας καὶ δυσθεώρητος*, Filium suum, tanquam contemplatu facilem, ad homines misisse, quemadmodum in præcedenti capite notavimus ex Origene cont. Cels. lib. VI.[t] ubi et Origenis responsum ex parte dedimus. Quæ apud eundem supersunt, hic sunt appositissima. Sic enim ibidem pergit Origenes, *Ἔστω δὴ καὶ δυσθεώρητος ὁ Θεός· ἀλλ' οὐ μόνος δυσθεώρητός ἐστί τινι, ἀλλὰ καὶ ὁ μονογενὴς αὐτοῦ. δυσθεώρητος γὰρ ὁ Θεὸς λόγος, δυσθεώρητος δὲ οὕτωσὶ καὶ σοφία ἐστὶν, ἐν ᾗ τὰ πάντα πεποίηκεν ὁ Θεός. τίς γὰρ δύναται καθ' ἕκαστον τῶν πάντων τὴν σοφίαν, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς καὶ ἕκαστον τῶν πάντων πεποίηκε, θεωρῆσαι; οὐ διὰ τὸ δυσθεώρητος οὖν ὁ Θεὸς εἶναι, ὡς εὐθεώρητον τὸν Θεὸν τὸν υἱὸν ἔπεμψεν· ἅπερ μὴ νοήσας ὁ Κέλσος εἶπεν ὡς ἐκ προσώπου ἡμῶν.——ἀλλ' ὡς ἀποδεδώκαμεν, καὶ ὁ υἱὸς δυσθεώρητος ὢν, ἅτε λόγος Θεὸς, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.* i. e. "Esto etiam Deus contemplatu "difficilis; verum non solus, sed et ejus unigenitus. "Est enim difficilis contemplatu Deus Verbum, diffi- "cilis similiter et Sapientia, in qua Deus creavit "omnia. Quis enim eam per singula Creatoris opera "considerare valeat? ergo non ideo Deus contem- "platu difficilis Deum Filium misit, quasi contem- "platu facilem, prout Celsus parum intelligens ex "nostra persona dixit:——verum, ut nos ostendi- "mus, etiam Filius, cum esset contemplatu difficilis, "ut Verbum Deus per quod omnia facta sunt, inter "nos conversatus est." Quibus verbis rursus catholicorum Christianorum omnium nomine profitetur Origenes, non ideo Patrem in mundum misisse

[t] Pag. 323. [§. 69. p. 685.]

Filium, quod hic se contemplatu facilior sit; siquidem uterque pariter incomprehensibilis est, quemadmodum et alibi docuit [u]. Cur igitur? causam et rationem sæpius in hoc capite reddidimus; nempe quod Deus Pater, utpote a nullo ortus, a nullo mitti potuerit; Filium vero Dei, ut genitum a Patre, mitti ab ipso haud dedeceret. Obiter autem in gratiam lectoris, qui in veterum Patrum scriptis minus versatus sit, notandum est, in verbis illis, " difficilis " etiam contemplatu Sapientia," per *Sapientiam* Spiritum Sanctum designari; quod et a Theophilo Antiocheno et Irenæo factum esse, supra ostendimus [x]. De causis cur ita locuti sint veteres illi, sic disserit Petavius [y]; " Spiritus Sanctus," inquit, " idcirco dici " ab illis Sapientia putandus est, quod ab illo sapien- " tiæ donum in angelos hominesque diffunditur; " perinde atque λόγος ab nonnullis appellari propterea " dicitur, ut superiore libro docuimus, quod λογικοὺς, " id est *rationales* efficiat. Ita quoniam eximium " illud ac cœleste sapientiæ donum, qua donum est " et a Deo nobiscum singulari bonitate et charitate " communicatur, efficientiæ Spiritus Sancti proprium " est; ideo fons ipse sapientiæ, ut et donorum reli- " quorum, metonymice eodem illo vocabulo inter- " dum afficitur. Possunt et aliæ causæ suppetere " appellationis istius, velut quod sapientia, quæ do- " num Dei est, et humanæ, qualis erat in philoso- " phis gentilibus, opponitur, cum amore Dei et cha- " ritate conjungitur, uti S. Thomas exponit. Quare " eodem jure Sapientia nominatur Spiritus Sanctus, " quo amor et charitas. Quod si naturam ipsam

[u] Vide II. 9. 9. [p. 302.]

[x] Vide II. 4. 10. et 5. 7. [p. 202. et 225.]

[y] De Trin. VII. 12. 16.

" proprietatemque sapientiæ spectes, cum ad intellec-
" tum pertineat, et sit cognitio quædam, peculiaris
" est ejus appellatio Dei Filio atque Verbo, Spirituí
" vero non nisi extrinsece, et, ut ita dicam, causa-
" tive." Porro et illud fortasse observationem nostram merebitur, illa Origenis verba, δυσθεώρητος ὁ Θεός· δυσθεώρητος ὁ λόγος· δυσθεώρητος οὐτωσὶ καὶ σοφία· plane gemina esse illis symboli, vulgo dicti Athanasiani, ἀκατάληπτος ὁ Πατήρ· ἀκατάληπτος ὁ υἱός· ἀκατάληπτον καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον. Sed in orbitam redeo.

12. Ex his omnibus manifestissimum est, ecclesiæ doctores, qui ante exortam Arii hæresin scripserunt, quoties ita ratiocinantur, Deum non Patrem, sed Filium fuisse, qui sub Veteri Testamento apparuit, et in plenitudine temporis incarnatus fuit; quod Pater immensus sit, neque loco includatur, et invisibilis, qui a nemine conspici possit, neutiquam negare voluisse, Filium Dei pariter ac Patrem natura sua immensum atque invisibilem esse; sed id tantum sig- 275
nificasse, tum apparitiones illas Dei omnes, tum ipsam ἐνσάρκωσιν ad οἰκονομίαν spectasse, quam suscepit Dei Filius; quæ œconomia Patri, quippe qui a nullo ortus sit principio, nullique auctoritatem suam acceptam referat, nequaquam conveniat [z]. In hoc autem cum ipsis consensisse Patres plerosque catholicos, qui post concilium Nicænum vixerunt, nunc ostendemus. Catholicum fuisse Eusebium, atque ab Ariana hæresi alienum, luculentissimis ex ipso adductis testimoniis supra probavimus [a]. Is autem Historiæ Ecclesiasticæ (quod opus post alias omnes ejus elucubrationes, adeoque post concilium Nicæ-

[z] [Plura de hac re habes in Respons. ad G. Clerke. §. 24.]

[a] Vide III. 9. 11. [p. 629.] et hujus sectionis cap. 1. 10. [p. 701.]

num editum fuisse constat) libro I. cap. 2. Angelum, qui ab Abrahamo adorabatur ut Deus et omnium Judex, non Patrem, sed Filium fuisse hac ratiocinatione probat; Εἰ γὰρ μηδεὶς ἐπιτρέποι λόγος, τὴν ἀγέννητον καὶ ἄτρεπτον οὐσίαν Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος εἰς ἀνδρὸς εἶδος μεταβάλλειν, μηδ' αὖ γεννητοῦ μηδενὸς φαντασίᾳ τὰς τῶν ὁρώντων ὄψεις ἐξαπατᾶν, μηδὲ μὴν ψευδῶς τὰ τοιαῦτα πλάττεσθαι τὴν γραφήν· Θεὸς καὶ Κύριος ὁ κρίνων πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ ποιῶν κρίσιν ἐν ἀνθρώπου ὁρώμενος σχήματι, τίς ἂν ἕτερος ἀναγορεύοιτο, (εἰ μὴ φάναι θέμις τὸ πρῶτον τῶν ὅλων αἴτιον,) ἢ μόνος ὁ προὼν αὐτοῦ λόγος; i. e. "Nam cum ab omni "ratione alienum sit, tum ut ingenita et immuta- "bilis Dei omnipotentis natura in speciem hominis "convertatur, et creaturæ alicujus phantasmate ocu- "los intuentium fallat, tum ut sacra Scriptura quid- "quam hujusmodi falso confingat; Deus ille et Do- "minus, qui judicat omnem terram, et facit judi- "cium sub hominis specie apparens, quisnam alius "appellari possit, (quandoquidem de primo omnium "rerum auctore hæc accipere nefas est,) præter ip- "sum quod ante omnia substitit Dei Verbum?" Eadem ratiocinatione usus fuerat Eusebius lib. V. de Evangelica Demonstratione, p. 147; ob hæc autem et similia dicta præsulem venerandum, et de ecclesia Christi summe meritum, *impium* ac *profanum* appellare non est veritus Jesuita Petavius [b]. Qui tamen nescire vix potuit, Eusebium neutiquam voluisse, quod verba ipsius prima fronte præ se ferre videntur, Filium Dei, qui visibili specie olim apparuit, revera alienæ esse a Patre naturæ, hoc est, finitæ atque mutabilis, nedum per apparitiones illas actu mutatum fuisse. Nam centenis in locis (ex quibus unum adduxit ipse Petavius) blasphemiam istam

[b] De Trinit. VIII. 2. 6. p. 792.

apertissime rejecit Eusebius; imo Verbum Dei etiam post assumptum in unitatem personæ verum hominem, eundem immutabilem, immensum, atque ubique præsentem Deum mansisse, diserte docet in Oratione de Laudibus Constantini, quæ ad calcem Historiæ Ecclesiasticæ addita est; nam in Orationis illius cap. 14.[c] sic scribit, Καὶ ταῦτα ταῖς πατρικαῖς βουλαῖς διηκονεῖτο, μένων αὐτὸς πάλιν ἄϋλος, οἷος καὶ πρὸ τούτου παρὰ τῷ Πατρὶ ἦν· οὔ τι μεταβαλὼν τὴν οὐσίαν· οὐδ' ἀφανισθείσης τῆς αὐτοῦ φύσεως· οὐδέ γε τοῖς τῆς σαρκὸς δεσμοῖς πεδηθείς· οὐδ' ὧδε μὲν, ἔνθα ἦν ἀνθρώπειον σκεῦος, τὰς διατριβὰς ποιούμενος, ἐν ἑτέροις δὲ εἶναι τοῦ παντὸς κεκωλυμένος· ἀλλὰ γὰρ καὶ ἐν τῷ τότε καθ' ὃν ἐν ἀνθρώποις ἐπολιτεύετο, τὰ πάντα ἐπλήρου, καὶ τῷ Πατρὶ συνῆν, καὶ ἐν αὐτῷ γε ἦν· καὶ τῶν πάντων ἀθρόως ἐν τῷ τότε, τῶν τε κατ' οὐρανὸν καὶ τῶν ἐπὶ γῆς ἐπεμέλετο· οὐδαμῶς τῆς πανταχόσε παρουσίας ὁμοίως ἡμῖν ἀποκλειόμενος. i. e. "Atque in his ille paternis consiliis ministravit, "manens interim materiæ expers, qualis antea apud "Patrem erat; non immutata substantia, nec amissa "natura; nec carnis vinculis constrictus; nec in eo "quidem loco, in quo humanum ipsius vasculum "versabatur, consistens, alibi vero adesse nequaquam "valens; sed eo ipso tempore, quo inter homines "versabatur, præsentia sua universa complebat, erat-"que cum Patre, et in Patre inerat; et omnium si-"mul tam quæ in cœlo, quam quæ in terra sunt, "curam gerebat; nec quidquam illi perinde ac nobis "obstabat, quo minus præsens ubique adesset;" et paulo post, Οὐκ οὖν ἐμολύνετο τικτομένου τοῦ σώματος· οὐδὲ τὴν οὐσίαν ἔπασχεν ὁ ἀπαθὴς, τοῦ θνητοῦ πάλιν αὐτῷ διαιρουμένου. i. e. "Neque igitur contaminabatur creato "corpore; neque in substantia passus est, utpote "impatibilis, divulso rursus ab ipso, quod mortale

[c] Pag. 650. edit. Valesii. [p. 761.]

" erat." Quid magis catholice unquam dictum fuit? Procul dubio igitur in locis ante citatis nihil aliud voluit Eusebius, (nisi vero virum doctissimum cum Petavio hominem obtusum, quod absit, dicere velimus,) quam quod ante ipsum voluerunt Patres, quorum sententiam modo explicavimus; nempe Deo Patri, ut ingenito, neutiquam convenisse οἰκονομίαν, aut ut tanquam ab alio missus, vel per simulatas species appareret; Filium vero Dei ex voluntate Patris, a quo natus est, suscepisse illam ipsam œconomiam, haud indecorum fuisse; eamque ob causam non Patrem, sed Filium se olim patriarchis sub virili specie exhibuisse; quemadmodum et postremis temporibus non Pater, sed Filius verum hominem in unitatem personæ assumpsit. Sed ab Eusebio ad alios Patres, qui omnium confessione catholici fuerunt, progrediamur.

276 13. Cyrillus Hierosolymitanus in quartadecima catechesi[d] Filium esse existimat, quem Esaias sedentem super solium aspexit, Τὸν πατέρα μὲν γὰρ (inquit) οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ δὲ τῷ προφήτῃ τότε φανεὶς, υἱὸς ἦν. i. e. " Etenim Patrem nemo vidit unquam; " qui autem prophetæ tunc visus est, erat Filius." Basilius in secundo adversus Eunomium[e], Filium fuisse, qui Mosi in rubo apparuit, inde probat, quod scriptum sit, *Angelum Domini visum fuisse in rubo;* ac subinde illum ipsum Angelum dixisse, *Ego sum qui sum*, &c. Hinc enim ita argumentatur; Τίς οὖν ὁ αὐτὸς καὶ ἄγγελος καὶ Θεός; ἆρα οὐχὶ περὶ οὗ μεμαθήκαμεν, ὅτι καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος; i. e. " Qui igitur est ille, qui idem et Angelus est " et Deus? nonne is est, de quo sic accepimus, ejus

[d] [§. 27. p. 219.]

[e] Pag. 742. editionis Parisiensis 1638. [§. 18. vol. I. p. 253.]

" nomen esse, *magni consilii Angelus?*" Nimirum sensit Basilius cum priscis illis, quos supra commemoravi, *Dei* quidem nomen Patri et Filio æque convenire; *Angeli* vero appellationem non item; quippe quæ Filii propria sit, qui singulis ætatibus a Patre missus ejus voluntatem hominibus patefecit. Mox vero ibidem ita concludit Basilius; Παντὶ οὖν δῆλον, ὅτι ἔνθα καὶ ἄγγελος καὶ Θεὸς ὁ αὐτὸς προσηγόρευται, ὁ μονογενὴς ἐστι δηλούμενος, ἐμφανίζων ἑαυτὸν κατὰ γενεὰν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸ θέλημα τοῦ Πατρὸς τοῖς ἁγίοις ἑαυτοῦ διαγγέλλων. i. e. " Ubicunque igitur et Angelus et Deus " idem appellatus est, cuilibet manifestum est, uni- " genitum significari; qui seipsum per generationes " hominibus manifestum facit, et voluntatem Patris " sanctis suis denuntiat." Theodoretus quoque in quinto adversus Hæreses, cap. 1. Patrem perinde *invisibilem* esse confirmat; ac neque visum esse, nec videri posse ostendit. Et in quæstione 5. in Exodum, Angelum, qui Mosi apparuit in rubo, et se Deum esse dixit, non Patrem, qui nullius esse potest nuntius, sed Filium fuisse contendit; sed non ὑπουργὸν, id est *administrum*, vel *famulum*.

14. Ex Patribus Latinis hos testes adducimus. Hilarius, vir sanctissimus et Arianæ perfidiæ hostis acerrimus, passim et disertissime eandem doctrinam tradit. Nam in libro IV. de Trinitate[f] Angelum, qui Agari adstitit, Filium Dei fuisse inde probat, quod idem tum Deus ac Dominus, tum Angelus Dei appelletur; nulli autem utrumque istud nomen proprie tribui possit, præterquam Dei Filio; qui solus et natura sua Deus verus est, et secundum officium et dispensationem Dei Angelus, hoc est, paternæ voluntatis Annuntiator; quæ functio dignitatem ejus

[f] [§. 23. p. 841.]

haud dedecet, siquidem ex Patre ipse originem habet. Inter cætera enim sic ibidem scribit, " Qui " Angelus Dei dictus est, idem Dominus et Deus " est. Est autem secundum Prophetam Filius Dei " *magni consilii Angelus.* Ut personarum distinctio " absoluta esset, Angelus Dei est nuncupatus; qui " enim est Deus ex Deo, ipse est et Angelus Dei. " Ut vero honor debitus redderetur, et Dominus et " Deus est prædicatus." Hinc sub finem ejusdem libri [5] Filium solum visum ab hominibus, Patrem invisibilem esse contendit; nam ad locum quendam Jeremiæ ita illic scribit, " Habes ergo DEUM in " terra visum, et inter homines conversatum. Et " requiro, quomodo intelligendum existimes, *Deum* " *nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui* " *est in sinu Patris;* cum Hieremias Deum præ- " dicet, qui et visus in terris est, et inter homines " conversatus est? Pater certe non nisi soli Filio " visibilis est. Quis ergo iste est, qui est visus et " conversatus inter homines? Deus certe noster est, " et visibilis in homine, et contrectabilis Deus." Et mox, " *Super terram visus est, et inter homines* " *conversatus est.* Unus est enim Mediator Dei et " hominum, Deus et homo; et in legislatione, et in " corporis assumptione Mediator.———Unus est " enim hic in Deum ex Deo natus, per quem creata " sunt omnia in cœlo et in terra, per quem tempora " et sæcula facta sunt. Totum enim quicquid est, " ex ejus operatione subsistit. Hic ergo unus est, " disponens ad Abraham, loquens ad Mosen, testans " ad Israel, manens in prophetis, per virginem natus " ex Spiritu Sancto, &c." Ubi et obiter notandum contra Bellarminum aliosque pontificios, diserte af-

[5] [§. 42. p. 852.]

firmare Hilarium, (quod et communiter docuisse veteres liquet,) Servatorem nostrum etiam in legislatione et ante ἐνσάρκωσιν Mediatorem fuisse; proinde non humanæ tantum naturæ, utpote quam nondum assumpserat, respectu Mediatorem esse; quod tamen isti acriter contenderunt. Cæterum idem Hilarius in libro V.[h] de Angelo, qui Agari visus est, rursus loquens, "Angelus Dei," inquit, "ad Agar loquitur, "et idem Angelus Deus est. Sed forte idcirco non "Deus verus est, quia Angelus Dei est; inferioris "enim naturæ videtur hoc nomen; et ubi nuncu- "patio est generis alieni, ibi existimatur veritas "ejusdem generis non inesse. Et quidem jam su- 277
"perior liber inanitatem hujus quæstionis ostendit; "in Angelo enim officii potius quam naturæ intelli- "gentia est." Et paucis interjectis, "Volens igitur "lex, imo per legem Deus, personam paterni nomi- "nis intimare, Dei Filium Angelum Dei loquuta "est, id est, nuntium Dei. Significationem enim "officii testatur in nuntio; naturæ autem veritatem "confirmavit in nomine, cum Deum dixit. Hic au- "tem nunc dispensationis est ordo, non generis; "non enim aliud quam Patrem et Filium prædica- "mus; et ita naturam nominum coæquamus, ut "veritatem Dei teneat ex innascibili Deo Dei uni- "geniti nativitas. Missi autem et mittentis signi- "ficatio hic non aliud quam Patrem et Filium do- "cet; cæterum veritatem non adimit naturæ, neque "in Filio perimit nativæ divinitatis proprietatem." Denique idem in eodem libro de viso Esaiæ Deo sic disserit[i]; "Esaias enim Deum vidit, et cum scrip- "tum sit, *Deum nemo vidit unquam, nisi unigeni- "tus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit,*

[h] [V. 11. p. 859.] [i] Pag. 58. [V. 33. p. 873.]

" Deum tamen propheta vidit, et gloriam ejus usque " ad invidiam propheticæ dignitatis aspexit. Nam " in judicium mortis ob hanc causam a Judæis actus " est. Deum itaque nemini visum unigenitus Filius, " qui in sinu Patris est, enarravit;" et mox, " Pro- " phetia loquitur, evangelium testatur, apostolus in- " terpretatur, ecclesia confitetur Deum verum esse, " qui visus sit; cum tamen Deum Patrem visum " nemo fateatur." Ubi dogma hoc, nemini unquam visum esse Patrem, tam catholicum sua ætate fuisse asserit, ut nemo tunc catholicus contrariam sententiam defendere ausus fuerit. Ab Hilario ad alios ecclesiæ doctores transeo.

15. Ipse Augustinus in libro contra Adimantum capite 9.[k] ex istis Joannis verbis, *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, colligit: " Filium Dei, qui est Ver- " bum Dei, non solum novissimis temporibus, cum " in carne apparere dignatus est, sed etiam prius a " constitutione mundi, cui voluit, de Patre annun- " tiasse, sive loquendo, sive apparendo, vel per ange- " licam aliquam potestatem, vel per quamlibet crea- " turam." Quæ collectio infirma est, nisi pro certo statuatur, in evangelistæ verbis significari, nemini olim ipsum Deum Patrem se videndum exhibuisse. Itaque sibi ipsi, ut sæpe solet, contradicit Augustinus, et id dicit, quod Hilarius neminem catholicum dicere ausurum existimavit, cum alibi, nempe in II. de Trinitate cap. 17.[l] affirmat, " nimis temerarium " esse dicere, Deum Patrem nunquam Patribus aut " prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse." Quod Augustini dictum, ut certum, temere appro-

[k] [Vol. VIII. p. 120.]

[l] [§. 32. vol. VIII. p. 791.]

bat Petavius. Sub Novo quidem Testamento ipsum Deum Patrem homines allocutum scimus; nempe in Christi baptismo, et in ejusdem transfiguratione, dicentem, *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui;* et rursus in voce illa, *Ego clarificavi, et iterum clarificabo.* Ex quibus Scripturæ locis probare volens Petavius Augustini assertionem, ipsum nempe Deum Patrem prophetis aliquando visum fuisse, ita ratiocinatur [m]: "Non enim indig-"nius est summa illa et præstantissima Dei majes-"tate, utcunque in aures hominum incurrere sen-"sibili aliqua sonitus specie, quam in oculos, usur-"pata ad tempus imagine corporis." Ubi pro verbis, quæ nobis repræsentavit typographus, *non enim indignius est,* scripsit, ut opinor, Jesuita, aut certe scribere debuit, *non enim dignius est,* alioquin enim pessime cohærebit ejus argumentatio. Atqui, inquam ego, non ita certum illud est, ut Petavius existimavit. Nam ex veterum sententia, ut sæpius dixi, apparitiones illæ Dei in imagine visibili corporea præludia et figuræ erant futuræ incarnationis, quæ in Patrem neutiquam competebat. Sed ut certum illud sit, certe loca allata ad rem non pertinent; siquidem Augustinus, quem defendendum suscepit Petavius, de ἐπιφανείαις Dei sub Veteri Testamento, Patribus nempe et prophetis olim factis, diserte locutus est. Quin et extraordinarium fuit, et ad Filii, jam in terris ut meri hominis conspecti, missionem a Patre confirmandam necessarium, quod ipse Deus Pater istas tum de Filio suo voces emiserit. Sed hæc obiter. Porro cum apparitiones illæ Dei sub Veteri Testamento ad missionem alterius ab altero, sive functionem alteri ab altero demanda-

[m] [De Trin. VIII. 2, 18. p. 801.]

tam spectarint; (unde et plerumque is qui apparuit, non modo Deus, sed etiam Angelus, hoc est, Missus dicitur;) ipse Augustinus aperte fatetur missionem Deo Patri nequaquam convenire; nam in quarto de Trinitate cap. 20.[n] sic scribit; "Sicut ergo Pater "genuit, Filius genitus est; ita Pater misit, Filius "missus est." Item, "Sicut natum esse, est Filio, "a Patre esse; ita mitti, est Filio, cognosci quod "ab illo sit." Atque in fine libri ejusdem quarti, "absurdissime aut a Filio, quem genuit, aut a Spi- "ritu Sancto, qui de illo procedit, missum dici Pa- "trem" asserit; etsi "per subjectam creaturam vi- "sibiliter apparere velit." Clarissime vero idem in libro contra Arianorum sermonem cap. 4.[o] "Solus
278 "Pater," inquit, "non legitur *missus*, quoniam so- "lus non habet auctorem a quo genitus sit, vel a "quo procedat. Et ideo non propter naturæ diver- "sitatem, quæ in Trinitate nulla est, sed propter "ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur *missus*. "Non enim splendor aut fervor ignem, sed ignis "mittit sive splendorem sive fervorem." Quibus gemina legas in ejusdem libro III. contra Maximinum Arianum, cap. 14.[p] "Non enim," inquit, "ge- "nitorem ab eo quem genuit, sed genitum a geni- "tore mitti oportebat. Verum hæc non est inæqua- "litas substantiæ, sed ordo naturæ; non qnod alter "prior esset altero, sed quod alter esset ex altero." Cæterum ad ἐπιφανείας sub Veteri Testamento quod attinet, hactenus cum Augustino, quem sequitur Petavius, consentimus, non semper in angelo præsentia singulari adfuisse Deum, sed multa per solos an-

[n] [§. 29. vol. VIII. p. 829.]
[o] [Vol. VIII. p. 627.]
[p] [II. 14. 8. vol. VIII. p. 707.]

gelos administrasse; quin et modum excessisse in hac quæstione veteres nonnullos haud negamus. Præterea quando merus angelus, quando autem Deus in angelo apparuerit, sæpe difficilem esse conjecturam ultro fatemur. Porro amplectimur cum eodem Petavio Alphonsi Tostati regulam, ut probabilem; nempe quædam in Scripturis gesta commemorari vel exigua, vel ad unum aliquem paucosve pertinentia; alia vero præclara et insignia, vel ad usum populi totius spectantia. In prioribus administros fuisse solos angelos; quos Scriptura sic expressit, ut nullam divinæ alicujus personæ significationem præbeat. Posterioris autem generis res a Deo tractatas esse, itaque declarari, ut appareat non solum intervenisse angelum, sed per ipsum egisse, quæ vellet, illum, aut dixisse. Certissimum vero divinæ præsentiæ indicium illud arbitramur, cum is, qui apparet et loquitur, se Deum, vel eum qui est, vel Deum Abrahami, &c. vel Deum Patrum palam profitetur, sibique cultum et adorationem divinam exhibendam postulat; quod ab eo, qui Mosen e rubo, et Israelitas in monte Sinai allocutus est, factum esse scimus. Interim ubicunque non merum angelum, sed ipsum Deum apparuisse liquet, ibi non Patrem, sed Filium intelligendum esse, primævæ antiquitatis consentiens judicium religiose sequentes, constanter affirmamus. Sed e diverticulo in viam revertor.

16. Præter allata testimonia, et alia nobis suppeditavit ipse Petavius. Prudentius in Apotheosi contra Patripassianos uberrime demonstrat, solum antiquis apparuisse Verbum, non in propria specie, sed sub corporum imagine, quod a nemine Pater aspici queat. Sic autem canit inter cætera:

Passibilisne Deus, cujus species et imago
Nulli visa unquam? nec enim comprendier illa
Majestas facilis sensuve, oculisve, manuve.
Joannis magni celebris sententia præsto est,
Haud unquam testata Deum potuisse videri. Ver. 6.

Item:

Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit Gnatum; nam Filius hoc est
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species, quas posset homo comprendere visu. V. 22.

Exinde ab Abrahamo et Mose solum Verbum sub corporea specie visum fuisse dicit; nullo vero modo Patrem:

Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons
Visibilis. Cerni potis est qui nascitur, at non
Innatus cerni potis est, &c. Ver. 77.

Cassianus in libro quarto de Incarnatione capite 9.[q] "Hic ergo unus est," inquit, "ad patriarchas loquens, in prophetis manens, ex Spiritu conceptus, natus ex Virgine Maria, &c." Tum, "Nunquid enim Pater unquam, qui non nisi Filio tantum visibilis esse legitur, aut in terris visus est, aut in carne editus, aut inter homines conversatus est? non utique." Denique Isidorus in libro de Nativitate Domini cap. 1.[r] "Ipse est enim Filius," inquit, "qui semper a Patre missus visibiliter apparebat hominibus. Ex ipsa ergo missione recte *Angelus* nuncupatur." Plura qui volet, consulat eundem Petavium, de Trinitate lib. VIII. cap. 2.

17. Ego illud unum adjiciam, tanquam notatu

[p] [p. 1009. ed. 1628.] [q] [p. 544.]

dignum; quod antiquitus ipsa symbola nonnullarum ecclesiarum Deum Patrem διακριτικῶς profiterentur invisibilem et impassibilem, nempe sensu quem explicavimus. Certe Ruffinus in explicatione Symboli, Apostolici dicti, diserte testatur, in articulo de Deo 279
Patre, post *omnipotentem* Aquilegiense Symbolum sua ætate habuisse, "invisibilem et impassibilem." Unde et in Epistola Auxentii archiepiscopi Mediolanensis apud Hilarium[r] primus Symboli articulus sic hodieque legitur: "Credo in Deum Patrem omnipotentem, "invisibilem, impassibilem, immortalem." Erasmus vero in responsione ad censuram theologorum Parisiensium ait, etiam orientales ecclesias eandem additionem recepisse; quod et ipse Vossius[s] verisimile censuit. Additamentum autem istud procul dubio oppositum fuit hæresi, quam prius nonnulli[t], quorum nomina periere, deinde Praxeas quidam, tum Beryllus ac Noetus, et postremo Sabellius propugnarunt; qui omnes docuerunt, non Filium Dei, sed ipsum Deum Patrem sub Veteri Testamento visum hominibus, ac demum in plenitudine temporis incarnatum ac passum fuisse. Ac de his hactenus.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. III. §. 5. ET SEQQ.

IIS, quæ reverendus auctor de Justino M. §. 5. disseruit, istud solum addo, quod si adversarii immensitatem ac omnipræsentiam Filii Dei a Justino negatam fuisse, ex eo concludere velint, quia eum in exigua terræ parte, cœlestibus quasi relictis, apparuisse dixit; nos pariter colligere posse, Justinum M. Dei Patris quoque immensitatem ac

[r] [Lib. contra Auxent. 14. p. 1270.]

[s] De tribus Symbolis pag. 26. [vol. VI. p. 511.]

[t] Vide Justini Apolog. II. p. 96. [Apol. I. 63. p. 81.] et Dialog. cum Tryphon. p. 358. [§. 128. p. 221.]

omnipræsentiam inficiatum esse, quia eum supernis quasi locis alligare videtur. Quippe ad Tryphonem pag. 275. A.[u] Deum Patrem ait ἐν τοῖς ὑπερουρανίοις ἀεὶ μένοντα, "in super- "cœlestibus semper manentem." Et p. 357. A.[x] "In re- "gione sua," inquit, "quæcunque ea tandem est, manet, "acutum cernens, acutum audiens." Ἐν τῇ αὐτοῦ χώρᾳ ὅπου ποτὲ μένει, ὀξὺ ὁρῶν, καὶ ὀξὺ ἀκούων. Verumenimvero uti Deus Pater in cœlis esse dicitur, quia *angeli in cœlis vident faciem ejus*, Matth. xviii. 10. ita λόγος in terris fuisse dicitur, quia in terris patriarchis aliisque viris sanctis sub visibili specie apparuit; cum tamen uterque cœlum pariter ac terram impleat, juxta Jerem. xxiii. 24. Cæterum iis, quæ §. 6. pro invisibilitate et incomprehensibilitate, ut ita dicam, Filii Dei ex Irenæo allata sunt, accedit insignis plane locus lib. III. cap. 18. p. 241. col. 2.[y] ita sonans; "Et ho- "minem ergo in semetipsum recapitulans est, invisibilis "visibilis factus, et incomprehensibilis factus comprehen- "sibilis, et impassibilis passibilis, et Verbum homo, uni- "versa in semetipsum recapitulans; uti sicut in supercœ- "lestibus, et spiritalibus, et invisibilibus princeps est Ver- "bum Dei; sic et in visibilibus, et corporalibus principa- "tum habeat, in semetipsum primatum assumens, et ap- "ponens semetipsum caput ecclesiæ, universa attrahat ad "semetipsum apto in tempore." Clementem Alex. lege lib. VII. Strom. p. 704. A.[z] et 711. A. B.[a] De reliquis Patribus brevitatis causa nihil addo.

CAP. IV.

280

Proponitur thesis tertia, qua usus doctrinæ de subordinatione Filii explicatur.

1. CUM in superioribus veterum sententiam de subordinatione Filii ad Patrem tam prolixe explicaverimus; restat tamen adhuc, ut de egregio hujus

[u] [§. 56. p. 150.] [x] [§. 127. p. 220.]
[y] [c. 16. 6. p. 206.] [z] [Pag. 833.] [a] [Pag. 840.]

doctrinæ usu, quem iidem veteres observarunt, nonnihil dicamus. Igitur hæc esto thesis nostra tertia, atque hujus ultimæ sectionis postrema:

THESIS TERTIA.

Doctrinam de subordinatione Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium, ideo cognitu creditutque perutilem ac plane necessariam esse, antiqui doctores existimarunt, quod hac imprimis ratione ita Filii divinitas adseratur, ut nihilominus Dei unitas, et monarchia divina, sarta tecta conservetur. Scilicet quamvis duobus, nempe Patri et Filio Dei, nomen et natura communis sit; tamen quoniam alter alterius est principium, a quo propagatur, idque interiori productione, non externa; fit, ut Deus esse unicus merito dicatur. Quam rationem pariter ad Spiritus Sancti divinitatem pertinere prisci illi crediderunt.

2. Ex veterum sententia, cui ratio communis suffragatur, si duo in divinitate essent ingenita, sive principia a se pendentia, consequens foret, ut non modo Pater sua privaretur ἐξοχῇ, qua divinitatem a seipso, hoc est, a nullo alio habet; (qua de re superius fuse egimus,) verum etiam ut duo Dii necessario statuerentur. Contra posita subordinatione, qua Pater solus a seipso Deus, Filius vero de Deo Patre Deus esse docetur, putarunt doctores, tum illam Patris ἐξοχὴν, tum divinam monarchiam in tuto iri collocatum. Quod idem et ad tertiam Divinitatis personam, Spiritum nempe Sanctum, extendi voluerunt; quem, quod a Patre per Filium ipse suam habeat originem, τριθεότητα, sive tres Deos neutiquam inducere crediderunt. Multa sunt ac lectu dignissim

quæ hac de re apud Patres, præsertim qui de Trinitatis dogmate fusius scripserunt, reperias. Nos ex tanta copia delectum faciemus.

3. Athenagoram supra[b] audivimus, unum esse Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, inde inferentem, quod unicus sit fons divinitatis, nempe Pater, a quo tum Filius, tum Spiritus Sanctus suam uterque trahant originem. Tertullianus vero copiosissime rem explicat libro adversus Praxeam cap. 2. 3. et 4.[c] ubi contra Praxeanos, qui personarum distinctionem in divina essentia, sub prætextu unius Dei, negabant, ita erudite disserit; "Dandus est etiam," inquit, "retractatibus locus; vel ne videatur una-
"quæque perversitas non examinata, sed præjudi-
"cata damnari; maxime hæc, quæ se existimat me-
"ram veritatem possidere, dum unicum Deum non
"alias putat credendum, quam si ipsum eundemque
"et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicat.
"Quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno
"omnia, per substantiæ scilicet unitatem; et nihil-
"ominus custodiatur οἰκονομίας sacramentum, quæ
"Unitatem in Trinitatem disponit." Deinde post nonnulla sic pergit; "Duos et tres jam jactitant a
"nobis prædicari; se vero unius Dei cultores præ-
"sumunt; quasi non et unitas irrationaliter collecta
281 "hæresim faciat, et Trinitas rationaliter expensa ve-
"ritatem constituat. Μοναρχίαν, inquiunt, tenemus.
"Et ita sonum vocaliter exprimunt etiam Latini,
"etiam Opici[d], ut putes illos tam bene intelligere
"μοναρχίαν quam enuntiant. Sed μοναρχίαν sonare

[b] Vide II. 4. 9. [p. 200.] [c] [Pag. 501–2.]

[d] Id est, agrestes, inculti, barbari, qui et barbare loquuntur. Vera significati ratio est, quod Opici (qui et Osci) olim populi Campaniæ rudes et inculti fuerint.

" student Latini; *οἰκονομίαν* intelligere nolunt etiam " Græci. At ego, si quid utriusque linguæ præcerpsi, " *μοναρχίαν* nihil aliud significare scio, quam singu- " lare et unicum imperium; non tamen præscribere " monarchiam, ideo quia unius sit, eum cujus sit " aut filium non habere, aut ipsum se sibi filium " fecisse, aut monarchiam suam non per quos velit " administrare. Atquin nullam dico dominationem " ita unius sui esse, ita singularem, ita monarchiam, " ut non etiam per alias proximas personas admi- " nistretur, quas ipsa prospexerit officiales sibi. Si " vero et filius fuerit ei, cujus monarchia sit, non " statim dividi eam, et monarchiam esse desinere, si " particeps ejus adsumatur et filius; sed proinde illius " esse principaliter, a quo communicatur in filium; " et dum illius est, proinde monarchiam esse, quæ a " duobus tam unicis continetur. Igitur si et mo- " narchia divina per tot legiones et exercitus ange- " lorum administratur, sicut scriptum est, *Millies* " *millia adsistebant ei, et millies centena millia* " *apparebant ei;* nec ideo unius esse desiit, ut de- " sinat monarchia esse, quia per tanta millia vir- " tutum procuratur; quale est ut Deus divisionem " et dispersionem pati videatur in Filio et in Spiritu " Sancto, secundum et tertium sortitis locum, tam " consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in " tot angelorum numero, et quidem tam alienorum " a substantia Patris[e]? Membra, et pignora, et in- " strumenta, et ipsam vim, ac totum censum mon- " archiæ, eversionem deputas ejus; non recte. Malo " te ad sensum rei, quam ad sonum vocabuli exerceas. " Eversio enim monarchiæ illa est tibi intelligenda,

[e] [Al. *tam a substantia alienis?*]

" quum alia dominatio suæ conditionis et proprii sta-
" tus, ac per hoc æmula superducitur; quum alius
" Deus infertur adversus Creatorem; tunc male,
" quum plures, secundum Valentinos et Prodicos;
" tunc in monarchiæ eversionem, quum in Creatoris
" destructionem. Cæterum qui Filium non aliunde
" deduco, sed de substantia Patris, nihil facientem
" sine Patris voluntate, omnem a Patre consecutum
" potestatem; quomodo possum de fide destruere
" monarchiam, quam a Patre Filio traditam in Fi-
" lio servo? Hoc mihi et in tertium gradum dictum
" sit; quia Spiritum non aliunde puto, quam a Patre
" per Filium. Vide ergo, ne tu potius monarchiam
" destruas, qui dispositionem et dispensationem ejus
" evertis, in tot nominibus constitutam, in quot Deus
" voluit." Hactenus doctissime Tertullianus.

4. Similia habet Novatianus lib. de Trinit. cap. 31.[f] ubi de Deo Patre ac Filio hunc in modum scribit; " Deus utique procedens ex Deo, secundam per-
" sonam efficiens; sed non eripiens illud Patri, quod
" unus est Deus. Si enim natus non fuisset, innatus,
" comparatus cum eo qui esset innatus, æquatione
" in utroque ostensa, duos faceret innatos; et ideo
" duos faceret Deos, si non genitus esset, collatus
" cum eo qui genitus non esset; et æquales inventi
" duos Deos merito reddidissent non geniti, atque
" ideo duos Christus reddidisset Deos, si sine ori-
" gine esset, ut Pater, inventus, et ipse principium
" omnium, ut Pater; duo faciens principia, duos
" ostendisset nobis consequenter et Deos." Deinde paucis interjectis hæc subdit; " Nunc autem quid-
" quid est, non ex se est, quia nec innatus est; sed
" ex Patre est, quia genitus est; sive dum Verbum

[f] [Pag. 729.]

" est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, " sive dum lux est, sive dum Filius est; et quicquid " horum est, dum non aliunde est, quam, sicut dixi- " mus jam superius, ex Patre, Patri suo originem " suam debens, discordiam divinitatis de numero " duorum Deorum facere non potuit, qui ex uno " Deo[g] originem nascendo contraxit. Quo genere " dum et unigenitus est, et primogenitus ex illo est " qui originem non habet, unus est omnium rerum " et principium et caput." Denique prope finem libri ita disserit; " Deus quidem ostenditur Filius, cui " divinitas tradita et porrecta conspicitur; et tamen " nihilominus unus Deus Pater probatur, dum gra- " datim reciproco meatu illa majestas atque divinitas " ad Patrem, qui dederat eam, rursum ab illo ipso " Filio missa revertitur, et retorquetur."

5. Hippolytum alibi[h] adduximus, in libro contra Noetum sic disserentem; " Cum alium dico," (nempe 282 Filium a Patre,) " non duos Deos dico; sed tan- " quam lumen ex lumine, et aquam ex fonte, aut " radium a sole. Una enim virtus ex toto; totum " vero Pater, ex quo virtus, Verbum." Ubi notavi, Patrem et Filium, persona licet distinctos, unum tamen esse Deum inde ab Hippolyto probari, quod Filius non sit Deus a seipso, sed Deus de Deo, atque ex Patre, veluti lumen ex lumine, et aqua ex fonte, et radius a sole prodeat. Denique (ut alios omittam quamplurimos, quos citare poteram) Origenes ad Epistolam ad Romanos ix. 5.[i] hæc annotat; " Ex ip- " sis ergo est et Christus secundum carnem, *qui est* " *super omnia Deus benedictus in sæcula.* Chris- " tum aliud secundum carnem esse, et aliud secun-

[g] [Al. *qui ex illo qui est unus Deus.*]

[h] Sect. II. 8. 5. [p. 277.] [i] [Lib. VII. 13. vol. IV. p. 612.]

" dum Spiritum, jam et in prioribus hujus Epistolæ " partibus designavit, ubi dicit, *Qui factus est ex* " *semine David secundum carnem; qui destinatus* " *est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanc-* " *tificationis.* Et quomodo secundum Spiritum Filius " Dei sit, et secundum carnem Filius David, ibi ple- " nius pro viribus exposuimus. Quem ergo ibi secun- " dum Spiritum Filium Dei dixit, hic procedente " doctrinæ ordine, proficientibus utpote auditoribus, " Deum, *qui est super omnia benedictus,* ipsum esse " pronuntiat. Et miror quomodo quidam legentes, " quod idem apostolus in aliis dicit, *Unus Deus* " *Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus* " *Christus, per quem omnia,* negent Filium Dei " Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere vi- " deantur. Et quid de hoc loco apostoli facient, in " quo aperte Christus *super omnia Deus* esse per- " scribitur [k]? Sed non advertunt, qui hæc ita sen- " tiunt, quod sicut Dominum Jesum Christum non " ita unum esse Dominum dixit, ut ex hoc Deus " Pater Dominus non dicatur, ita et Deum Patrem " non ita dixit esse unum Deum, ut Deus Filius " non credatur. Vera est enim Scriptura, quæ dicit, " *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* Unus " autem uterque est Deus, quia non est aliud Filio " divinitatis initium, quam Pater; sed ipsius unius " paterni fontis, sicut Sapientia dicit, *purissima* est " *manatio* Filius." Haud me fugit obtendisse Eras- mum [l], (ut scilicet absurdam suam illustris Paulini loci Rom. ix. 5. interpretationem melius tueretur,) hanc paragraphen ab Hieronymo, aut si quis alius fuerit interpres, fuisse correctam; id ipsum vero hac

[k] [Ed. Bened. *perhibetur.*]

[l] In notis ad Rom. ix. 5.

ratione probare adnisum fuisse, nempe " mirum esse, " quod indicet hic Origenes, id temporis fuisse, qui " non audebant Christum appellare Deum, ne plures " Deos facere viderentur." Atqui, inquam ego, cur isthoc tam mirum sit? scilicet dogma hic perstringitur Arianorum, (sic se mox explicat Erasmus,) qui multis post Origenem annis damnati fuerunt. Verum ecquis est, qui non miretur, magnum Erasmum vel nescivisse, vel non meminisse, plures fuisse non solum Origenis tempore, sed et multis ante ipsum annis, qui veriti sunt Filium agnoscere pro divina persona a Patre distincta, ne duos Deos introducere viderentur? Annon Praxeani ante Origenem, (teste Tertulliano in loco paulo ante citato,) sub prætextu monarchiæ, negabant Deum Patrem habere Filium, a se persona distinctum, et ejusdem cum ipso naturæ? annon eandem hæresim defendebat Noetus, Origenis coætaneus? annon id ipsum docuit Beryllus, quocum in synodo episcoporum palam congressus est ipse Origenes? fuere præterea et alii Origenis ætate et ante, qui Filii distinctam in divina essentia subsistentiam, adeoque ipsius divinitatem καθόλου et simpliciter negarunt, ne scilicet duos facerent Deos. Nunquamne inaudiverat vir doctissimus de Ebionæis, qui unius Dei Patris se cultores profitentes Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον affirmarunt; quique ab ipso Origene in libris contra Celsum non uno in loco nominatim notantur? annon id ipsum diu ante Origenem docuit Theodotus Coriarius [m]? Denique ne textum allatum ab Hieronymo aliove interprete interpolatum existimes, in Commentario Origenis in Joannem, prout Græce ab Huetio editus

[m] De omnibus hactenus recensitis hæreticis, Deitatem Christi negantibus, vide Judicium Ecclesiæ Cathol. cap. 2. et 3. GRABE.

est, eandem hæresim iisdem telis confossam videas [m]. Porro idem Origenes libro I. in Genesin, postquam Filium dixerat æternæ lucis splendorem æternum, subjungit, " Erat autem, non sicut de æterna luce " diximus, ne duo principia lucis videamur inducere; " sed sicut ingenitæ lucis splendor, ipsam illam lucem " initium habens ac fontem." Demum in indubitato ipsius opere contra Celsum lib. VIII. contendit, Christianos seditionis adversus Deum omnium Parentem nequaquam reos esse, quanquam una cum ipso et Filium ipsius divino cultu adorent; idque hoc probat
283 argumento, quod omnis Filii honos in Deum Patrem, qui ipsum genuit, redundet. Verba sunt [n]; Καὶ οὐδεμίαν ἡμῶν ἔχει δεῖξαι στάσιν περὶ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ὁ Κέλσος. καὶ σέβομέν γε τὸν πατέρα, θαυμάζοντες αὐτοῦ τὸν υἱὸν λόγον, καὶ σοφίαν, καὶ ἀλήθειαν, καὶ δικαιοσύνην, καὶ πάντα ἅπερ εἶναι μεμαθήκαμεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, οὕτω δὴ καὶ τὸν γεννηθέντα ἀπὸ τοῦ τοιούτου Πατρός. i. e. " Nec est quod Celsus " nobis seditionem objiciat propter Filium. Venera- " mur enim Patrem, eo quod admiramur ejus Fi- " lium, Verbum, et Sapientiam, et Veritatem, et " Justitiam, et quicquid didicimus esse Dei Filium, " e tali Patre progenitum."

6. Ne quis autem periculosis, quæ feruntur, primævorum Patrum dictis et hæc etiam annumeret, addo, eandem doctrinam tradidisse Patres, qui Nicæno concilio posteriores fuerunt, quique a decretis ejusdem synodi ne latum quidem unguem recedere voluerunt. Hujus rei testis locupletissimus est M. Athanasius, Nicænæ fidei hyperaspistes acerrimus. Sic enim ille loquitur in Oratione contra Sabellii

[m] Hujus sectionis I. 10. sub finem. [p. 702.]

[n] Pag. 386, 387. [§. 13. p. 751.]

gregales[o]: Ὅπου δὲ μία μὲν ἡ ἀρχὴ, ἓν δὲ τὸ ἐξ αὐτῆς γέννημα, εἰκὼν ἀκριβεστάτη καὶ φυσικὴ, διότι καὶ γεννητὴ ἐξ αὐτοῦ, εἷς Θεός· τελείας μὲν ἐν Πατρὶ τῆς θεότητος νοουμένης, τελείας δὲ καὶ ἐν υἱῷ τῆς πατρικῆς θεότητος ὑπαρχούσης. Quæ verba, ut solet, nonnihil obscuravit interpres. Sic autem verti debuerunt; "Ubi unum quidem "principium, una autem et ex eo progenies, imago "absolutissima et naturalis, nimirum genita ex eo, ibi "unus Deus; perfecta Deitate in Patre intellecta, "et perfecta Paterna Deitate in Filio subsistente." Sed plenius rem declarat in Oratione V.[p] contra Arianos sub initium; Ἐπειδὰν, inquit, ἐκ Θεοῦ Θεός ἐστι, καὶ τοῦ Θεοῦ λόγος, σοφία, υἱὸς, καὶ δύναμίς ἐστιν ὁ Χριστός· διὰ τοῦτο εἷς Θεὸς ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς καταγγέλλεται. Τοῦ ἑνὸς γὰρ Θεοῦ υἱὸς ὢν ὁ λόγος εἰς αὐτὸν, οὗ καί ἐστιν, ἀναφέρεται· ὥστε δύο μὲν εἶναι πατέρα καὶ υἱὸν, μονάδα δὲ θεότητος ἀδιαίρετον καὶ ἄσχιστον. λεχθείη δ' ἂν καὶ οὕτως μία ἀρχὴ θεότητος, καὶ οὐ δύο ἀρχαί· ὅθεν κυρίως καὶ μοναρχία ἐστίν. ἐξ αὐτῆς δὲ τῆς ἀρχῆς ἐστι φύσει υἱὸς ὁ λόγος, οὐχ ὡς ἀρχὴ ἑτέρα καθ' ἑαυτὸν ὑφεστὼς, οὐδ' ἔξωθεν ταύτης γεγονὼς, ἵνα μὴ τῇ ἑτερότητι δυαρχία καὶ πολυαρχία γένηται· ἀλλὰ τῆς μιᾶς ἀρχῆς ἴδιος υἱὸς, ἰδία σοφία, ἴδιος λόγος, ἐξ αὐτῆς ὑπάρχων. i. e. "Quoniam Christus ex "Deo Deus est, et Ratio Dei, et Sapientia, et Po-"tentia, et Filius; ideo unus Deus in divinis Scrip-"turis renuntiatur. Verbum enim, cum sit unius "Dei Filius, in eum refertur, cujus est Filius; ita ut "duo quidem sint Pater et Filius; sed tamen uni-"tas Deitatis remaneat, eaque et indivisa et minime "discissa. Poterit autem et ad istum modum dici, "unum esse principium Deitatis, non duo principia

[o] Pag. 656. [vol. II. p. 42. Hanc orationem Athanasio abjudicat editor Benedict.]

[p] [Orat. IV. vol. I. p. 617.]

" unde et proprie monarchia, hoc est, unius domina-
" tus sit. Ex ipso autem principio per naturam ex-
" istit Filius, qui est Verbum; non quasi alterum
" principium seorsim subsistens, neque extra ipsum
" principium genitus; ne ratione diversitatis duo
" pluresve principatus oriantur; sed unius principii
" est suus propriusque Filius, propria Sapientia, pro-
" prium Verbum ex ipso principio subsistens." Hæc sane luculenta sunt.

7. Basilius quoque eadem ratione Dei unitatem contra Sabellianos defendit Oratione XXVII.[r] Οὐ δύο θεοί· οὐδὲ γὰρ δύο πατέρες. ὁ μὲν ἀρχὰς εἰσάγων δύο, δύο κηρύττει Θεούς. i. e. " Non duo sunt Dii; non enim " Patres duo. Qui duo quidem principia constituit, " duos prædicat Deos." Gregorius Nazianzenus in Oratione XXXII.[s] eleganter Patrem appellat ἕνωσιν, *unionem;* propterea quod (ut recte observat Petavius) unitatis in Trinitate causa est productio, et unius ex altera personæ processio, sive principii unitas. Φύσις δὲ (inquit) τοῖς τρισὶ μία, Θεός· ἕνωσις δὲ ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ καὶ πρὸς ὃν ἀνάγεται τὰ ἑξῆς. " Natura est " una tribus, Deus. Unio vero Pater, ex quo, et ad " quem, quæ deinceps sunt referuntur." Idem in Oratione XXIX.[t] Τηροῖτο δ' ἄν, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος, εἷς μὲν Θεὸς, εἰς ἓν αἴτιον καὶ υἱοῦ καὶ πνεύματος ἀναφερομένων· οὐ συντιθεμένων, οὐδὲ συναλειφομένων. i. e. " Hac autem ra-
" tione, mea quidem sententia, Deus unus retine-
" bitur, si Filius et Spiritus ad unam causam re-
" ferantur; non autem componantur, aut commisce-
" antur." Cæsarius[u] in Dialogo primo ad Interrog.

[r] [Hom. XXIV. 4. vol. II. p. 192.]
[s] Pag. 520. [Orat. XLII. 15. p. 758.]
[t] Pag. 490. [Orat. XX. 7. p. 379.]
[u] [Gregorii Naz. frater.]

IV. Mosen scripsisse dicit[x], "Dominus Deus tuus, "Dominus unus est;" ut ad μοναρχίαν et θεογνωσίαν, hoc est, "unici principii professionem, Deique noti- "tiam" nos eveheret. Quod quidem principium unicum Pater est, ex quo Filius et Spiritus Sanctus originem habent. Damascenus in libro I. de Orthodoxa Fide cap. 11.[y] Διὸ, inquit, οὐδὲ τρεῖς Θεοὺς λέγομεν, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἕνα δὲ μᾶλλον Θεὸν, τὴν ἁγίαν τριάδα, εἰς ἓν αἴτιον υἱοῦ καὶ πνεύματος ἀναφερομένων· οὐ συντιθεμένων, οὐδὲ συναλειφομένων, κατὰ τὴν Σαβελλίου συναίρεσιν. i. e. "Propterea neque tres Deos "dicimus Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum; "sed unum potius Deum, sanctam Trinitatem, cum "ad unam causam referantur Filius atque Spiritus "Sanctus; non autem componantur, aut commis- 284
"ceantur, secundum Sabellii contractionem." Ubi ipsa Theologi, hoc est Gregorii Nazianzeni, verba usurpasse Damascenum, nemo est qui non videat. Ex Latinis unum tantum et alterum scriptorem laudabimus. Hilarius in quarto de Trinitate[z], "Non "enim Patri," inquit, "adimitur, quod Deus unus "est, quia et Filius Deus sit. Est enim Deus ex "Deo, unus ex uno; ob id unus Deus, quia ex se "Deus. Contra vero non minus per id Filius Deus, "quia Pater Deus unus sit. Est enim unigenitus "Filius Dei, non innascibilis, ut Patri adimat, quod "Deus unus sit; neque aliud ipse quam Deus, quia "ex Deo natus est." Similiter et Fulgentius in libro contra Objectiones Arianorum Resp. ad. Obj. V.[a] "In duobus enim ingenitis," inquit, "diversa

[x] [Bibl. Pat. Paris. 1624. vol. I. p. 551.]
[y] [c. 8. vol. I. p. 140.] [z] Pag. 37. [§. 15. p. 836.]
[a] [p. 59.]

" divinitas invenitur; in uno autem genito ex uno " ingenito naturalis unitas demonstratur."

8. Cæterum de hac veterum catholicorum ratione, qua Dei unitatem probant, duo apprime observanda sunt. Primo quod ipsam verbo tenus amplexi fuerint Ariani quoque. Nam episcopi Arianæ factionis in concilio Sirmiensi, cum in Confessionis suæ initio Filium Dei cum Nicænis Patribus *Deum ex Deo, lumen ex lumine* professi fuissent; sub finem ita definiunt[b]; Εἴ τις ἀγέννητον καὶ ἄναρχον λέγοι τὸν υἱὸν, ὡς δύο ἄναρχα καὶ δύο ἀγέννητα λέγων, καὶ δύο ποιῶν Θεοὺς, ἀνάθεμα ἔστω. κεφαλὴ γάρ ἐστι καὶ ἀρχὴ πάντων ὁ υἱός· κεφαλὴ δέ ἐστι τοῦ Χριστοῦ ὁ Θεός. οὕτω γὰρ εἰς μίαν ἄναρχον τῶν ὅλων ἀρχὴν δι' υἱοῦ εὐσεβῶς τὰ πάντα ἀνάγομεν. i. e. " Si quis Filium ingenitum et principii exper- " tem dixerit, tanquam duo ingenita et duo principii " expertia dicens, ac duos faciens Deos, anathema sit. " Caput enim et principium omnium est Filius; ca- " put autem Christi Deus. Ita enim ad unum om- " nium principium, quod est sine principio, per Fi- " lium pie omnia referimus." Sed hæc ab illis haud bona fide, sed sophistico suo more scripta fuisse certum est. Quippe Ariani credebant, Filium Dei ex Deo Patre, tanquam principio, productum fuisse per modum creationis, quemadmodum et cætera omnia; et hoc solum inter Dei Filium cæterasque creaturas discrimen ponebant, quod Filius primo et immediate a Patre ex nihilo productus sit, deinde per Filium reliqua; quod et ipsi Sirmienses non obscure significant in verbis illis, " Ad unum principium per Fi- " lium pie omnia referimus." His enim satis ostendunt, se pariter et Filium et alia omnia ad Deum

[b] Vide Socrat. Hist. Eccl. II. 30. [p. 126.]

Patrem, tanquam principium, referre; Filium quidem ἀμέσως· per Filium vero cætera. Frustra autem et perridicule conetur aliquis Patrem et Filium unum esse Deum inde demonstrare, quod hic ex illo, tanquam principio suo, existat, nisi principium ὁμογενῆ et consubstantiale intelligat. Nisi enim, inquam, illud in argumento supponatur, res singulas creatas unum esse cum Patre Deum, quod absurdissimum est, eadem opera probabitur; siquidem creaturæ omnes ex Deo Patre, tanquam principio, originem suam utcunque habent. Egregius vero Arianorum *Deus ex Deo*, qui non aliter ex Deo sit quam per modum creationis, quomodo ex Deo sunt, quæ subsistunt, universa! Dices, Hæc ad semi-Arianos saltem minime attinere; quippe qui Filium ex ipso Deo Patre, non ἐξ οὐκ ὄντων productum fuisse statuerint; et tamen ex substantia Patris genitum fuisse ipsum, omnino negarint. Fateor fuisse, qui ista olim docerent, quorum adeo sententiam supra [c] explicavimus; sed isti mihi semper visi sunt omnium mortalium ineptissimi. Nam ante rerum creationem, sicut nihil medium fuit inter Dei substantiam et nihil; ita nulla tum productio esse potuit media inter productionem ex Dei substantia, et productionem ex nihilo. Semi-Arianus igitur, et semi-Deus, et semi-creatura perinde monstra et portenta sunt, quæ sani et pii omnes merito exhorrent. Filius Dei aut verus omnino Deus, aut mera creatura statuatur necesse est; æternæ veritatis axioma est, inter Deum et creaturam, inter non factum et factum, medium esse nihil. Potiori igitur omnino jure isto argumento usi sunt Patres catholici; quippe qui omnes unanimi consensu Filii τὸ ὁμοούσιον agnoverunt.

[c] Vid. II 9. 11. [p. 315.]

9. Alterum, quod lectori observandum propono, illud est, Rationem hanc ab unitate principii sumptam, etiamsi quoque principium consubstantiale intelligatur, si absolute universeque spectetur, haud usquequaque aptam atque accommodatam esse ad unitatem Dei Patris et Filii declarandum ac demonstrandum. Habet enim, ut etiam recte monuit Petavius, generalem concludendi vim in omnibus, præsertim in vita animaque præditis, in quibus proprie dicta generatio cernitur. Hæc autem ut ejusdem naturæ sint cum principio, ex quo oriuntur, plura tamen individua seorsim ac separatim subsistentia constituunt. Ideo in thesi consulto addidi, Patrem esse principium Filii et Spiritus Sancti, et utrumque ab ipso propagari "interiori productione, non ex-
285 "terna;" unde fit, ut non modo ex Patre, sed in ipso sint, et Pater in ipsis; neque in sacra Triade altera persona ab altera separari possit, sicut tres humanæ personæ, aut alterius alicujus speciei suppositа ab invicem disterminantur. Qui enim hoc modo separari tres divinitatis hypostases existimant, merito *Tritheitæ* appellantur; de quorum crassissimo errore ita erudite scripsit Hieronymus Zanchius de tribus Elohim V. 1. 2.[d] "Istud vero," inquit, "com-
"menti sunt, quia etiam somniarunt, Filium ita na-
"tum esse ex Patre, ut sit extra essentiam Patris,
"quemadmodum et nostri liberi. Neque enim per-
"cipiunt, quomodo aliquid possit ex alio generari et
"ejus esse filius, ut tamen in illo, a quo generatur,
"permaneat. Idque propterea, quod sentiunt om-
"nem generationem fieri πρὸς ἔξω, *ad extra*, ut lo-
"quuntur scholastici; nullam autem πρὸς ἔσω, *ad*

[d] [Vol. I. p. 518. ed. 1605.]

" *intra.* Idem dico de processione Spiritus Sancti " a Patre et a Filio. Atque hæc ideo fabricati sunt " animo, quia essentiam divinam sua finita mente " contemplantes, non nisi finitam ante oculos sibi " proponere potuerunt. Personas vero a se invicem " distinguere nequiverunt, nisi etiam cujusque es- " sentiam ab alterius essentia separarent." Atque hunc ipsum errorem catholicis, qui Filium per se subsistere perinde ac Patrem dicebant, objicientibus olim Sabellianis, episcopi orientales Antiochiæ anno Christi 345. congregati, in sua Confessione fidei, quæ μακρόστιχος dicta fuit, ita non minus catholice, quam eleganter [e] (ausim id dicere, quanquam episcoporum illorum non pauci Arianæ perfidiæ favisse deprehendantur, et in ipsa Confessione vox ὁμοούσιος omittatur) respondent [f], Ἀλλ' οὐδὲ τὸν υἱὸν καθ' ἑαυτὸν εἶναι, ζῆν τε καὶ ὑπάρχειν ὁμοίως τῷ Πατρὶ λέγοντες, διὰ τοῦτο χωρίζομεν αὐτὸν τοῦ Πατρὸς, τόπους καὶ διαστήματά τινα μεταξὺ τῆς συναφείας αὐτῶν σωματικῶς ἐπινοοῦντες. πεπιστεύκαμεν γὰρ, ἀμεσιτεύτως αὐτοὺς καὶ ἀδιαστάτως ἐπισυνῆφθαι, καὶ ἀχωρίστως ὑπάρχειν ἑαυτῶν· ὅλου μὲν τοῦ Πατρὸς ἐνεστερνισμένου τὸν υἱόν· ὅλου δὲ τοῦ υἱοῦ ἐξηρτημένου καὶ προσπεφυκότος τῷ Πατρὶ, καὶ μόνου τοῖς πατρώοις κόλποις ἀναπαυομένου διηνεκῶς. i. e. " Sed neque tametsi dicamus Filium per " seipsum esse, ac vivere, et subsistere perinde ac " Patrem, illum idcirco a Patre separamus, spatia " quædam locorum et intervalla inter illorum con- " junctionem corporali more intelligentes; credimus " enim, eos absque ullo medio atque interstitio con- " junctos esse; nec a se invicem posse ullatenus se-

[e] Formulam illam orientalium universam, doctissimam atque elegantissimam pronuntiavit Valesius in Annot. ad Hist. Eccles. Socrat. p. 24.

[f] Vide Socrat. Hist. Eccles. II. 19. p. 100. edit. Valesii. [p. 102.]

" parari; quippe cum totus quidem Pater Filium " complectatur; totus vero Filius quasi appensus ad- " hæreseat Patri, solusque in Patris gremio perpetuo " conquiescat." Mirum quidem esset subscripsisse his Arianos, qui concilio isti interfuerunt, nisi et alia in eadem formula subscriptione sua confirmassent, quæ hæresi Arianæ ex diametro contraria sunt. Cujusmodi est imprimis illud, Filium Dei Θεὸν κατὰ φύσιν τέλειον εἶναι καὶ ἀληθῆ· " Deum natura perfectum " atque verum esse." Scilicet tenebriones isti parati erant quamlibet fidei Confessionem suo suffragio comprobare, quæ modo vocem ὁμοουσίου non haberet; etiamsi quoque in ea ponerentur verba alia, quæ apud sanos omnes idem prorsus significarent. Sed ad propositum revertor. Ita igitur unum sunt Pater et Filius, ut in Patre sit Filius, et in Filio Pater; neque alter ab altero separari possit. Quem unionis modum Græci περιχώρησιν, Latini vero, qui de schola sunt, theologi *circumincessionem*, alii *circuminsessionem* appellant [g]. Vocem ita explicat inter alios Genebrardus libro II. de Trinitate [h]; " Περιχώρησις et " circumincessio," inquit, " illa dici potest unio, qua " unum existit in alio, non tantum per naturæ par- " ticipationem, sed etiam per plenam et intimam " præsentiam. Hoc inexistentiæ, ut sic dicam, ge- " nus nostri *circumincessionem* appellant; quia per " illud aliqua, quantumvis a se invicem absque se- " paratione distinguantur, in se absque confusione " insunt, seque veluti immeant."

10. Hujusmodi unionem in divinis personis communiter agnovisse veteres, nunc demonstrabo, a doctoribus, qui concilium Nicænum antecesserunt, ini-

[g] [De hac περιχωρήσει plura habet in Respons. ad G. Clerke. Vid. Animadv. in Præf. §. 4.]

[h] Pag. 103.

tium faciens. Hic vero redeat velim lector ad testimoniorum thesaurum, quæ ad superiores sectiones congessimus. Ibi ex singulis Patribus loca citata reperiet, quæ docent, Filium Dei sive in Deo subsistere, sive in gremio et sinu Patris manere, sive in corde ipsius λόγου perpetuo insitum esse; et vicissim Patrem in Filio esse et existere; quæ omnia unionem, qua de agimus, non obscure significant. Hæc autem notio ita luculenter in omnibus veterum fere omnium scriptis expressa est, itaque Arianæ hypo- 286
thesi adversa, ut sæpe miratus fuerim, potuisse viros cordatos, et antiquitatis ecclesiasticæ peritos, scriptores illos Arianismi serio accusare. Equidem majore verisimilitudine Sabellianismi calumniam ipsis impegissent; quanquam et illa quoque repulsu facilis sit, ut alibi ostendimus. Eodem autem spectat, quod iidem veteres uno itidem ore profiteantur, Filium ex Patris essentia generari absque sectione et divisione ulla; et ex Patre ita prolatum esse, ut a Patre minime separetur. Ita Justinus, ita Tatianus, ita Theophilus Antiochenus, ita Tertullianus, ita Novatianus, ita demum universi. Unde Tertullianus libro adv. Prax. cap. 8. "Hæc," inquit, "erit probola "veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus" (nempe catholici in articulo de Trinitate omnes) "Filium a Patre, sed non separatum." Quid vero clarius loco illo Athenagoræ, quem attuli secundæ sectionis cap. 4. §. 9. in ipso initio? [p. 199.] ibi enim scriptor doctissimus, postquam dixerat unum esse Patrem et Filium, continuo modum unionis declarat his verbis; Ὄντος τοῦ υἱοῦ ἐν Πατρὶ, καὶ Πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος. "Quod sit in Patre Filius, et in "Filio Pater, unione et virtute Spiritus." Quibus plane gemina legas ex Clemente Alexandrino ci-

tata ejusdem sectionis cap. 6. §. 4. [p. 245.] Nec minus luculenter quam succincte idem expressit Tertullianus libro adv. Prax. cap. 12. ubi sacrosanctam Trinitatem dicit esse "unam substantiam in tri-" bus cohærentibus;" neque igitur diversas substantias in tribus ab invicem separatis, et seorsim subsistentibus. Idem Tertullianus eodem libro cap. 25. "Connexus," inquit, "Patris in Filio, et Filii in Pa-" racleto tres efficit cohærentes, qui tres unum sint, " non unus." Et rursus cap. 8. in fine, "Trinitas per " consertos et connexos gradus a Patre decurrens " monarchiæ nihil obstrepit." Denique cap. 2. in fine itidem ait, in Trinitate esse "numerum sine di-" visione." Apertissimus quoque est Origenis locus, quem recitavimus ejusdem rursus sectionis c. 9. §. 19. in ipso fine [p. 346.]; ubi ex professo impugnat Adamantius eorum errorem, "qui divinam naturam in " partes secant, et Deum Patrem, quantum in se est, " dividunt."—"Nam hoc," inquit, "de incorporea " natura vel leviter suspicari, non solum extremæ " impietatis est, verum etiam ultimæ insipientiæ; " nec omnino vel ad intelligentiam consequens, ut " incorporeæ naturæ substantialis divisio possit in-" telligi. Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, " et neque partem aliquam mentis secat, neque ab " ea separatur aut dividitur, tali quadam specie " putandus est Pater Filium genuisse." Idem Origenes, cum in opere ipsius indubitato contra Celsum passim doceret, divinam naturam atque essentiam Filio cum Patre communem esse, ut supra abunde ostensum est, in libro tamen illius syntagmatis quarto[g] diserte asserit, Dei naturam esse ἄφθαρτον, ἁπλοῦν, καὶ ἀσύνθετον, καὶ ἀδιαίρετον, "incorruptibilem,

[g] [§. 14. p. 510.]

" simplicem, nec compositam, nec divisibilem." Ubi etiam continuo subjicit, Filium Dei in forma sive natura Dei subsistere; proinde ipsi eadem divinæ naturæ attributa competere. Sed et mox ibidem Dei Filium dicit τὸν ἐν αὐτῷ (Πατρὶ) λόγον Θεὸν, " Ver- " bum Deum, qui in ipso (Patre) est." Certe quisquis illustrem illum Origenis locum expenderit, videbit in eo aperte doceri, duas hypostases, Patrem et Filium, in eadem essentia divina minime divisa subsistere; vide II. 9. 14. [p. 331.] Illustre ad eandem sententiam Dionysii Romani testimonium legas secundæ illius sectionis cap. 11. §. 1. [p. 390]; in quo eos acriter reprehendit vir magnus, " qui dividunt, et " secant, et evertunt sacrosanctum dogma ecclesiæ " Dei, monarchiam in tres quasdam virtutes partien- " tes, et divisas hypostases, ac Deitates tres." Quorum hæresi catholicam doctrinam mox opponit his verbis; " Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, " et in Deo manere et habitare Spiritum Sanctum. " Jam vero divinam Trinitatem in unum, velut " in caput quoddam et summam, omnipotentem " Deum universorum dico, colligi et coalescere pror- " sus necesse est." Quæ Dionysii verba non parum confirmant περιχωρήσεως definitionem, quam amplexus est doctissimus Bellarminus [h], dicens περιχώρησιν esse " illam intimam et perfectam inhabitationem unius " personæ in alia." Denique (ne nimius sim in re manifesta) in eodem capite §. 5. [p. 398.] locum Dionysii Alexandrini invenias citatum, in quo scriptor celeberrimus eorum inscitiam notat, qui " igno- " rant Patrem a Filio alienari non posse, quatenus " Pater est; quippe quod primarium sit conjunctio- " nis vocabulum; neque Filium a Patre procul re-

[h] Bellarmin. de Christo II. 5. [Op. vol. I. p. 383.]

"motum esse; siquidem Patris vocabulum commu-
"nionem declarat; in amborum vero manibus esse
"Spiritum Sanctum, qui neque a mittente, neque a
"ferente segregari possit." Ejusdem quoque est dictum illud, "Indivisibilem et indiminutam Trinita-
287 "tem in unitatem colligi[i]." Denique idem in Responsione ad Quæstionem IV. Pauli Samosateni[k], de tribus personis S. Trinitatis sic loquitur; Αἱ δύο ὑποστάσεις ἀχώριστοι, καὶ τὸ ἐνυπόστατον τοῦ Πατρὸς πνεῦμα, ὃ ἦν ἐν τῷ υἱῷ· "Duæ hypostases" (Patris sc. et Filii) "inseparabiles sunt, et subsistens Patris Spiritus, "qui erat in Filio."

11. Cum his consensisse Patres, qui post exortam Arianam controversiam scripserunt, restat ut ostendam. Atque innumeræ cum sint Patrum illorum, quæ huc spectant, sententiæ, nos pauca ex ipsis testimonia proferemus, quæ in cæterorum specimen capere liceat. Alexander Alexandrinus in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum ad locum illum Joannis evangelistæ, *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*, ita scribit[l]; Προνοούμενος γὰρ ὁ θεῖος δεικνύναι διδάσκαλος ἀλλήλων ἀχώριστα πράγματα δύο, τὸν Πατέρα καὶ τὸν υἱὸν, ὄντα αὐτὸν ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Πατρὸς ὠνόμασεν. i. e. "Nam cum divinus Magister osten-
"dere vellet, duas res esse a se invicem inseparabi-
"les, Patrem et Filium; hunc in sinu Patris esse
"dixit." Idem postea in eadem Epistola[m] dictum Christi, *Ego et Pater unum sumus*, dicit esse τῆς φυσικῆς αὐτοῦ δόξης τε καὶ εὐγενείας, καὶ παρὰ τῷ Πατρὶ μονῆς σημαντικὸν λόγον. i. e. "Sermonem, qui natura-

[i] De quo vide Annotata ad cap. 11. supra p. 150. col. 1. [p. 414.] GRABE.

[k] [Pag. 230.]

[l] Apud Theodorit. Eccl. Hist. I. 4. p. 11. edit. Valesii. [p. 12.]

[m] Pag. 15.

" lem ipsius gloriam ac nobilitatem, et apud Patrem " mansionem designat." Similiter Athanasius in Oratione V. contra Arianos [n]; Ἀλλ' ὥσπερ, inquit, ὁ λέγων Πατέρα καὶ υἱὸν δύο, ἕνα Θεὸν λέγει, οὕτως ὁ λέγων ἕνα Θεὸν, δύο φρονείτω Πατέρα καὶ υἱὸν, ἓν ὄντας τῇ θεότητι, καὶ τῷ ἐξ αὐτοῦ ἀμέριστον, καὶ ἀδιαίρετον, καὶ ἀχώριστον εἶναι τὸν λόγον ἀπὸ τοῦ Πατρός. i. e. " Sed quemadmodum " qui dicit Patrem et Filium duo, unum dicit Deum; " ita qui dicit unum Deum, Patrem et Filium duos " credat esse, sed unum divinitate, quodque ex ipso " procedens Verbum impartibile et inseparabile sit a " Patre." Quatenus autem res divinæ corporeis rebus adumbrari possunt, egregia similitudine (quæ Genebrardo mirifice placuit) mutuam in seipsis divinarum personarum ἐνύπαρξιν declarat pseudo-Dionysius Areopagita libro de Divinis Nominibus cap. 2. his verbis; Ἡνωμένον μέν ἐστι καὶ κοινὸν ἡ ἐν ἀλλήλαις, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ, καὶ ἵδρυσις ὁλικῶς ὑπερηνωμένη, καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεχυμένη, καθάπερ φῶτα λαμπτήρων, ἵνα αἰσθητοῖς καὶ οἰκείοις χρήσωμαι παραδείγμασιν, ὄντα ἐν οἴκῳ ἑνὶ, καὶ ὅλα ἐν ἀλλήλοις ὅλοις ἐστὶν ἀκραιφνῆ, καὶ ἀκριβῆ τὴν ἀπ' ἀλλήλων ἰδικῶς ὑφισταμένην ἔχει διάκρισιν, ἡνωμένα τῇ διακρίσει, καὶ τῇ ἑνώσει διακεκριμένα. καὶ γοῦν ὁρῶμεν ἐν οἴκῳ πολλῶν ἐνόντων λαμπτήρων, πρὸς ἕν τι φῶς ἑνούμενα τὰ πάντων φῶτα, καὶ μίαν αὐγλὴν ἀδιάκριτον ἀναλάμποντα. καὶ οὐκ ἄν τις, ὡς οἶμαι, δύναιτο τοῦδε τοῦ λαμπτῆρος τὸ φῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐκ τοῦ πάντα τὰ φῶτα περιέχοντος ἀέρος διακρῖναι, καὶ ἰδεῖν ἄνευ θατέρου θάτερον, ὅλων ἐν ὅλοις ἀμιγῶς συγκεκραμένων. ἀλλὰ καὶ εἰ τὸν ἕνα τις τῶν πυρσῶν ὑπεξαγάγοι τοῦ δωματίου, συνεξελεύσεται καὶ τὸ οἰκεῖον ἅπαν φῶς, οὐδέν τι τῶν ἑτέρων φώτων ἐν ἑαυτῷ συνεπισπώμενον, ἢ τοῦ ἑαυτοῦ τοῖς ἑτέροις καταλεῖπον· ἦν γὰρ

[n] [Orat. IV. 10. vol. I. p. 624.]

αὐτῶν, ὅπερ ἔφην, ἡ ὅλων πρὸς ὅλα παντελὴς ἕνωσις ἀμιγὴς καθόλου, καὶ οὐδενὶ μέρει συμπεφυρμένη. καὶ ταῦτα ὄντως ἐν σώματι, τῷ ἄερι, καὶ ἐξ ἐνύλου τοῦ πυρὸς ἠρτημένου τοῦ φωτὸς, ὅπουγε καὶ τὴν ὑπερούσιον ἕνωσιν ὑπεριδρύσθαι φαμὲν οὐ τῶν ἐν σώμασι μόνον ἑνώσεων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ψυχαῖς αὐταῖς καὶ ἐν αὐτοῖς νόοις, κ. λ. i. e. "Una est et communis "mutua in se invicem, si sic loquendum est, uni- "principalium hypostaseon mansio, et stabilitas, uni- "verse supra omnem modum unita, ac nulla parte "confusa, quemadmodum facium lumina, (ut sensi- "bilibus et appositis utar exemplis,) quæ in una "domo sunt, ac tota in se totis invicem sunt pura, "atque sincera, et exactam a seipsis peculiariter "subsistentem habent distinctionem; unita distinc- "tione, et unione distincta. Itaque videmus in do- "mo, cum plures sunt faces, in unum lumen con- "juncta esse omnium lumina, et uno ac minime dis- "tincto fulgore splendescere. Nemo autem, ut opi- "nor, posset certæ cujuspiam facis lumen ab aliis "ex aere omnia complectente lumina secernere, et "alterum intueri sine altero; cum tota sint in totis "sine mistione temperata. Quinetiam si unam quis- "piam facem e cubiculo subtrahat, proprium illius "una omne lumen exibit, sic ut nullam aliorum lu- "minum partem auferat secum, aut aliis relinquat "e suo. Erat enim, ut supra memoravi, totorum "perfecta cum totis unio permistionis omnis expers, "neque ulla parte confusa. Atque hæc revera in cor- "pore contingunt, aere; ubi lumen ex concreto cum "materia igne dependet; cum tamen illam super- "substantialem unionem eminere dicimus non modo "supra uniones illas, quæ cernuntur in corporibus; "sed eas etiam, quæ in animabus ipsis, et in ipsis "mentibus existunt, &c." Qui hæc tam præclara

scripsit, Dionysium Areopagitam non fuisse, certo quidem certius est; valde antiquum vero fuisse scriptorem constat. Doctissimus et reverendus admodum Pearsonus noster [o], quocum libenter sentio, non longe ab initio quarti sæculi scripsisse illum existimat. 288

12. Basilius rem multis in locis egregie exponit, præsertim in Epistola XLIII.[p] ubi de personis divinis ita disserit; Οὐ γάρ ἐστιν ἐπινοῆσαι τομὴν, ἢ διαίρεσιν, κατ' οὐδένα τρόπον· ὡς ἢ υἱὸν χωρὶς Πατρὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ διαζευχθῆναι. ἀλλά τις ἄῤῥητος καὶ ἀκατανόητος ἐν τούτοις καταλαμβάνεται καὶ ἡ κοινωνία καὶ ἡ διάκρισις· οὔτε τῆς τῶν ὑποστάσεων διαφορᾶς τὸ τῆς φύσεως συνεχὲς διασπώσης, οὔτε τῆς κατὰ τὴν οὐσίαν κοινότητος τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων ἀναχεούσης. i. e. "Neque enim "potest aliqua ullo pacto excogitari vel sectio, vel "divisio; ut sive Filius absque Patre intelligi, sive "Spiritus a Filio sejungi queat. Sed nescio quæ in "istis animadvertitur, quæ neque verbis explicari, "neque mente comprehendi potest, communio pari- "ter ac disjunctio; qua neque per differentiam ὑπο- "στάσεων continuatio naturæ dissipatur; neque per "eam, quæ est secundum οὐσίαν, communionem pro- "prietas notionum confunditur." Plura lectu digna ibidem sequuntur apud Basilium. Cyrillus Alexandrinus in septimo Thesauri [q] dicit Patrem Filio esse τόπον φυσικὸν, *naturalem locum*. Euthymius in Panoplia [r] breviter quidem, sed accurate totam περιχωρήσεως notionem explicat his verbis; Ἐν ἀλλήλαις δὲ ταύτας φαμὲν, διά τε τὴν ἀλληλουχίαν αὐτῶν, καὶ τὸ φεράλληλον, καὶ διὰ τὸ ἀπερίγραπτον καὶ ἀχώρητον τόπῳ· ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν μίαν τούτων θεότητα. i. e. "In se autem in-

[o] Vindic. Epist. Ignat. part. I. p. 7. [p. 277.] et c. 10. per tot.
[p] Tom. III. p. 67. [Ep. XXXVIII. 4. vol. III. p. 118.]
[q] [Vol. V.] p. 51. [r] Part. I. tit. 2.

" vicem inesse" (personas) " dicimus, tum ob eorum " mutuam cohærentiam, et quod invicem continent; " tum quod loco circumscribi capique nequeant; tum " denique quod una sit illarum divinitas." Damascenus non uno in loco hac de re disserit, ipsamque præclare explicat. In libro primo de Orthodoxa Fide cap. 11.[s] postquam dixerat supposita in rebus creatis in se invicem non esse, sed seorsum existere, propterea que duos et tres homines dici, et multos; mox ostendit personarum in sacrosancta Trinitate prorsus aliam esse rationem; Οὔτε γὰρ, inquit, τοπικὴν διάστασιν, ὡς ἐφ' ἡμῶν, δυνάμεθα ἐπὶ τῆς ἀπεριγράπτου λέγειν θεότητος. ἐν ἀλλήλαις γὰρ αἱ ὑποστάσεις εἰσὶν, οὐχ ὥστε συγχεῖσθαι, ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι, κατὰ τὸν τοῦ Κυρίου λόγον, Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί. i. e. " Non enim loca- " lem distantiam, sicut in nobis, dicere licet in incir- " cumscripta Deitate. Etenim in se invicem insunt " hypostases; non ut confundantur, sed ut sibi hæ- " reant, secundum Domini sermonem, dicentis, *Ego* " *in Patre, et Pater in me.*" Ac paulo post, Ἀμέριστος γὰρ ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης, καὶ οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων, καὶ ἀδιαστάτοις οὖσι, μία τοῦ φωτὸς σύγκρασίς τε καὶ συνάφεια. i. e. " Indivisa enim in divisis, ut uno verbo dicam, est " divinitas; plane quemadmodum in tribus ad invi- " cem contiguis solibus, et indistanter se habenti- " bus, una est luminis commixtio et conjunctio." Ubi similitudine fere eadem utitur, quam usurpasse pseudo-Dionysium modo ostendimus. Idem in lib. III. c. 5.[t] de Personis divinis disserens, Ἀνεκφοιτήτους δὲ αὐτὰς, inquit, καὶ ἀδιαστάτους ἀλλήλων, καὶ ἡνωμένας, καὶ ἐν ἀλλήλαις ἀσυγχύτως περιχωρούσας ἐπιστάμεθα· καὶ

[s] [c. 8. vol. I. p. 140.]

[t] [Pag. 310.]

ἡνωμένας μὲν ἀσυγχύτως· τρεῖς γάρ εἰσιν, εἰ καὶ ἥνωνται· διαιρουμένας δὲ ἀδιαστάτως. εἰ γὰρ καὶ ἑκάστη καθ' ἑαυτὴν ὑφέστηκεν, ἤγουν τελεία ἐστὶν ὑπόστασις, καὶ τὴν οἰκείαν ἰδιότητα, ἤτοι τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον διάφορον κέκτηται, ἀλλ' ἥνωνται τῇ τε οὐσίᾳ, καὶ τοῖς φυσικοῖς ἰδιώμασι, καὶ τῷ μὴ διίστασθαι, μηδὲ ἐκφοιτᾷν τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως, καὶ εἷς Θεὸς εἰσί τε καὶ λέγονται. i. e. "Easdem autem secedere a se invicem, ac separari non posse, et unitas, et in se invicem sine ulla confusione commeantes novimus; ita ut citra confusionem unita sint, (tres enim sunt etsi uniuntur,) et sine separatione discreta. Quamvis enim per se quæque subsistat, hoc est, perfecta sit hypostasis, et suam proprietatem, hoc est, existendi modum diversum habeat; tamen unitæ sunt essentia et naturalibus proprietatibus, et eo ipso, quod non separantur, neque a paterna hypostasi recedunt, unus Deus et sunt et esse dicuntur." His Græcorum testimoniis, ad refocillandum lectorem, carmen addam Synesii episcopi Cyrenes, qui ineunte quinto sæculo maxime floruit. Is in Hymno tertio sic modulatur:

Ὑμνῶ σε τριάς.	*Cano te Trinitas.*
Μονὰς εἶ, τριὰς ὤν·	*Unitas es, Trinitas quum sis:*
Τριὰς εἶ, μονὰς ὤν.	*Trinitas es, Unitas quum sis.*
Νοερὰ δὲ τομὰ	*Intellectualis autem sectio*
Ἄσχιστον ἔτι	*Indivisum adhuc*
Τὸ μερισθὲν ἔχει.	*Quod divisum est tenet.*

Eadem habet Hymno quarto.

13. Ex Latinis Marius Victorinus initio libri secundi adversus Arium de Deo Patre et Filio ita loquitur [u]; "Sed cum fatemur singulos duos [x], unum 289

[u] [Bibl. Pat. Galland. vol. VIII. p. 175.]

[x] [An legendum *Deos*?]

" tamen Deum dicimus, et ambos unum Deum, quod " et Pater sit in Filio, et Filius in Patre." Similiter Ambrosius lib. X. in Lucam ad cap. xx.[y] " Et Pa- " ter," inquit, " Dominus, et Filius Dominus; *Dixit* " *Dominus Domino meo;* et non duo Domini, sed " unus Dominus; quia et Pater Deus, et Filius " Deus, sed unus Deus; quia Pater in Filio, et Fi- " lius in Patre." Idem lib. II. de Fide cap. 2.[z] " Pater et Filius distinctionem habent, ut Pater et " Filius; separationem divinitatis non habent." Idem rursus in libro de Dignitate Conditionis humanæ cap. 2.[a] et principii unitatem et περιχώρησιν brevi et arguta oratione sic complectitur; " Ideo autem dicitur " Deus Pater, quia ipse est ex quo; et sapientia est, " qua ordinantur omnia; et dilectio, qua se volunt " omnia ita manere, ut ordinata sunt. Ex quo ergo, " et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt, " et illa tria ideo unum, quia sic sunt ex uno illa " duo, ut tamen ab ipso non sint separata; sed ex " ipso sunt, quia non a se; et in ipso, quia non se- " parata; et ipsum ipsa, quod ipse; et ipsum ipse " quod ipsa; et non ipsum ipsa qui ipse, et non ipsa " ipse quæ ipsa." Hic, inquam, unitatem principii, et περιχώρησιν simul conjungit, ostendens, Filium et Spiritum Sanctum non modo ex Patre esse, sed in ipso esse, neque ab ipso ullatenus separari; ideoque omnes tres unum Deum esse; unum et ipsum natura et essentia; tres vero subsistentia. Hilarius libro VIII. de Trinitate[b], " Pater," inquit, " in Fi- " lio est, et Filius in Patre, per inseparabilis naturæ

[y] [X. 4. vol. I. p. 1504.] [z] [II. 3. vol. II. p. 476.]

[a] [Hic liber Ambrosio falso adscribitur. Vid. Op. vol. II. Append. p. 611.]

[b] [VIII. 41. p. 972.]

" unitatem; non confusam, sed indiscretam; neque
" permixtam, sed indifferentem; neque cohærentem,
" sed existentem; neque inconsummatam, sed per-
" fectam. Nativitas est enim, non divisio; et Filius
" est, non adoptio; et Deus est, non creatio, &c.
" Tenet hanc itaque manentis in Patre Filii, et Pa-
" tris in Filio fidem, unum Deum Patrem, et unum
" Dominum Christum sibi esse apostolus prædicans."
Ubi cum negat Hilarius unionem Patris et Filii esse cohærentem, tantum excludit cohæsionem, qualis est rerum ex materia concretarum. Nam alioqui cohærere sibi invicem Patrem et Filium, doctores catholici, ut vidimus, dicere haud veriti sunt. Hieronymus in cap. iii. Ezechielis [c]; " Filius," inquit, " locus
" est Patris, sicut et Pater locus est Filii, dicente
" Domino Salvatore, *Ego in Patre, et Pater in*
" *me*." Denique Fulgentius in libro III. ad Monimum cap. 7.[d] docet aliter hominem esse apud hominem alterum, a quo maxime diligitur, aliter Verbum apud Patrem, his verbis; " Homo enim apud
" hominem sic est, ut non solum apud eum non esse
" possit, sed etiam cum apud eum est, in ipso sub-
" stantialiter esse non possit. Vere enim qui sic
" apud alium est, extra illum est; quia cum est
" apud illum sinceritate dilectionis, loco discernitur,
" quantolibet affectu invicem sibi uterque jungatur.
" Sed sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente
" verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens
" apud se verbum habet, utique cogitando habet,
" quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se
" cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando
" verbum intra se generat, de sua substantia generat

[c] [I. 3. in Ez. iii. 12. vol. V. p. 31.]
[d] [III. 7. p. 49.]

" verbum; et sic illud verbum generat de se, ut ge-
" nitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet
" verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens,
" de qua nascitur; quia quanta est mens, quæ ge-
" nerat verbum, tantum est etiam ipsum verbum.
" Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic
" intra totam permanet natum. Et quia cogitante
" mente non est ejus aliquid, ubi in ea verbum non
" sit, ideo verbum tantum est, quanta est mens
" ipsa, de qua est; et cum apud illam est, in illa
" est; et quod ipsa mens est, hoc est verbum, quod
" de illa et in illa est, et quanta illa est, tantum
" etiam verbum est, quia de tota, et in tota est.
" Tantumque est ipsum verbum, quanta simul est
" et mens ipsa cum verbo. Neque enim sic de illa
" verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur."

14. Cæterum de περιχωρήσει personarum in SS. Triade tria observamus. Primo, quando veteres nonnulli[e] περιχώρησιν etiam duabus in Christo naturis attribuunt, quas nempe εἰς ἀλλήλας περιχωρεῖν asserunt, minus proprie ipsos loqui statuendum. Cum enim περιχώρησις proprie sit unio rerum sese invicem usquequaque (quod et præpositio περὶ subindicat) immeantium, ad eam requiritur, ut rerum ita unitarum neutra extra alteram sit; sed ubicunque earum una est, ibi et altera existat. Atqui in Christo natura quidem divina humanam usquequaque immeat, non hæc vicissim illam; siquidem hæc finita est et circumscripta, illa infinita atque immensa; unde fieri
290 non potest, ut hæc sit, ubicunque illa est. At in Trinitate maxime propria est et perfectissima περι-

[e] Gregor. Nazian. Orat. LI. p. 740. Damascen. de Orthod. Fide, III. 5.

χώρησις, siquidem personæ sese mutuo continent, et omnes tres immensum habent *ubi*, ut scholastici loquuntur; ita ut ubicunque una persona est, ibi reliquæ duæ existant, hoc est, ubique omnes sint. Unde Tertullianus lib. adv. Prax. c. 23. "Scimus," inquit, "Deum etiam intra abyssos esse et ubique consis-"tere; Filium quoque ut individuum cum ipso ubi-"que." Deinde et illud lectorem monitum velim; doctrinam hanc, de περιχωρήσει personarum in Trinitate, adeo Sabellianismum non inducere, ut ad personarum diversitatem, et hæresin illam convincendam (quod et Petavius observavit) valde utilis sit. Nam ad mutuam illam ἐνύπαρξιν, quæ in Patre, Filio et Spiritu Sancto cernitur, prorsus necessarium est, ut sit nonnulla copulatorum distinctio; hoc est, ut ea, quæ in se invicem existunt, reipsa, et non sola cogitatione, diversa sint. Nam quod simpliciter unum est, in seipso inesse, aut in se immeare non dicitur. Quod Cyrillus etiam Alexandrinus attigit in libro Thesauri XII.[f] inquiens, "Ινα διὰ μὲν τοῦ, τοῦτον ἐν ἐκείνῳ, κἀκεῖνον ἐν τούτῳ φαίνεσθαι, τὴν ταυτότητα τῆς θεότητος, καὶ τῆς οὐσίας τὴν ἑνότητα δείξῃ· διὰ δὲ τοῦ, ἕτερον ἐν ἑτέρῳ εἶναι, μὴ ἕν τι ὂν ἐν ἀριθμῷ νοηθῇ. i. e. "Ut eo ipso, quod "ait Christus, hunc in illo, et illum in hoc videri, "identitatem Deitatis et unitatem substantiæ mon-"stret. Cum autem alterum in altero inesse asserit, "excludi illud, ne quis unum aliquid esse numero "putet." Respice etiam locum pseudo-Dionysii, quem in hoc capite superius adduximus. Denique illud imprimis considerandum est, hanc divinarum Personarum περιχώρησιν revera maximum esse mysterium, quod religiose adorare potius, quam curiosius

[f] [Vol. V. p. 109.]

" verbum ...
" ni'
" v
"

*rimari debemus. Nulla similitudo usque*quaque apta *ad illam illustrandum excogitari* potest; nulla ipsam *oratio digne satis explicare valet*; siquidem unio est, *quæ supra omnes alias uniones* eminet, ut scriptorem *longe doctissimum*, qui Dionysius Areopagita *vulgo dicitur, modo* dicentem audivimus. In hac *rerum caligine*, de hoc aliisque mysteriis divinis, *tanquam pueri* et sentimus et loquimur, imo balbutimus *potius*. Hic dum sumus, Deum nostrum tanquam *in* speculo et ænigmate contemplamur; adveniet *vero* tempus, imo omni tempore et sæculo ulterior æternitas, qua ipsum videbimus, facie ad faciem. Tenebras omnes tunc a mentibus nostris fugabit beatifica Dei visio; qua ut nos tandem dignos efficiat divina misericordia, ipsam noctes diesque obnixe et supplices oremus. Interea, dum viatores sumus, cognoscere optamus potius, quam liquido cognoscimus, (ut doctissimi Athenagoræ [g] verbis utar,) *τίς ἡ τοῦ παιδὸς πρὸς τὸν Πατέρα ἑνότης· τίς ἡ τοῦ Πατρὸς πρὸς τὸν υἱὸν κοινωνία· τί τὸ πνεῦμα· τίς ἡ τῶν τοσούτων ἕνωσις, καὶ διαίρεσις ἑνουμένων, τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδὸς, τοῦ Πατρός*. i. e. "Quænam Filii ad Patrem sit unio; quæ "Patris ad Filium communio; quid sit Spiritus; "quæ horum tantorum sit unio, quæ discretio uni-"torum, Spiritus scilicet, Filii, et Patris."

[g] Legat. pro Christianis, p. 12. [§. 12. p. 289.]

EPILOGUS OPERIS UNIVERSI.

PER immensum priscorum auctorum, ut ita dicam, oceanum, adspirante Dei gratia, portum tandem feliciter, uti spero, appellimus. Præstitisse enim me arbitror, quod hujus operis initio promisi; quippe multis, iisque perspicuis testimoniis ostendi, consentire cum Nicænis Patribus antiquitatem primævam de his quatuor capitibus; primo, Christum Dominum in potiori sua natura, ante beatissimam Virginem Mariam, adeoque ante mundi creationem extitisse, perque ipsum condita fuisse universa; deinde, ipsum in eapse natura Deo Patri esse ὁμοούσιον, hoc est, non creatæ alicujus et mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre naturæ, ac proinde verum Deum: porro, quod est consequens, eundem Deo Patri συναΐδιον esse; id est, divinam hypostasin Patri ab æterno coexistentem; denique subordinatum tamen illum ipsum esse Deo Patri, tanquam sui auctori ac principio. Primum quidem articulum leviter et strictim attigi, quod ipsum Ariani ultro concesserint; quanquam illi hac ipsa concessione, Deum, nempe Patrem per Filium cuncta ex nihilo condidisse, plane causam suam prodidisse mihi videantur. Nam creaturæ ex nihilo factæ, qualem Dei Filium somniarunt Ariani, potentiam alia ex nihilo producendi nullatenus communicari posse, omnino censeo cum sanioribus scholasticis. Ex quibus Estius[a]:

[a] In lib. II. Distinct. I. 4.

" Non potest," inquit, " creatura supernaturali vir-
" tute elevari ad hujusmodi actionem, qua tanquam
" instrumentum physicum cooperetur creationi; eo
" quod ad propriam hujus generis instrumenti ratio-
" nem pertineat, per aliquid sibi proprium operari
" dispositive ad effectum causæ principalis. Quare
" nec divina virtute poterit assumi creatura ad cre-
" andum, tanquam instrumentum physicum, salva
" manente propria ratione hujusmodi instrumenti."
Fundamentum hujus argumenti ibidem ante expo-
suerat; " Nihil," inquit, " potest esse causa princi-
" palis creandi, nisi virtutem habeat infinitam. Nam
" quanto forma producenda remotior est a potentia,
" tanto major requiritur virtus in agente; et proinde
" ad producendam formam ex nulla potentia, quod fit
" in creatione, requiritur virtus infinita; hanc autem
" impossibile est creaturæ communicari." Unde,
ex opere creationis Filio cum Patre communi, com-
munem utriusque divinitatem collegerunt veteres
catholici, etiam qui ante concilium Nicænum scrip-
serunt. Imo ipse Origenes II. contra Celsum di-
serte docet, nihil præter ipsum Dei Verbum, hoc est,
nihil extra ipsum Deum, potuisse universi hujus
creationem perficere. Nam ad Gen. i. 26. *Faciamus
hominem*, &c. et ad locum Davidis Psal. cxlviii. 5.
Ipse dixit, et facta sunt, &c. ita ibidem disserit;
" Si enim mandavit Deus, et conditæ sunt creaturæ,
" quis juxta sententiam prophetici Spiritus posset
" esse tanti paterni mandati executor, quam ille, ut
" sic loquar, animatus ejus Sermo et Veritas [b]?"
Quin et Patres antiquissimi communiter hoc nomine
Gnosticos acriter reprehenderunt, quod docuerint,

[b] Vide locum Origenis Græce citatum sect. II. 9. 5. [p. 292.]

hunc mundum per angelos, Deoque inferiores et ab ipso alienas potestates conditum fuisse. Disertissima imprimis sunt Irenæi loca, quæ adduximus sect. II. 5. 7. [p. 226.] "Solus unus Deus fabricator," (inquit lib. II. 55.[c]) "hic, qui est super omnem principalitatem, "et potestatem, et dominationem et virtutem; hic "Pater, hic Deus, hic Conditor, hic Factor; hic Fa- "bricator qui fecit ea per semetipsum, hoc est, per "Verbum et per Sapientiam suam, cœlum et terram "et mare et omnia quæ in eis sunt." Idem rursus lib. IV. 37.[d] "Non ergo," inquit, "angeli fecerunt "nos, nec nos plasmaverunt; nec angeli potuerunt "imaginem facere Dei, nec alius quis præter Ver- "bum Domini, nec virtus longe absistens a Patre "universorum. Nec enim indigebat horum Deus 292 "ad faciendum quæ ipse apud se prædefinierat fieri, "quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim "ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, "per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit; "ad quos et loquitur, dicens, *Faciamus hominem "ad imaginem et similitudinem nostram;* ipse a "semetipso substantiam creaturarum, et exemplum "factorum, et figuram in mundo ornamentorum ac- "cipiens." Quibus locis clare docet Irenæus, Deum Patrem per aliquid extra seipsum neque condidisse, neque condere vel necesse habuisse, vel potuisse hoc universum; et simul haud minus clare docet, per Filium et Spiritum Sanctum cuncta ipsum creavisse.

Secundum articulum de Filii consubstantialitate copiosissime demonstravi, quod in illo controversiæ cardo manifeste vertatur. Si hic a partibus nostris

[c] [c. 30. 9. p. 163.] [d] [c. 20. p. 253.]

stare primæva antiquitas comperiatur, de cæteris, quæ Ariani in controversiam vocarunt, facilis erit dijudicatio. Nam hac hypothesi concessa, Filium nempe esse ejusdem cum Deo Patre naturæ et essentiæ, funditus evertitur universa Arianæ impietatis structura et compages. Ne unum autem doctorum Antenicænorum poterunt Ariani nominare, qui hoc ipsum non confessus fuerit. Ad tertium articulum quod attinet, evidenter monstravi, maximam et potiorem partem primævorum Patrum Filii æternitatem aperte et sine ullis ambagibus professos fuisse; pauciores vero illos ecclesiæ doctores, qui generationem quandam ab initio aliquo incipientem Filio tribuerunt, utcunque verbis a prioribus discreparint, reipsa tamen cum ipsis sensisse. Denique non aliam subordinationem Filii ad Patrem statuisse Antenicænos, quam agnoverunt catholici, qui post et contra Arii hæresin scripserunt, haud minus perspicue probavi; quin et duriora in speciem dicta ipsorum catholicum sensum non modo admittere, sed postulare etiam, clare ostendi. Ex quibus omnibus manifestum est, Petavium nimis liberaliter Arianis concessisse Patrum Antenicænorum suffragia; ac falsos prorsus esse Sandium et alios, qui Jesuitæ illius auctoritate freti fidenter affirmarunt, doctores trium primorum sæculorum cum Ario sensisse.

Profecto longe alia catholicorum Patrum, qui in arenam cum Arianis dimicaturi olim descenderunt, mens ac sententia fuit. Nimirum illi adeo non reformidarunt primævorum Patrum tribunal, ut ad ipsum libenter provocarint. Sic Athanasius lib. de Synod. Nic. decret.[e], postquam veterum nonnullo-

[e] [§. 27. vol. I. p. 233.]

rum testimonia in defensionem fidei Nicænæ adduxerat, sic demum Arianos affatur; Ἰδοὺ ἡμεῖς μὲν ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβεβηκέναι τὴν τοιαύτην διάνοιαν ἀποδεικνύομεν· ὑμεῖς δὲ, ὦ νέοι Ἰουδαῖοι καὶ τοῦ Καϊάφα μαθηταὶ, τίνας ἄρα τῶν ῥημάτων ὑμῶν ἔχετε δεῖξαι πατέρας; ἀλλ' οὐδένα τῶν φρονίμων καὶ σοφῶν ἂν εἴποιτε· πάντες γὰρ ὑμᾶς ἀποστρέφονται, πλὴν μόνου τοῦ Διαβόλου· μόνος γὰρ ὑμῖν οὗτος τῆς τοιαύτης ἀποστασίας πατὴρ γέγονεν. i. e. "Ecce "nos demonstramus, istiusmodi sententiam a Patri- "bus ad Patres quasi per manus traditam esse. "Vos autem, O novi Judæi et discipuli Caiaphæ, "quos demum assertionum vestrarum Patres osten- "dere valetis? imo ne unum quidem ex prudenti- "bus et cordatis nominare possitis; cuncti enim vos "aversantur præter unum Diabolum, qui solus hujus "defectionis auctor vobis fuit." Multa veterum Patrum scripta viderat Athanasius, quæ nunc magno ecclesiæ damno perierunt. Ex omnibus vero, quos legerat, fidenter asserit, idque non in concione ad populum, sed in scripta disputatione contra Arianos, ne unum quidem probatum doctorem potuisse hæreticos proferre, qui ipsorum blasphemias defenderit. Ac sane nos in hoc opere, nullum esse ex Patribus primævis catholicis, quorum scripta tanquam e naufragio divina nobis seris nepotibus conservavit Providentia, qui a partibus Nicænorum antistitum non steterit, abunde evicimus. Imo ipsi Ariani, quanquam apud imperitam plebem se fidem a Patribus traditam tenuisse jactitarint, adeoque colorem aliquem obducere potuerint suæ hæresi ex dictis quibusdam Patrum nonnullorum perperam intellectis, ut in superioribus ostensum est, disputatione tamen pressi, veterum judicium atque auctoritatem prorsus declinarunt. Celebris est historia Sisinnii, quam

fert Socrates Hist. Eccles. V. 10. quamque supra attigi; " Imperator Theodosius, accito Nectario epi-
" scopo, sollicita deliberatione cum eo tractavit, quo-
" nam modo Christiana religio dissensionibus libe-
" rari, et ecclesia ad unitatem revocari posset. Aie-
" batque discutiendam esse controversiam quæ ec-
" clesias segregaret, ut, amputatis discordiarum cau-
" sis, ecclesiis concordia restitueretur. His auditis,
" Nectarius anxius et sollicitus hærebat. Et accer-
" sito Agellio, tunc temporis Novatianorum epi-
" scopo, utpote qui cum ipso in fide consentiret, im-
" peratoris consilium ei aperit. Ille cum vir esset
" alioqui pius ac religiosus, sed qui de fidei doctrina
" cominus disputare haudquaquam valeret, Sisinnium
" lectorem suum, qui hoc disserendi munus obiret,
" elegit. At Sisinnius, vir imprimis disertus et
293 " magno rerum usu præditus, et qui præter sacra-
" rum literarum scientiam Græcorum quoque phi-
" losophiam egregie callebat, cum probe nosset, ejus-
" modi disputationibus non modo discidia minime
" sanari, verum etiam hæreses ad majorem conten-
" tionem accendi, hoc consilium suggessit Nectario.
" Quoniam compertum habebat, veteres studiose ca-
" visse, ne principium existentiæ Filio tribuerent,
" quippe qui censerent illum Patri coæternum esse;
" suadet ut dialecticas quidem concertationes omit-
" tat, expositiones autem veterum in testimonium
" adducat; utque imperator singularum sectarum
" principes interroget, utrum veterum doctorum, qui
" ante discidium in ecclesia docuissent, rationem ha-
" bendam esse censerent, an vero tanquam a Chris-
" tiana religione alienos eos rejicerent. Nam si illos
" rejiciunt, audeant igitur eos etiam anathemate
" damnare. Id vero si facere ausi fuerint, a multi-

" tudine vulgi protinus extrudentur. Atque hoc " facto manifesta erit veritatis victoria. Quod si " priscos doctores minime repudiabunt, nostrum erit " libros veterum proferre." Postea ibidem narrat Socrates, hoc Sisinnii consilium communicasse Nectario imperatori, qui ipsum avide amplexus est, et facto experimento tandem animadvertit, hæreticos fretos διαλέξει μόνῃ, καὶ οὐκ ἀρχαίων ἐκθέσει, " sola dis- " putatione, non autem veterum expositione;" siquidem omnes priscorum doctorum judicio stare recusarunt. Eandem historiam tradit Sozomenus H. E. VII. 12. quibus addi potest, quod Alexander Alexandrinus testetur, primos Arianæ hæresis propugnatores nullo in pretio habuisse priscos doctores, atque, ad instar fanaticorum et enthusiastarum nostrorum, se per revelationem edoctos impudenter jactitasse. Sic enim ille in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum apud Theodoritum[f]; Οὐδὲ τῶν ἀρχαίων τινὰς συγκρίνειν ἑαυτοῖς ἀξιοῦσιν, οὐδὲ οἷς ἡμεῖς ἐκ παίδων ὡμιλήσαμεν διδασκάλοις, ἐξισοῦσθαι ἀνέχονται. ἀλλ' οὐδὲ τῶν νῦν πανταχοῦ συλλειτουργῶν τινὰ εἰς μέτρον σοφίας ἡγοῦνται· μόνοι σοφοὶ καὶ ἀκτήμονες καὶ δογμάτων εὑρέται λέγοντες εἶναι, καὶ αὐτοῖς ἀποκεκαλύφθαι μόνοις, ἅπερ οὐδενὶ τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον ἑτέρῳ πέφυκεν ἐλθεῖν εἰς ἔννοιαν. i. e. " Nullos ex antiquis sibi comparari volunt, nec eos " quibus nos ab ineunte ætate magistris usi sumus, " exæquari sibi patiuntur. Sed nec ullum ex omni- " bus, qui hodie sunt collegæ nostri, ad mediocrem " scientiam pervenisse censent; solos sapientes ac " nihil possidentes, solos dogmatum inventores se " esse jactantes, sibique solis ea revelata esse, quæ " nemini unquam mortalium in mentem venerint."

[f] H. E. I. 4. p. 16. edit. Valesii. [p. 17.]

Quibus in verbis significat quoque Alexander, Arianam sententiam contrariam fuisse doctrinæ non modo priscorum doctorum, sed etiam proximorum ipsius antecessorum, quin et episcoporum omnium, qui ecclesiam regebant, quo tempore infelicem controversiam Arius primum suscitavit.

Atqui, inquies, si tam prorsus heterodoxa fuit Arii opinio, qui potuit brevi tempore, postquam exorta fuit, in tantum prævalere, ut totus pene orbis Christianus fieret Arianus, quemadmodum conquestus est Hieronymus? Respondeo, si Arianum fieri sit genuina Arii dogmata amplecti, verum non esse (quod pace Hieronymi dictum sit) maximam Christianorum partem factam unquam fuisse Arianam. Constantii quidem temporibus et aliquanto post quamplurimi, præsertim in oriente, Arianos amplexi sunt; ipsum vero Arianismum paucissimi, ad cæteros comparati. Quippe homines falsissimi, nisi ubi idoneos invenerint auditores, impia dogmata celarunt, fidemque suam fere professi sunt verbis, quæ antiquam et catholicam sententiam præ se ferrent; indeque factum fuit, ut pro catholicis pene ubique haberentur, atque agniti essent, etiam ab iis, qui alioqui germana ipsorum placita ex animo detestati sunt. Hac fraude, non modo plebis Christianæ, sed etiam episcoporum multorum, qui nimium creduli essent, gratiam sibi conciliarunt. Legas Confessiones Arianorum, quæ ab Athanasio et aliis describuntur; tam catholicis verbis plerumque conceptæ sunt, ut crederes homines plane catholicos fuisse. Dicunt Christum Deum, Deum verum, imo natura verum et perfectum Deum; creaturam illum esse, tanquam dictu nefas abominantur; ante omnia sæcula extitisse ipsum profitentur. Et quid non dicunt, quod catholici

dixerunt, præterquam quod unam illam ὁμοούσιον vocem omittant? Hinc Hilarius, qui regnante antichristianismo illo vixit, veritati gratulatus est, quod populus Christi catholicus manserit sub episcopis Arianis, quibus adhærebat. Scilicet plebs innocua antistites, quos sibi Constantius præfecit, cum omni reverentia excepit, ignara impietatis quam in sinu illi fovebant; hoc est, hæreticos admisit; hæresin vero ipsorum, utpote quam ipsorum esse hæresin nesciit, nunquam amplexa est. Digna sunt Hilarii [g] verba, quæ hic recitentur; " Verum ad antichristum
" minori invidia introducendum, miserisque creden-
" dum, tribuunt Christo Dei nomen, quia hoc et
" hominibus sit tributum. Fatentur vere *Dei Fi-*
" *lium*, quia sacramento baptismi vere Dei Filius 294
" unusquisque perficitur. *Ante tempora et sæcula*
" confitentur, quod de angelis atque Diabolo est non
" negandum. Ita Domino Christo sola illa tribuun-
" tur, quæ sunt vel angelorum propria, vel nostra.
" Cæterum quod Deo Christo legitimum et verum
" est, Christus Deus verus, id est, eadem esse Filii
" quæ Patris divinitas, denegatur. Et hujus quidem
" usque adhuc impietatis fraude perficitur, UT JAM
" SUB ANTICHRISTI SACERDOTIBUS CHRISTI PO-
" PULUS NON OCCIDAT, DUM HOC PUTANT ILLI
" FIDEI ESSE, QUOD VOCIS EST. Audiunt *Deum*
" Christum; putant esse quod dicitur: audiunt *Fi-*
" *lium Dei;* putant in Dei nativitate inesse Dei
" veritatem: audiunt *ante tempora;* putant id ip-
" sum ante tempora esse, quod semper est. SANC-
" TIORES AURES PLEBIS, QUAM CORDA SUNT SA-
" CERDOTUM." Hæc præclare Hilarius. Alexander

[g] Lib. cont. Arian. et Auxent. p. 1145. [B. O. p. 1266.]

vero Alexandrinus in Epistola ad cognominem suum Byzantinum [h], quam paulo superius commemoravi, testatur Arium primosque ejus discipulos, postquam damnati fuissent ab episcopis Ægypti in concilio quodam Alexandrino, quod synodum Nicænam præcessit, ad alios episcopos catholicos se contulisse: atque ab ipsis, se quoque catholicos simulantes, literas commendatorias impetrasse; quibus subinde usi sunt ad miseros homines, quos deceperant, in errore confirmandum. Ἐπεχείρησαν δὲ, inquit, περιδρομαῖς χρώμενοι καθ' ἡμῶν, παρεκβαίνειν πρὸς τοὺς ὁμόφρονας συλλειτουργοὺς, σχήματι μὲν εἰρήνης καὶ ἑνώσεως ἀξίωσιν ὑποκρινόμενοι· τὸ δὲ ἀληθὲς, συναρπάσαι τινὰς αὐτῶν εἰς τὴν ἰδίαν νόσον διὰ χρηστολογίας σπουδάζοντες. καὶ στωμυλώτερα γράμματα παρ' αὐτῶν αἰτοῦντες, ἵνα παραναγινώσκοντες αὐτὰ τοῖς ὑπ' αὐτῶν ἠπατημένοις, ἀμετανοήτους ἐφ' οἷς ἐσφάλησαν κατασκευάζωσιν, ἐπιτριβομένους εἰς ἀσέβειαν, ὡς ἂν συμψήφους αὐτοῖς καὶ ὁμόφρονας ἔχοντες ἐπισκόπους. οὐχ ἅπερ γοῦν παρ' ἡμῖν πονηρῶς ἐδίδαξάν τε καὶ διεπράξαντο, ὁμολογοῦσιν αὐτοῖς, δι' ἃ καὶ ἐξώσθησαν· ἀλλ' ἢ σιωπῇ ταῦτα παραδιδόασιν, ἢ πεπλασμένοις λόγοις καὶ ἐγγράφοις ἐπισκιάζοντες ἀπατῶσιν. πειθανωτέραις γοῦν καὶ βωμολόχοις ὁμιλίαις τὴν φθοροποιὸν αὐτῶν διδασκαλίαν ἐπικρύπτοντες, συναρπάζουσιν τὸν εἰς ἀπάτην ἐκκείμενον, οὐκ ἀπεχόμενοι καὶ τοῦ παρὰ πᾶσι συκοφαντεῖν τὴν ἡμετέραν εὐσέβειαν· ὅθεν καὶ συμβαίνει τινὰς τοῖς γράμμασιν αὐτῶν ὑπογράφοντας, εἰς ἐκκλησίαν εἰσδέχεσθαι. i. e. "Ipsi "vero contra nos huc et illuc discurrentes, ad col- "legas nostros idem nobiscum sentientes, proficisci "instituerunt; specie quidem pacem et concordiam "expetere se simulantes; reipsa vero quosdam eorum "blandis sermonibus in errorem suum traducere co- "nantes. A quibus etiam verbosiores Epistolas flagi- "tant, ut eas legentes hominibus quos ipsi decepe-

[h] Apud Theodorit. E. H. I. 4. p. 10. edit. Valesii.

" runt, eos pertinaciter in errore perseverare faciant " absque ullo pœnitentiæ sensu, in impietate obdu- " ratos; quasi qui episcopos idem secum sentientes " ac sibi suffragantes habeant. Ea porro quæ apud " nos perperam docuerunt et egerunt, et quorum " causa a nobis sunt expulsi, nequaquam illis confi- " tentur; sed vel silentio ista tradunt, vel fictis ser- " monibus et libellis conscriptis velantes fucum fa- " ciunt. Probabilibus itaque et ad assentationem " compositis colloquiis pestiferam suam doctrinam " obtegentes, simpliciorem quemque et fraudi expo- " situm circumveniunt; neque interim parcunt pie- " tatem nostram apud omnes calumniari. Unde fit, " ut nonnulli literis eorum subscribentes in eccle- " siam eos recipiant." Si quis autem ex Arianorum grege de fide optimi Alexandri dubitat, audiat is Arii notissimos fautores, nempe Eusebium Nicomediensem et Theognim; qui in suo pœnitentiæ libello apud Socratem[1] scribunt, se fidei quidem Nicænæ subscripsisse, anathematismo vero noluisse subscribere; et causam continuo subjungunt; Οὐχ ὡς τῆς πίστεως κατηγοροῦντες, ἀλλ' ὡς ἀπιστοῦντες τοιοῦτον εἶναι τὸν κατηγορηθέντα, ἐκ τῶν ἰδίᾳ πρὸς ἡμᾶς παρ' αὐτοῦ διά τε ἐπιστολῶν, καὶ τῶν εἰς πρόσωπον διαλέξεων, πεπληροφορημένοι μὴ τοιοῦτον εἶναι. i. e. " Non quod fidem reprehendere- " mus, sed quod minime crederemus, illum qui accu- " satus fuerat, ejusmodi esse; cum partim ex iis " quæ ad nos per literas scripserat, partim ex ejus " sermonibus coram habitis, compertum haberemus " illum talem non esse." Notatu autem dignum est, quod observavit Valesius, Eusebium illum Nicomediensem communionem cum ecclesia Romana ad obitum usque retinuisse. Unde alterum horum ne-

[1] [Hist. Eccles. I. 14. p. 43.]

cessario statuendum, aut Eusebium revera Arianum non fuisse, sed ex nimia tantum credulitate, qua Arianorum professionibus fidem habuerat, se partibus istis adjunxisse; aut Arianus cum fuerit, ecclesiam Romanam fefellisse iisdem artibus, quibus usi sunt cæteri Ariani. Quod posterius longe probabilius judicabit, quisquis Arii ad Eusebium illum, et ipsius Eusebii ad Paulinum Tyri Epistolas apud Theodoritum[i] attente legerit. Quem vero horrore non percutit historia, quam de Ario ex authenticis Constantini literis refert Socrates E. H. I. 38? Ὁ βασιλεὺς δὲ, inquit, ἀπόπειραν Ἀρείου ποιήσασθαι βουληθεὶς, ἐπὶ τὰ βασίλεια αὐτὸν μεταπέμπεται, ἠρώτα τε, εἰ τοῖς ὅροις στοιχεῖ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου. ὁ δὲ ἑτοίμως μηδὲν μελλήσας ἐπ' αὐτοῦ ὑπέγραφε τὰ περὶ τῆς πίστεως ὁρισθέντα σοφισάμενος. καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς θαυμάσας καὶ ὅρκον ἐπέφερεν· ὁ δὲ καὶ τοῦτο σοφιζόμενος ἐποίει. τίνα δὲ τρόπον ἐτεχνάζετο γρά-
295 φων, ὡς ἤκουσα, ἔστι ταῦτα· καταγράψας, φησὶν, ὁ Ἄρειος ἐν χάρτῃ ἣν εἶχε δόξαν, ὑπὸ μάλης ἔφερεν· ὤμνυ τε ἀληθῶς οὕτω φρονεῖν, ὡς καὶ γεγραφηκὼς εἴη. τοῦτο μὲν οὖν οὕτω γεγενῆσθαι, ἀκοῇ γράψας ἔχω· ὅτι μέντοι καὶ ὅρκον ἐπέθηκε τοῖς γραφεῖσιν, ἐκ τῶν ἐπιστολῶν τοῦ βασιλέως ἀνελεξάμην. i. e. "Impe-
" rator vero cum Arii periculum facere vellet, eum
" in palatium accitum interrogavit, num decretis
" Nicænæ fidei consentiret. Ille nihil cunctatus
" alacri animo coram imperatore subscripsit ea quæ
" de fide in concilio statuta fuerant, callide ludifica-
" tus. Cumque imperator admiratione captus jure-
" jurando insuper eum adigeret, ille per fraudem ac
" simulationem istud etiam præstitit. Porro fraus ac
" simulatio, qua usus est in subscribendo, sicut ipse
" accepi, hujusmodi fuit; Opinionem suam Arius in
" charta conscriptam gerens, sub ala occultabat; ju-

[i] H. E. I. 5. et 6.

" ravit ergo, se ex animo ita sentire uti scripserat. " Atque hæc quidem ita gesta fuisse, fama tantum " et auditione accepi. Quod vero subscriptioni etiam " jusjurandum adjecerit, id ex imperatoris Epistolis " didici." Sane nemini mirum videri debet, quod tam detestandum perjurium mox secuta sit ultio divina eximia, qualem ibidem commemorat Socrates. Quam historiam narrant etiam alii scriptores ecclesiastici, cum nonnulla licet circumstantiarum diversitate.

Athanasius in libro de synodis Arimini et Seleuciæ testatur, Georgium Laodiceæ episcopum primum Arianis auctorem fuisse, ut verbis iisdem, quibus catholici uterentur, impietatem suam obtegerent. Nam hæc de Georgio illo refert[k]; Πρὸς δὲ τοὺς Ἀρειανοὺς ἔγραφε, Τί μέμφεσθε Ἀλεξάνδρῳ τῷ πάπᾳ λέγοντι ἐκ τοῦ Πατρὸς τὸν υἱόν; καὶ γὰρ καὶ ὑμεῖς μὴ φοβηθῆτε εἰπεῖν, καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ τὸν υἱόν. εἰ γὰρ ὁ ἀπόστολος ἔγραψε, Τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, καί ἐστι δῆλον, ἐξ οὐκ ὄντων πεποιῆσθαι τὰ πάντα, ἔστι δὲ καὶ ὁ υἱὸς κτίσμα, καὶ τῶν πεποιημένων εἷς, λεχθείη ἂν καὶ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ Θεοῦ οὕτως, ὥσπερ καὶ τὰ πάντα λέγεται ἐκ τοῦ Θεοῦ. ἐξ ἐκείνου γοῦν ἔμαθον οἱ τὰ Ἀρείου φρονοῦντες ὑποκρίνεσθαι τὴν λέξιν, τὴν, ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ λέγειν μὲν τὴν λέξιν, μὴ φρονεῖν δὲ καλῶς. i. e. " Ad " Arianos scripsit, Quid expostulatis cum Alexandro " papa dicente, ex Patre esse Filium? imo ne vos " quidem reformidare debetis, Filium dicere ex Deo " esse. Nam si apostolus scripsit cuncta ex Deo " esse, et certum est, cuncta ex non entibus ad es- " sentiam producta et facta esse, Filiumque creatu- " ram esse et unum ex rebus conditis; recte ad eum " modum dici potest, Filium ex Deo esse, quemad-

[k] Oper. Athan. I. p. 887. [§. 17. vol. I. p. 731.]

" modum omnia ex Deo esse dicuntur. Ex hoc ho-
" mine didicere Ariani simulanter agnoscere hoc
" dictum, *ex Deo esse*, et verba quidem pronun-
" ciare, sed tamen ut animo male sentiant."

Cæterum ex voce ὁμοουσίου, a Nicænis Patribus sancita, maxime speciosam πρόφασιν sumpsisse videntur Ariani. Nimirum querebantur sophistæ, se ob unius voculæ rejectionem, quæ nusquam in Scripturis inveniretur, quæque adeo periculosos sensus haberet, a Patribus Nicænis damnatos; cum alioquin in nulla re ab antiqua et catholica fide recesserint. Cui ipsorum professioni facile credentes multi non modo ex plebe, sed ex episcopis catholicis, dextram ipsis Christianæ societatis et communionis ultro porrexerunt; quin et eos episcopos catholicos, qui Arianæ perfidiæ gnari τῷ ὁμοουσίῳ mordicus adhæserunt, aversati sunt, sive tanquam homines contentiosos et λογομαχίας deditos, quique pacem ecclesiasticam levi de causa perturbarent; sive etiam tanquam heterodoxos, qui sub voce hæreticam sententiam occultarent. Quotcunque autem quacunque de causa *homoousii* vocem reprobarunt, etiamsi quoque sensum vocabuli catholicum, quem intenderunt Nicæni antistites, ex animo agnoverint, (qui perplures fuere,) ii omnes vulgo Arianis partibus accensebantur. Hac imprimis de causa pro Ariano habitum fuisse a plerisque Eusebium Cæsariensem arbitror; nempe quod *homoousion* etsi nunquam simpliciter improbaverit, imo quo sensu vox a Patribus Nicænis usurpata fuit, probaverit semper, Eustathium tamen et alios magni nominis catholicos, quos putavit ad Sabellianismi patrocinium vocabulum adhibuisse, palam oppugnaverit. Vide quæ e Socrate observavimus, II. 1. 8. [p. 78.] Quid? quod ipsum Constantium imperatorem, qui

homoousii defensoribus infensissimus fuit, revera catholicum semper fuisse, diserte testetur Theodoritus Hist. Eccl. III. 3. Εἰ γὰρ, inquit, καὶ τοῦ ὁμοουσίου τὸ πρόσρημα βουκοληθεὶς ὑπὸ τῶν ἀγόντων αὐτὸν ὁ Κωνστάντιος οὐ προσίετο, τὴν γοῦν τούτου διάνοιαν ἀκραιφνῶς ὡμολόγει. γνήσιον γὰρ υἱὸν πρὸ τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς γεγεννημένον τὸν Θεὸν λόγον ὠνόμαζε, καὶ τοὺς κτίσμα λέγειν τολμῶντας ἄντικρυς ἀπεκήρυττεν. i. e. "Etsi enim Constantius, "deceptus ab iis quibus se regendum permiserat, "*consubstantialis* vocabulum non admisit, sensum "tamen ejus sincere confessus est. Deum enim Ver- "bum, verum ac germanum Filium ante omnia sæ- "cula ex Patre genitum appellavit, eosque qui crea- "turam illum vocabant, palam damnavit." Theodoriti autem de Constantio testimonium non parum confirmant summa præconia, quibus eundem imperatorem exornat Gregorius Nazianzenus in priori Invectiva adversus Julianum[1]; ubi inter alia ipsum theologus appellat θειότατον βασιλέων, καὶ φιλοχριστότατον, "imperatorum divinissimum, Christique aman- 296
"tissimum." Quas laudes in Constantium nunquam certe congessisset Nazianzenus, utpote qui vir fuit apprime catholicus, et Arianorum hostis professus, si Arianam impietatem revera imbibisse ipsum putasset. Accedit, quod fidei Confessiones, quæ ab Arianis conciliabulis sub Constantio congregatis editæ fuere, pleræque omnes eandem fidem verbo tenus profiteantur, quæ in Nicæna synodo sancita fuerat, nisi quod *homoousii* vocem omittant. Nimirum probe norunt sophistæ, pium et catholicum imperatoris animum impia ipsorum placita, si simpliciter et sine fuco proponerentur, nequaquam ferre potuisse.

[1] Pag. 63. [Orat. IV. 34. p. 93.]

Itaque qui summus erat patronus Arianorum, semper genuina Arii placita ex animo detestatus est; qui vero rursus catholicorum acerrimus persecutor fuit, catholicam revera fidem ac sententiam semper ipse retinuit. Scilicet hoc tantum prodigium ut in orbe Christiano conspiceretur, effecit Arianorum fraudulentia, a viris bonis nunquam satis detestanda. Fraudem partim exponit Elias Cretensis in Comment. in Greg. Naz. Orat. his verbis [m]; " Imperator " ab hæreticis abstractus impiis adversus pios licen- " tiam dabat, atque adversus orthodoxam doctrinam " leges statuebat. Nam cum Ariani subdole ac ma- " ligne *consubstantialis* loco *æquisubstantiale*," (sic Græcam vocem ὁμοιούσιον vertit Elias,) " inducerent, " in eorum sententiam imperator etiam ipse conce- " dit, scribitque idem esse *æquisubstantiale*, quod " *consubstantiale*, nec ad pietatem quicquam detri- " menti afferre. Quod quidem certe a recta doc- " trina haudquaquam alienum est, (neque enim quod " simile est, idem est cum eo, cui simile est; verum " partim æquale, partim inæquale,) modo pie intel- " ligeretur, nempe, ut una cum eo vocabulo hæc " verba intelligantur, *sine ulla omnino diversitate*. " Hinc porro liberam potestatem consecuti hæretici " *consubstantialis* vocem abdicant, &c." Sed vafras artes, quibus in sua impietate propaganda usi sunt Ariani, si plene explicare vellem, libri Epilogus in alium librum excresceret. Quare hic finem facio: ex iis quæ in hoc opere disseruimus, perspicuum est, fidem Nicænam esse τὴν ἅπαξ παραδοθεῖσαν τοῖς ἁγίοις πίστιν [n], " fidem quæ semel tradita est sanctis," adeoque in ecclesia Christi catholica semper religiose con-

[m] Pag. 823. [n] Jud. v. 3.

servata. Itaque pro hac fide, ut viros decet zelo Dei accensos, fortiter decertemus; inque ipsa ad extremum usque vitæ halitum constanter perseveremus. Quod faxit Deus.

Sanctissimæ atque individuæ Trinitati, Deo Patri, Filio, et Spiritui Sancto, sit laus, gloria et honos omnis in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

Form 419